PHILOSOPHORUM

GRAECORUM VETERUM

RELIQUIAE.

PHILOSOPHORUM GRAECORUM

VETERUM

PRAESERTIM

QUI ANTE PLATONEM FLORUERUNT

OPERUM RELIQUIAE.

RECENSUIT ET ILLUSTRAVIT

SIMON KARSTEN, 1802 – 1864.

Antiquitas, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse quae erant vera cernebat. CICERO.

VOLUMEN PRIMUM.

PARS PRIMA. XENOPHANES.

AMSTELODAMI,

SUMTIBUS J. MÜLLER & SOC.

1830.

XENOPHANIS COLOPHONII
CARMINUM
RELIQUIAE.

DE

VITA EJUS ET STUDIIS

DISSERUIT, FRAGMENTA EXPLICUIT, PLACITA ILLUSTRAVIT

SIMON KARSTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. DOCT. SOCIET. DISCIPL. ET ART. TRAJECT.
ADSCRIPT. IN ATHEN. BRUXELL. PR.

> Ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον πυκινοῦ νόου ἀντιβολῆσαι
> Πρεσβυγενὴς ἔτ' ἐών!
>
> Xenophanes apud Timon.

AMSTELODAMI,
SUMTIBUS J. MÜLLER & SOC.
1830.

CLARISSIMO VIRO,

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,

ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO,

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE PROFESSORI, INSTITUTI REGII BELGICI, ACADEMIAE BRUXELL., SOCIETATUM REGG. GOETTING. ET BEROLIN. SOCIO ETC.

PHILOSOPHIAE PLATONICAE INTERPRETI ELEGANTISSIMO,

PRAECEPTORI SUO,

D. D.

AUCTOR.

Quum interdum, dilectissime Heusdi, memoria repeto adolescentiae illud tempus quod in Academia vestra transegi, nulla mihi jucundior solet esse recordatio, quam privatarum illarum institutionum, quibus Platonis scripta explicare nobis solebas. Nam cum intellexisses, nonnullos nostrum adolescentum, qui tum eramus his studiis dediti, clarissimum hunc philosophum accuratius cognoscendi esse cupidos, tu non solum hortatione tua stu-

dium nostrum incitasti sed sponte nos invitasti, ut apud te una illius scripta legeremus. Itaque statis diebus domum tuam conveniebamus, ubi cum nos in circulo familiariter admodum considentes Platonem legebamus, tu ita omnem philosophi mentem explicabas, ita animos nostros tuo disserendi lepore et gravitate movebas et delectabas ut, utrum magis Platonis nos lectio an tua teneret humanitas et elegantia, plane nesciam; illud certum, tanto nos tua voce incensos esse Platonicae philosophiae studio et amore, ut numquam fere nisi ἐνθουσιῶντες *a te discesserimus, et pomeridianae illae sessiones revera nobis viderentur disputationes in Academia. Ibi autem quum saepe de multis sermocinaremur veteris philosophiae quaestionibus, tum interdum quoque sermo incidit in priscos illos sive philosophos sive sapientes, a quibus non pauca viderentur fluxisse, quae Platonis illustravit ingenium. De quibus quum ego studiosius quaererem, memineris, vir praestantissime, te aliquando me esse hortatum ut dispersas eorum reliquias accuratius colligerem, et quod opus jam pridem* Henr. Stephanus, *edita* Poësi philosophica, *inchoasset, exaedificarem et perficerem. Propositum placuit, idque initium mihi fuit suscipiendi operis, quod confidebam tua me opera tuoque consilio adjutum non infeliciter effecturum. Sed non ita multo post accidit, ut in* Athenaeum Bruxellense *ad literas docendas sim vocatus; quod munus ut lubens accepi, dolui tamen quod et veteri consuetudine, tua maxime,*

me orbatum videbam et multis destitutum librorum subsidiis, quibus ad perficiendum illud opus carere non possem. Qua difficultate facile ab incepto opere essem deterritus, nisi adjumento mihi fuisset eruditissimorum hominum favor, qui suppeditandis librorum copiis studia mea promoverunt. In his praeter ceteros de me promeriti sunt J. Geelius, *Leydensis Academiae professor et bibliothecarius, vir non magis eruditione quam humanitate excellens, et* C. Bernhardius, *qui tum Lovaniensi bibliothecae praefectus, nuper ereptus nobis et Cassellas in patriam revocatus est. Utriusque benevolentiae quantum debeam gratus agnosco. Eorum enim copiis instructo contigit mihi satis lautam comparare veteris philosophiae supellectilem, in qua disponenda et ornanda, quantum mihi a ceteris studiis et occupationibus superest otii, collocabo. Jamque primum meorum studiorum fructum edidi disputationem hanc de Xenophane, nuper ad te missam; quae si tibi, ut spero, non plane rudis nec impolita videatur, scias id partim etiam deberi operae* Schmitzii, *antiquarum literarum in Academia Lovaniensi lectoris, eruditissimi viri mihique amicissimi, qui chartarum plagulis accurate perlegendis et subinde limandis opus meum ornavit.*

Misi ergo ad te, Heusdi, *hunc librum tuoque nomini dedicavi; quod cur fecerim, nec tu qui meum animum nosti, nec quisquam qui tua merita tuamque prae-*

stantiam cognoverit, mirabitur : feci illud non modo, ut tua auctoritate scripta mea commendarem, sed magis etiam, ut studium in te meum significarem et debitas tibi solverem gratias, siquidem justum est, cujus operis suscipiendi ipse auctor extiteris, ejus quoque quasi primitias tibi offerri. Quodsi senserim tuo arbitrio laborem meum probari, tantum mihi valebit tua auctoritas, ut aliorum quoque judicia minus reformidem. Tu autem valeas, vir praestantissime, diuque et ad patriae disciplinae praesidium et ad literarum decus salvus sis et incolumis, etiam atque etiam opto.

Dabam Bruxellis, mense Julii 1830.

In artium et disciplinarum investigatione nihil est ad doctrinae fructum efficacius quam earum originem indagare, fontesque persequi e quibus humanitatis studia et incrementa repetenda et explicanda sunt. Quod si in ceteris artibus diligenter quaerere solemus, quanto majore studio et diligentia idem faciendum est in philosophia, omnium artium principe: ceterae enim artes singulae ad singulas ingenii, doctrinae, industriae partes referuntur; philosophia vero pertinet ad id quod summum est in homine, mentem et cogitationem, quae quantum ceteris ingenii artibus excellit, tantum quoque illius indagatio dignitate et amplitudine reliquis studiis et disciplinis est anteponenda. Quid enim aut praeclarius aut ad cognitionis fructum uberius, quam animum hominum mentemque cognoscere, viam indagare qua sensus suos et notiones explicuerit, rerum caussas rationesque exploraverit, et omnem naturam quasi evolvens paullatim ad meliorem judicandi rationem, ad altiorem humanitatis gradum, sit perducta. Quodsi philosophiae

cognitio ipsa argumenti gravitate se commendat, non minus commendatur veterum in hoc studio praestantia et auctoritate. Repetenda est enim philosophia a Graecis, qui cum ingenii vigore maxime excelluerunt, tum cogitandi et disserendi studio ita floruerunt, ut ab iis non inventa modo haec disciplina, sed exculta atque ad summam paene perfectionem sit adducta. Quis enim ignorat, quanta semper fuerit Platonis et Aristotelis auctoritas, qui cum per multa secula principatum in philosophia tenuissent, tum nostra etiam aetate maximis doctorum hominum et philosophorum studiis celebrantur. Hi tamen priusquam ad culmen illud possent pervenire, quam multi exstiterunt doctrina et ingenio excellentes, quorum studiis et inventis patefacta jam via est, quam illi sunt persecuti. Quamobrem et ad literarum cognitionem et ad eruditionis fructum maximi est momenti, veterum illorum cognoscere monumenta quibus et seriorum scripta illustrantur, et doctrinae incrementa fontesque aperiuntur e quibus ad tantam amplitudinem philosophia excrevit.

Si vero ad veteris philosophiae incunabula recedamus, ejus initia non solum, ut plerarumque artium, fuerunt obscura, sed eadem diu quoque neglecta atque a multis adeo contemta sunt et vituperata. Philosophiae enim quum ea sit natura, quae non certis adstricta regulis certisque finibus septa teneatur, sed progrediatur semper et magis magisque se

evolvat et amplificet; eo factum est ut primordia ejus mox sequentium philosophorum lumine obruerentur, veterumque inventa posteriores, qui clariora et ampliora cognovissent, contemnerent. Sic fontes despexerunt, unde ipsorum doctrina emanasset. Multi fuerunt qui omnem paene illam philosophiam, quae ante Socratem et Platonem viguisset, rudem et infantem existimarent, inanibus quaestionibus et vana jactatione plenam, sapientiae et eruditionis expertem. Itaque quod de Thalete fertur eum, quum aliquando in siderum contemplatione intentus imprudens decidisset in foveam, a muliercula derisum esse, quod in coelestibus rebus et abstrusis intuendis defixus, quae ante pedes essent non videret, similiter de universa illorum philosophia existimarunt, eam in vanis et abstrusis quaestionibus occupatam, utilitatis veritatisque fuisse inanem. Et quo magis firmaretur haec opinio, testem proferebant Socratem, qui non semel fateatur se ex illorum disquisitionibus nihil profecisse, et qui ideo potissimum parens philosophiae sit appellatus, quod, explosis superiorum argutiis, philosophiam de coelo devocasset et ad vitam hominum moresque traduxisset *. Quidam vero durius etiam in veteres illos invecti sunt, graves homines et religiosi, eos accusantes quod captionibus suis veritatis funda-

(*) Vid. Xenoph. Memor. I, 1, 11. Platon. Phaedon. p. 64. ed. Wyttenb.

menta labefactassent et religionis virtutisque semina divinitus in animis sparsa exstinxissent. Quis enim nescit, quam multi eorum fuerint ἄθεοι, ab ipsis veteribus suisque civibus damnati? Quid ergo? Eosne, quos illi e civitatibus suis arcendos censuerunt, nos amplectemur, eorumque disciplinam jam dudum obsoletam renovare et in philosophiae lucem proferre studebimus?

Hujusmodi ergo caussis aliisque factum est, ut vetus philosophia multis olim invisa, a pluribus contemta aut certe parum studiose tractata sit. Longum foret et ab hac disputatione alienum ad haec singula respondere. At tamen quis non videt, quamvis extollenda sit merito Socraticae philosophiae praestantia, et quamvis eorum qui antea exstitissent multi fuerint errores et ineptiae, non ideo tamen aut studium illorum vituperandum aut philosophiam negligendam esse, quae nisi ab exiguis initiis profecta variisque disceptationibus agitata fuisset, numquam talis exsistere, qualis in Platone et Aristotele fuit, potuisset.

Nimirum difficile et arduum fuit iter ad philosophiam: non enim, ut ceterae artes, vel in rerum usu et oculorum adspectu posita vel divino quodam mentis instinctu excitata est, sed remota a communi sensu

nec nisi multo labore et assidua mentis agitatione parta. Itaque veteris poëtae dictum

Non simul humano generi Dî cuncta dederunt,
Monstravit sed longa dies meliora repertis *,

optime in philosophiam transferri potest. Ecquis ergo miretur eos, qui primi hanc viam tentarunt, non nisi multis difficultatibus multisque erroribus consecutos esse ut ad altiora tendere et quasi in interius philosophiae sacrarium intrare liceret. Sed quo magis haec explicentur, de ejus studii origine et incrementis pauca disseramus.

Origo philosophiae non ab uno quodam auctore repetenda est, sed ducenda ex ipso Graecorum ingenio et humanitate, quae quum ad cultûs maturitatem pervenisset, sponte hominum animos quaerendi studio commovit et ad philosophandum deduxit. Prima effloruerat omnium artium poësis, parens humanitatis; erant poëtae iidem quondam atque sapientes et vates, solertia ceteris excellentes et divino ingenio praediti, quales apud Graecos Eumolpus, Musaeus, Orpheus, alii, fuisse feruntur. Hi primi feroces hominum mores voce formarunt et ex agresti incultaque vita ad mitiorem cultum traduxerunt; primi celebranda

(*) Xenophanis versus ex interpretatione H. Grotii. Vid. infra Fragm. XVI.

rerum natura et majestate divina inertes mentes ad religionis sensum excitarunt : sic et melioris vitae et divini cultus initia a poësi repetenda sunt. Rudes erant primorum hominum de natura notiones, sed naturali simplicitate, nullo artificio fucatae. Mox vero eas fingendi arte ornare coeperunt poëtae, in quibus principes Hesiodus et Homerus, qui pulcerrimam exprimentes naturae speciem Deos effinxerunt ad humanam similitudinem. Hi carminum suorum suavitate et elegantia ita tenuerunt Graecorum animos, ut eorum fabulae omnium consensione probatae quasi religionis auctoritate consecrarentur, ipsique Graecae mythologiae auctores vulgo haberentur *. Horum exemplum sequentes poëtae secuti fabulas suo quisque modo ornarunt et auxerunt, variisque Deos informarunt imaginibus; sic veteres fictiones novis deinceps augeri, variari, et immutari coeperunt. Temporis vero progressu, quo magis vita moribus formari artibusque excoli coepta est, eo magis etiam hominum studia et notiones se explicuerunt : veteres opiniones paullatim senescere, novae exsistere, quae tam poëtarum carminibus quam in mysteriis celebratae cultioris doctrinae semina disperserunt et maturiorem cogitandi sentiendique rationem praepararunt. Tandem coëuntibus temporum momentis, septimo fere ante Christum seculo, ingens facta est rerum conversio,

(*) Herodot. II, 53.

quae in Asia minori exorta, inde serpsit per Italiam et Siciliam, denique totam occupavit Graeciam, et maximam effecit rerum publicarum, disciplinae, studiorum immutationem. Civitates novis motibus agitatae, novis legibus conditae; artes pleraeque, quae ad vitae cultum pertinerent, inchoatae aut excultae; nova literarum et poëseos genera inventa et celebrata denique immutata jam sentiendi cogitandique ratio et ad altiorem humanitatis gradum perducta videbatur. Ergo quid mirum, hominum mentes novo quoque quaerendi studio impulsos fuisse, ut in rerum omnium divinarum humanarumque naturam diligentius inquirerent, quae veteres poëtice lusissent studiosius retractarent, sensuum imagines ad naturae veritatem revocarent? Hoc studium ut primum commotum est, mirabile quanto flagraverint discendi ardore: multi reliquerunt sedes suas, ut peregrinas regiones perlustrarent, exterarum gentium mores, civitatum instituta cognoscerent, prudentes homines et sacerdotes convenirent quorum sapientia fierent doctiores; multi res suas neglexerunt, quo liberius rerum contemplationi et doctrinae studiis vacarent. Quid multa? Tum primum illuxit philosophia quae a discendi studio et sapientiae amore nomen est adepta.

Philosophiae forma qualis initio fuerit, accuratius definire difficile est. Ut enim ea quae natura gignit,

vel quae arte efficiuntur, non statim suam propriamque formam exprimunt, sed primo confusa videntur, neque distinctis lineamentis neque corporis figura, sic philosophia, quum primum nasceretur, suam speciem non expresse ostendit, sed confuse et obscure, ut vix posset ab aliis disciplinae generibus discerni. Quaecumque cogitandi laborem quaerendique studium requirerent, ea omnia complectebatur philosophiae nomen. Versabatur in cognoscendis gentium et populorum rebus gestis, moribus, institutis, in explorando terrarum regionumque situ et natura, in contemplando siderum motu; philosophi iidem erant et astronomi, physici, geographi, historici, politici; omnes denique artes, quae postea sunt generibus distinctae, eo tanquam communi vinculo continebantur. Itaque amplissimus patebat philosophis doctrinae campus, per quem libere vagarentur nullis circumscripti regionibus. Sed tamen in tanta rerum varietate unum quiddam erat, quod praecipue teneret eorum mentes, naturae contemplatio : hanc universam animo peragrantes, rerum omnium caussas rationesque perscrutabantur et, quo quidque occultius esset eo studiosius admirati, tam universa quam singula indagarunt, tum animalium, plantarum, lapidum naturas, tum universi mundi originem, primordia, caussasque quibus orta essent omnia et quibus continerentur. Qui in hac contemplatatione intenti toto animo se

quaerendi studio dederent, hos demum philosophos appellandos esse Pythagoras censuit *.

In his autem cognoscendis varias secuti sunt vias: alii, vi sensuum commoti, quaecumque possent oculis perspicere, investigabant; alii, mentis instinctu incitati, abstrusiora persequebantur: sic plures exstiterunt philosophantium quasi familiae, Ionici, Pythagorei, Eleatici; quorum multiplici disquisitione tactae jam sunt gravissimae quaestiones, quas postea summi philosophi uberius pertractarunt. Sed qui primi ad haec accederent, quamquam incredibili essent scientiae ardore, tamen experientiae rerum erant expertes, in disserendo paene rudes, destituti plerisque discendi instrumentis, quibus naturae aditus est aperiendus; contra imbuti poëtarum fabulis, et ipsi, nisi poëtico plane ingenio, poëseos tamen colore tincti. Quo factum est, ut quae rerum observatione et cogitatione perspicere non possent, ea, mentis impetu incitati, fingendo supplerent: sic multa philosophorum commenta poëtarum fabulis fuerunt similes; cosmogonias finxerunt portentis et imaginibus plenas; tota denique eorum philosophia poëseos tactu colorata, non magis φιλόσοφος erat quam φιλόμυθος, tam fabularum quam veritatis amans, unde non immerito philosophia haec poëtica potest appellari. Verum

(*) Cicero Tusc. Qu. V, 3.

tamen, quamvis plena sit fictionum rerum veritatem obscurantium, apparent in his praeclarioris ingenii vestigia, quibus verae philosophiae vim agnoscas. E multis pauca afferamus exempla.

Philosophiae vis praecipue in eo cernitur ut rerum genera anquirat, quae in natura videntur dissoluta et dispersa, ratione componat, legibus adstringat, certisque comprehendat formis mente expressis, quas intueatur tanquam exempla et species eorum quae oculis adspiciuntur. Cujus sive artis sive notionis quum ipsa natura sensum quendam in animis impresserit, quo rudes etiam homines et indocti variarum rerum naturas et genera concipiant, universa quaedam principia agnoscant, summi rerum omnium principis et auctoris imaginem mente informent; philosophiae est, quae natura inchoavit, explicare, obscuras et complicatas intelligentiae notiones evolvere, aperire, certisque formis exprimere quo cuncta referantur. In his multa jam veteres illi acute viderunt. Veluti quum Deum esse antiquissimi jam homines crederent, tacita naturae praesensione, qualis vero esset, in infinita illa rerum varietate vix possent suspicari, accuratius explicare instituerunt philosophi: viderunt in perpetuo illo rerum fluxu et vicissitudine unum quoddam esse constans et ab omni mutatione vacuum; quam naturam animo informantes expresserunt talem, quae sola esset revera (τὸ ὄν),

sola divina et aeterna haberetur. Hinc celebratum illud decretum : ἓν τὰ πάντα, *unum esse omnia*. Neque tamen eo fuerunt contenti; processerunt longius. Mirabantur enim, si unum modo esset, unde oriretur tanta illa generum varietas, tanta naturae vicissitudo : intellexerunt ergo, esse in universitate et generum diversitatem et unam quandam vim qua cuncta constringantur. Quae notio posita quidem est in communi intelligentia et quasi Promethei igniculis, ut Plato fingit, in hominum animis sparsa *, explicuerunt vero philosophi et certa rationis forma comprehenderunt, principia universi statuentes εν καὶ πολλά, *unum esse et multa*. Porro si de vi divina quaeramus, cui ignota est Anaxagorae sententia, qui Deum statuit ipsam mentem (τὸν Νοῦν), caussam omnis naturae, qua et ab initio effecta et ordinata essent omnia et perpetuo regerentur; hunc esse totius mundi, coeli terrarumque, rectorem : ὡς Νοῦς ἐςὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς **. Si vero rerum naturam inspiciamus et perpetuae ejus vicissitudinis leges caussasque quaeramus, quis non admiretur Empedocleam sententiam, qua finxit duo principia inter se contraria, Amorem et Discordiam (Φιλίαν et Νεῖκος), quorum mutua contentione cum omnia perpetuo motu fluxuque agitentur, tum sempiternus naturae ordo con-

(*) Plato Phileb. p. 16 C.

(**) Plato ibid. p. 28

servetur. Quo placito praecepit jam et poëtice adumbravit idem quod tot seculis postea mathematicis rationibus demonstratum est a Neutono. ille Si parum docte diligenterque sententiam suam exposuit, at hoc in eo est etiam magnificentius, quod universi principia non ad naturalem quandam necessitatem, sed ad vim divinam retulit, qua omnia haec, quae supra et supter, tanquam uno vinculo constricta iisdem legibus gubernentur.

Possent multo plura afferri exempla; sed ex iis quae attuli satis patere arbitror, minime contemnenda fuisse veterum studia, eosque, licet in plerisque halucinarentur, multa tamen quasi philosophiae instinctu jam sensisse quae posteriores diligentius perspexerunt. Neque vero ipsae eorum fabulae, etiamsi veritatis sint expertes, prorsus spernendae sunt: in his enim cum multa apparet vetustatis effigies, tum initia cernimus a quibus profecta est philosophia et excrevit. Qui enim primi naturam intuerentur, quasi nebula obducti, de rebus divinabant potius quam certa ratione statuebant; paullatim demum, studii assiduitate exercitati rerumque usu edocti, eo pervenerunt, ut clarius cernerent et rerum rationes melius intelligerent. Etiamsi igitur fateamur veteres de plerisque tantum balbutiisse, at quis tamen balbutientis philosophiae voces contemnat nec lubenter

primos illos quasi radios exceptet, quibus clarior humanitatis lux paullatim adfulsit.

Si vero vetera illa diligentius persequi volumus, in multas saepe offendimus difficultates, eo maxime, quod plerorumque qui de his retulerunt testimonia aut leviora sunt aut obscuriora. Habemus quidem auctores illis aetate proximos, Platonem et Aristotelem, quorum scripta non magis ingenio quam doctrinae copia excellunt et multa veteris sapientiae monumenta conservant; verum hi, etsi saepe antiquiorum dicta tangunt et interdum memoriam celebrant, tamen quum non id agerent ut superiorum rationes et placita exponerent, sed ut accepta ab illis redderent ampliora, ea potissimum memorarunt quae vel laudarent ipsi vel reprehenderent, eademque sententiae suae plerumque accommodarunt. Patebant etiam tum doctorum studiis antiquitatis fontes, neque vulgo accuratiorem eorum explicationem desiderabant; si quae diligentius vellent cognoscere, ea in commentarios solebant referre unde ipsi ad usus suos expromerent. Itaque ut universa literarum, sic philosophiae historia antiquis fuit paene intacta. Accuratius haec persequi instituerunt seriores, et jam inde a Theophrasto, qui cum in physicis sententias veterum latius explanavit, tum singulari etiam libro physicorum opiniones carptim enarravit *. Maxime

(*) Φυσικῶν δοξῶν ἐπιτομαί.

vero, postquam literae e Graecia Alexandriam transmigrarunt, cum augeretur in dies et philosophantium numerus et opinionum discrepantia ac veteres fontes jam exarescere coepissent, philosophi et literati homines in antiquitatis pervestigatione occupati eo operam dederunt, ut vetustatis reliquias et placita undique colligerent, dispersa componerent et ordine digererent. Hinc magnus exstitit librorum numerus priscorum placita explicantium, quorum ipsa multitudo antiquiorum scriptorum auctoritati offecit et ipsos fontes paene obruit. Ab his rivulis ducta sunt pleraque illa philosophiae compendia quae ad nostram aetatem pervenerunt, Plutarchi, Galeni, Origenis, Stobaei, aliorum, quae nota sunt omnibus. Horum quae ratio sit, ipsi librorum tituli indicant. Non enim mentem et sententiam philosophorum explicant, sed placita tantum designant, certo ordine disposita, brevibus inclusa sententiis, adeo exiliter, adeo jejune, ut ne umbram quidem referant antiquitatis: e quibus si quis putet illorum rationem posse intelligi, haud melius existimet quam si ex Iliadis quadam epitome Homeri ingenium vellet judicare. Majus quiddam et amplius desiderat philosophiae cognitio. Ut enim gentium historia non eventuum actorumque notatione contenta est, sed et caussas eorum et consilia quaerit, et rerum opportunitates temporumque momenta designat, et ut cujusque populi mores, studia, cultus significetur, exspectat; sic phi-

losophiae historia non placitorum notatione contenta est, sed et singulorum rationes indagat et universam eorum vim mentemque pertractat, et in cujusque philosophi sensum, cogitationem, maturitatem inquirit; quae nisi ita exponantur, ut adumbrata saltem cernatur vetustatis effigies, profecto ipsa placitorum cognitio (si ea tamen cognitio possit appellari) jejuna ac paene inanis putanda est.

Horum paene nihil ex compendiis istis perspicias; neque solum manca sunt et jejuna, sed praeterea multis vitiata erroribus. Nam quum singula tantum notarent decreta, nulla ratione inter se juncta, sed quasi membra a corpore divulsa, omni argumentatione denudata, eo factum est ut pleraque parum recte intelligerent, sententiam illorum suo judicio accommodarent, et perverse interpretando vel potius interpolando eorum mentem obscurarent. Ita, exempli gratia, veterem philosophiam, nulla adhuc partium distributione divisam, illi pro suo arbitrio in certa loca descripserunt, certasque constituerunt philosophorum classes: alios dialecticen, alios ethicen, alios physica vel metaphysica docuisse narrant; similiter ad methodum alios faciunt dogmaticos, alios scepticos; in quibus tamen omnibus ita ambigunt et inter se dissident, ut facile intelligatur, ista omnia non e veterum auctoritate sed ex illorum arbitrio fluxisse.

Hi igitur quum tali ratione vetera omnia confuderint, non mirum ab eruditioribus eorum testimonia, nisi locupletiorum auctoritate firmarentur, haud magni aestimata fuisse. Neque tamen plane spernenda sunt. Pleraque enim placita ab iis commemorata e melioribus ducta sunt fontibus, e quibus hi tanquam rivuli ad tempora nostra manarunt; qui si multis sunt sordibus contaminati, plura tamen in iis insunt vetustatis vestigia, quae si diligentius eruantur, non dubium est quin ad illustrandam veterem philosophiam plurimum conferant.

Ac multa quidem horum jam dudum docti homines, qui in literarum et philosophiae historiam operam studiumque contulerunt, ingenii sagacitate et doctrinae copia declararunt; quibus studiis in dies magis magisque auctis et explicatis jam id consecuti sumus, ut multo clariorem et locupletiorem habeamus veteris philosophiae notitiam. Nec pauca tamen relicta sunt tam in singulis placitis quam in universa eorum doctrina, quae accuratiorem explicationem desiderant. Ad haec illustranda in praecipuis doctrinae subsidiis ponendae sunt ipsae antiquitatis reliquiae, ipsa philosophorum dicta quae sparsim apud scriptores commemorantur. Etsi non integrae quidem supersunt illorum disputationes, sed non nisi fragmenta quaedam quasi tabulae e communi naufragio relictae, haec tamen sunt ipsius vetustatis mo-

numenta, quae et auctoritate multo plus valent quam seriorum testimonia, et multo clarius eorum mentem illustrant, et quasi expressis vestigiis viam nobis indicant quo in explicandis reliquorum testimoniis judicium nostrum dirigamus.

Praeterea alia est etiam horum utilitas. Quod enim in omni literarum genere, in poësi, in eloquentia, diligenter studemus, ut non modo quid dictum sit, sed quo quidque modo dictum sit, cognoscamus, idem in philosophia attendendum est. Namque ut poëtae ingenium, ut oratoris vim, nisi percepta eorum voce, sentire non possumus, similiter philosophi judicium et mentem perspicere non poterimus, nisi, qua disserendi ratione, quibus verbis notiones suas expresserint, cognoverimus. Quae quidem cognitio in Graecorum lingua eo majorem habet studii delectationem et fructum, quod haec non ad aliarum gentium similitudinem efficta, sed ipsius populi ingenio expressa, ita refert eorum mentem et studia, ut in hac tanquam in speculo omnis eorum cultus et humanitas refulgeat. Exculta primum a poëtis ita ornata est orationis ubertate verborumque lumine, ita ad numerorum suavitatem composita, ita ad omnes animi sensus motusque effingendos formata, ut poëseos et musicae vis in ea maxime dominetur. Post vero, quum Graecorum ingenia a poëseos studio ad philosophiam maturescere coepissent, etiam lingua eorum magis

magisque limata et subtilius exculta est, ut quasi una adolescens maturioris ingenii habitum referret. Philosophi enim novam animo informantes naturae speciem et novas effingentes rerum notiones, quaesiverunt etiam nova vocabula et verborum significationes; perscrutati sunt linguam, ut notitias in ea tanquam in vestigio repositas eruerent et doctrinae luce illustrarent: sic e philosophia etiam grammatices et rhetorices initia effloruerunt. Satis ergo intelligitur, ambo haec, et philosophiam Graecorum et ipsam linguam, arctissime fuisse conjuncta, et illius reliquiis explicandis hujus cognitionem illustrari. Multa enim in his exstant orationis et verborum vestigia, quae indicant, quomodo Graecorum lingua a poëtica venustate ad philosophiae subtilitatem exculta sit et ad eum perfecta eruditionis gradum, ut orationis elegantia, ubertate, acumine, omnes alias linguas superaret. Quae cognitio non magis ad antiquitatis quam ad omnem doctrinae scientiam est utilissima.

Sed quid plura commemorem? Quantae utilitatis sit horum indagatio et omnes agnoscunt et jam dudum eruditissimi homines probarunt, qui in his aperiendis operam suam posuerunt. Quorum in primis memorandus est H. Stephanus qui, edita *Poësi philosophica*, principum nonnullorum ex antiquissimis philosophis fragmenta collegit, utilissimo sane opere, etsi pro illius aetatis ratione nulla paene arte

limato, nullo doctrinae lumine illustrato; plura etiam omisit quae tum adhuc vel latentia vel incognita serior demum aetas in lucem protulit. Postea vero, maxime nostra aetate, multi et literatissimi homines ad haec studia se contulerunt, Brandisius, Boeckhius, Schleiermacherus, Sturzius, Schaubachius, alii, qui singulorum fragmentis explicandis multum lucis attulerunt philosophiae. Quorum nos exemplum secuti proposuimus veterum philosophorum, eorum maxime qui ante Platonem floruerunt, fragmenta recensere : in his principes erunt Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Anaxagoras, Heraclitus, Democritus, aliique doctrinae ratione cum his conjuncti; fortasse adjungemus etiam Pythagoreos, Philolaum praesertim et Archytam, item Orphica quaedam et alia, prouti otium, studium, doctrinae facultas meum laborem moderabitur.

Horum autem quamquam multa jam ab aliis sunt tractata, tamen sic agere institui, ut omnia ex ipsis fontibus depromta recenseam et, adhibitis illorum operibus, mea ratione illustrem; tum etiam quaestiones subjungam, quibus gravissima eorum philosophiae placita et rationes declarentur. Opus autem ita describam, ut et singuli auctores singulis voluminibus absolvantur et omnes inter se ordine quodam cohaereant.

Jam initium facturus sum a Xenophane, Eleaticorum auctore, de quo in hoc volumine agetur. In colligendis hujus fragmentis studui me esse diligentem, tamen num quaedam fortasse me fugerint a quotidiano librorum commercio et literatorum frequentia remotum, etsi non credo, affirmare tamen non audeo. Haec autem quoniam erant pauciora quam ut sententia ejus inde perspici posset, eo studiosius persecutus sum scriptorum testimonia illius placita referentium, ut horum copia quodammodo illorum penuriam compensaret.

De Xenophane qui singulatim scripserunt, praeter alios memorandi Feuerlinus et Roschmannus; uterque scripsit *Dissertationem Histor. Philosoph. de Xenophane*, editam Altdorf. 1729, 4°. Utrumque autem scriptum adeo rarum est, ut paene jam e doctorum notitia evanuerit. Equidem cum diu frustra quaesîssem, contentus esse debui iis quae alii inde retulerunt. Neque tamen magni facienda videtur haec jactura, quum non dubium videatur quin pleraque, deinde ab aliis retractata, jam diligentius exposita sint.

Xenophanis fragmenta quae ad philosophiam pertinent recensere instituit Fülleborn, *Beytraege zur Geschichte der Philosophie*. Copiosius et eruditius explicuit Chr. Aug. Brandis, edita *Commentationum Eleaticarum parte prima*, Altonae 1813, in qua Xe-

nophanis, Parmenidis et Melissi doctrinam e propriis ipsorum reliquiis exposuit. Nuperrime his accessit Victor Cousin, *Nouveaux Fragmens philosophiques*, Paris 1828, quibus interposita est pp. 9-95 dissertatio de Xenophanis vita, studiis, doctrina, copiose, eleganter eruditeque scripta. Desiderabatur vero adhuc plenior et limatior Xenophanis fragmentorum συναγωγή; itaque et hanc comparavimus et quaecumque de eo relata sunt, adhibitis illorum copiis, ita exposuimus, ut neminem dicturum arbitrer, me ex aliorum scriniis scripta mea compillasse

DE XENOPHANIS VITA, AETATE, STUDIIS.

§ 1.

Xenophanes *Colophonius*, patriae quam patris nomine illustrior: patrem ejus alii Ὀρθομένους nomine appellatum esse tradunt, ut Apollodorus, alii Δεξιὸν vel Δέξινον eum nominant [1]. Quae discrepantia possit inde orta videri, quod alius quoque memoratur *Xenophanes Lesbius*, poëta iambicus, apud Diogen. Laert. IX. sect. 20. extr. quorum utriusque nomina et genus fortasse confuderint. Quamquam id incertum, et parum scire interest, quum de patre ejus nihil memoriae sit proditum. Patria autem *Colophon*, Ionum in Asia civitas, non minus quondam divitiarum luxu et potentia fuit insignis quam poëtarum ingeniis et fama nobilis; quorum memoriam Nicander, Colophonius idem et poëta clarus, scripto quodam celebrasse memoratur: horum prae caeteris *Mimnermus*, elegiarum poëta, et *Xenophanes* ingenii laude eluxerunt [2].

(1) Diogen. Laert. IX. 18. Ξενοφάνης Δεξιοῦ, ἢ, ὡς Ἀπολλόδωρος, Ὀρθομένους, Κολοφώνιος. Cum Apollodoro faciunt pseudo-Origenes et Theodoretus; Lucianus in macrobiis sect. 20. (T. III. p. 222. Hemsterh.) Δεξίνου υἱὸν eum appellat. Civitatis nomen ὁ Κολοφώνιος ipsius nomini plerumque adjungi solet, ab Aristotele, Cicerone, Plutarcho, Clemente Alex. ceteris, quos suis locis citabimus.

(2) Nicandri liber περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν citatur ab ipsius scholiaste ad Theriac. v. 3. cf. Schellenberg de Antimachi Colophonii rell. p. 7.

Hujus autem aetatem accuratius definire difficile est, quod et veteres, quorum testimonia accepimus, in notandis ejus temporibus et aequalibus memorandis magnopere dissident, nec recentiores in iis, quae de aetate rebusque ejus prodita sunt, describendis temporumque ordine constituendis inter se conveniunt.

§ 2.

E veteribus duo praecipue memorandi sunt testes gravissimi, Timaeus et Apollodorus; quorum hic Xenophanem Olymp. 40 natum ad *Cyri* et *Darii* usque aetatem vixisse ait; ille autem *Hieroni*, et qui sub eo floruit, *Epicharmo* eum facit aequalem. Clemens Alex. Strom. I, p. 301. C. τῆς δὲ Ἐλεατικῆς ἀγωγῆς Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος κατάρχει, ὅν φησι Τίμαιος κατὰ Ἱέρωνα, τὸν Σικελίας δυνάστην καὶ Ἐπίχαρμον τὸν ποιητὴν γεγονέναι· Ἀπολλόδωρος δὲ κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν Ὀλυμπιάδα γενόμενον παρατετακέναι (τὸν βίον) ἄχρι τῶν Δαρείου τε καὶ Κύρου χρόνων [3]. Horum testimonia quantum dis-

Strabo L. XIV, § 28, p. 643: ἄνδρες δὲ ἐγένοντο Κολοφώνιοι τῶν μνημονευομένων Μίμνερμος, αὐλητὴς ἅμα καὶ ποιητὴς ἐλεγείας, καὶ Ξενοφάνης —.

(3) Postrema haec verba, ἄχρι τῶν Δαρείου τε καὶ Κύρου χρόνων, merito suspecta sunt, ut jam notavit Dodwellus de veteribus Graec. et Rom. cyclis p. 135. Nam *Darius Nothus* et *Cyrus* minor, illius filius, recentiores sunt, quam ut hic intelligi possint; *Medum* autem Regem, Cyri majoris decessorem, quem sacrae literae *Darium* nominant, Apollodorus certe hoc nomine non appellavit. Si ergo *Darius Hystaspis*, ut plerisque videtur, intelligendus sit, mutato ordine scribi oportuit, ἄχρι τῶν Κύρου καὶ Δαρείου. Bayle in diction. v. *Xenoph.* conjiciebat pro Δαρείου reponendum esse nomen Κροίσου. Origenes Philosoph. C. XIV. Opp. T. I. simpliciter dicit: ὅυτος ἕως Κύρου διέμεινεν, nulla *Darii* facta mentione; quod nescio an probandum sit.

crepent, temporum computatione patebit. Hiero Syracusis rerum potitus est Olympiadis 75. a°. 3; inter hanc igitur et 40 Olympiadem centum et quadraginta anni intersunt: unde facile apparet Xenophanem, si postrema hac Olympiade natus fuerit, non modo aequalem Hieroni non fuisse, sed ne attingere quidem hujus aetatem potuisse. In hoc testimoniorum dissensu ceteri partim hunc partim illum sequuntur. Cum Apollodoro congruit gravis item auctor Sotion apud Diogen. Laërt. IX. 18, qui aequalem illum statuit *Anaximandro*, qui Olymp. 42 natus est; tum etiam Sextus Empiricus adv. Mathem. I, c. 12. sect. 257. qui inter difficiliores grammaticorum quaestiones hoc tanquam probatum ponit, ὅτι Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἐγένετο περὶ τὴν τεσσαρακοστὴν Ὀλυμπιάδα. Timaeo vero propius accedere videtur Eusebius, auctor non admodum locuples, in Praepar. Eu. XIV. p. 757, extr. Ξενοφάνης — λέγεται συνακμάσαι τοῖς ἀμφὶ Πυθαγόραν καὶ Ἀναξαγόραν [4]. Non luculentum profecto testimonium: siquidem *Pythagoras* et *Anaxagoras*, quos ille veluti aequales conjungit, tantum aetate distabant, ut prius paene alter mortuus esset quam natus alter; nisi hoc fortasse voluerit, Xenophanis aetatem ita inter utrumque intercessisse, ut illum natu majorem adolescens, hunc adolescentem senex viderit. Qua interpretatione Eusebii ratio cum Timaeo prorsus conveniret.

Jam ut eos omittam, qui Xenophanem *Empedoclis* aequalem aut *Archelai* auditorem faciunt [5], quo-

(4) Idem repetit Praepar. Eu. X, p. 504. C. Syncell. Chron. p. 190, 203. quod testimonium repudiavit jam Schaubach. Anaxagor. fragm. p. 5. Caussa ejus erroris haec videtur fuisse, quod tres illos philosophos, ut doctrina et ratione inter se affines, sic aetate etiam pares esse putarunt.

(5) Hermippus apud Diogen. L. VIII, 56. *Empedoclem* cum

rum sententia omnis temporum ordo pervertitur (uterque enim Anaxagora etiam posterior fuit); explicanda sunt ea quae in Eusebii canone chronico notata reperiuntur, ubi duobus locis Xenophanis mentio fit: primum ad Olymp. 56, a. 4. Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἐγνωρίζετο. iterum ad Olymp. 60, a. 2. Φωκυλίδης καὶ Ξενοφάνης φυσικὸς τραγῳδοποιὸς ἐγνωρίζετο [6].

Postremum hoc etiam Diogenes Laërtius comprobat IX, 20: ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Circa idem tempus e philosophis *Pythagoras*, e poëtis *Anacreon* floruerunt, dum *Polycrates* Samiorum tyrannus potentia maxime invalescebat. Quibus omnibus Xenophanem aequalem fuisse ait auctor Theolog. Arithm. p. 40, ed. Boeckh. φ' γαρ καὶ ιδ' ἔτη ἔγγιστα ἀπὸ τῶν Τρωικῶν ἱστορεῖται μέχρι Ξενοφάνους τοῦ φυσικοῦ καὶ τῶν Ἀνακρέοντός τε καὶ Πολυκράτους χρόνων καὶ τῆς ὑπὸ Ἁρπάγου τοῦ Μήδου Ἰώνων πολιορκίας καὶ ἀναστάσεως, ἣν Φωκεῖς φυγόντες Μασσαλίαν ᾤκισαν· — πᾶσι γὰρ τούτοις ὁμόχρονος ὁ Πυθαγόρας. *Har-*

Xenophane dicit esse versatum: quo etiam dictum quoddam refertur, quod infra memorabimus. Ipse etiam Diogenes prooem. sect. 15. refert Xenophanem successisse *Telaugae* Pythagoreo, quem eumdem Empedoclis magistrum quidam fecerunt; ibid. VIII. 43. De Archelao memorat idem IX, 18. διήκουσε δὲ — ὥς τινες, Ἀρχελάου. Lucian. in Macrob. l. l. Ξεν. δὲ ὁ Δεξίνου μὲν υἱὸς, Ἀρχελάου δὲ τοῦ φυσικοῦ μαθητής.

(6) Duplici hac mentione quidam in errorem inducti sunt, ut putarent, priori loco Xenophanis annum natalem significari, ut Brucker T. I, p. 1144. Fortasse pro ἐγνωρίζετο legi hic putavit ἐγίνετο; quod probabile posset videri, nisi saepius ille canonis chronici auctor soleret in notandis temporibus diversa proferre testimonia: veluti de Bacchylide ad Olymp. 78, 2. et Olymp. 87, 2.

In altero autem loco Hieronymus Latine hanc exhibet lectionem: « Simonides Lyricus et Phocylides clari habentur, et Xenophanes Physicus scriptor tragoediarum. » *Simonidis* nomen e Graeco contextu potuit excidere, ut putat Cl. Van Goens de Simonide. p. 20. Quamquam ea aetate hic juvenis adhuc esset.

pagi expeditio adversus Iones et Phocaeensium fuga facta est Olymp. 59, a. $\frac{1}{2}$; *Polycrates* autem Samius maxime floruisse videtur Olymp. 62: unde apparet, haec cum Eusebii et Diogenis testimoniis plane congruere.

Hoc quidem tempus, quo Xenophanis summa ingenii gloria determinatur, medium quodammodo tenet inter aetatem ab Apollodoro et a Timaeo designatam. Nam si, ut ille statuit, quadragesima Olympiade natus esset, jam octogenarius fuisset tum, quum maxima ingenii fama floreret: quod, etiamsi ad summam senectutem vixit et viguit, tamen non est probabile; neque magis congruum est, si sexagesima Olympiade Xenophanes inclaruerit, eundem, ut Timaeus prodit, sub Hierone, qui sexaginta post annis Syracusis regnavit, adhuc floruisse aut inter aequales ejus potuisse haberi.

§ 3.

Haec de antiquis: videamus jam recentiores, quorum non minus diversae sunt rationes. Quidam Xenophanem etiam antiquiorem fecerunt quam statuit Apollodorus: quae quamvis literatissimorum hominum fuerit opinio [7], tamen cum nulla veterum auctoritate, nullo probabili argumento nitatur, omittenda est. Plerique Timaeum potissimum secuti eum multo aetate inferiorem arbitrati sunt, testimonio usi ipsius versu:

Πηλίκος ἦσθ' ὁ Μῆδος ἀφίκετο;

in quo *Medici* sive *Persici* belli facit mentionem [8].

(7) Ita Scaliger Animad. ad Euseb. chron. can. p. 96. censet; idem suspicabatur Corsinus F. A. T. III, p. 59, qui tamen tutius arbitratur Apollodori auctoritatem sequi.

(8) Vid. infra fragm. XVII.

Hoc testimonium plerisque persuasit, ut Xenophanem post pugnam Salaminiam aut certe Marathoniam superstitem fuisse putarent : quarum haec Olympiade 72, illa Olymp. 75 facta est. Unde collegerunt, illum certo non ante quinquagesimam Olympiadem, sed potius aliquanto postea natum esse, ut recte diceretur a Timaeo Hieronis aetate vixisse. Ita Casaubonus, Dodwellus, Baelius, Feuerlinus, Bruckerus, Harlesius arbitrati sunt [9] : nemo suspicabatur, aliam posse Medorum invasionem intelligi quam eam quae, *Dario* vel *Xerxe* regnante, in Graeciam facta esset. Id vero redarguit nuper Clar. Victor Cousin, literatissimus inter philosophos [10], qui probat Xenophanis dictum ad superiorem potius spectare Medorum expeditionem, *Harpago* duce, adversus Graecos Asiam incolentes susceptam, qua plerique Persarum imperio subjecti, nonnulli vero praesertim Phocaeenses, relicta patria, navibus profecti sunt partim in Galliam, ubi Massiliam frequentarunt incolis, partim in Italiam, ubi condiderunt Veliam ; in quam civitatem postea ipse Xenophanes habitatum concessit. Quid ergo memorabilius ei hac expeditione poterat haberi, quae tam publicis ejus quam privatis rebus esset conjuncta ? Eaque rerum mutatio in ipsum illud incidit tempus, quo floruisse Xenophanem veteres memorant : quocirca non videtur de hac interpretatione posse du-

(9) Casaubon. Animadv. ad Athen. p. 110. Dodwell. de veteribus Graec. et Roman. cyclis. Diss. III, p. 134. qui non solum Xenophanem, sed alios quoque, ut Epaminondam et Pythagoram, facit seriores. Bayle Diction. in *Xenophan.* qui tamen in constituenda ejus aetate fluctuat. Feuerlinus Dissert. hist. philos. de Xenophane; cujus disputationis summam refert Harles. in Fabricii Biblioth. Gr. T. II. p. 614. Brucker Hist. crit. philos. T. I, p. 1143.

(10) Nouveaux fragmens philos. p. 12-15.

bitari. Quid autem? si recentiores hoc errore falsos videmus, nonne idem veteribus accidisse credibile est, ut bella a Dario et Xerxe Graeciae illata cum superiore bello, quo Cyrus Ionicas civitates oppressit, confuderint? inde natam esse quorundam opinionem, Xenophanem Hieroni, qui Xerxe regnante floruit, fuisse aequalem? Simili quoque errore factum est, ut Massiliam, quam Cyri temporibus incoluerunt Phocaeenses, quidam regnante Dario Hystaspis conditam retulerint; in quo similiter prorsus confusa sunt tempora [11].

§ 4.

Haec satis valent ut Timaei auctoritatem relinquamus, probemus autem eos, qui Xenophanis florem in sexagesimam fere Olympiadem incidisse tradunt. Quod quidem testimonium cum Apollodori sententia facillime conciliari putat Clar. Cousin [12], atque statuit, Xenophanem 40 Olympiade natum, quum maximam aetatis partem peregrinando transegisset, provecta jam senectute atque octogenarium maxime inclaruisse, et ad 64 Olympiadem, qua Darius regnum occupavit, fuisse superstitem.

Haec tamen opinio vereor ut possit omnino probari. Nam quamvis vegetam ille et gloriosam habuerit senectutem, vix tamen est probabile eum tam grandi demum natu inclaruisse: tum potius videtur, cum

(11) Vid. Vossius ad Justin. XLIII, 3, 4. Pari modo Eusebius in chron. canone *Pythagoram* ponit *Dario Hystaspis* aequalem, Olymp. 65, A. 1.

(12) Opere laud. p. 11. Similiter arbitratur Fabricius ad Sext. Empir. adv. Mathem. I, p. 270. A.

Graeciam perlustraret, nomen ejus factitandis carminibus illustratum esse. Sed alia quoque sunt indicia. Primum commemorant ipsius quoddam testimonium de *Epimenide* (apud Diog. Laërt. I, sect. 111.), de cujus aetate Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἀκηκοέναι φησὶ, τέτταρα πρὸς τοῖς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη illum vixisse. Epimenidem non multo post Olymp. 46 mortuum esse probabile est : ergo, aiunt, si Xenophanes id a natu majoribus se audivisse dixit, apparet eum posterius demum vixisse [13]. At cum Diogenes eum non a natu majoribus id accepisse, sed tantum audivisse dicit, quidni possunt aequales ejus intelligi, qui Epimenidem ipsi vidissent? Itaque hoc quidem levioris est momenti. Gravius illud, quod de *Pythagorae* aetate relatum est; cujus placita et doctrinam aemulatum esse Xenophanem, vulgo creditum est. Quod, etiamsi non audiamus Diogenem Laërtium, qui Telaugae Pythagorei eum dicit auditorem, sed eos potius sequamur, qui ipsi Pythagorae aequalem faciunt [14], satis tamen declarat, eum non superiorem Pythagora, sed natu potius inferiorem fuisse. Quid? quod ipsius feruntur Xenophanis versus, quibus celebratum illud metempsychoseos placitum tangit, et de Pythagora sic prodit, veluti hominum fama de

(13) Hoc argumento utitur Dodwell. de veter. Graec. et Roman. cyclis p. 134. Epimenidis aetatem hic facit etiam seriorem, quem statuit Olymp. 54, a. 4. esse mortuum, quod merito Cl. Heinrich. Epimenid. p. 24 improbavit. Dodwellum laudat et sequitur Harles. in Fabric. Bibl. Gr. T. II, p. 615.

(14) Diogen. L. prooem. sect. 15, Italicae sectae hanc seriem fuisse dicit : Φερεκύδους (διήκουσε) Πυθαγόρας, οὗ Τηλαυγὴς ὁ υἱὸς, οὗ Ξενοφάνης, οὗ Παρμενίδης. Hic Eleaticam sectam et Pythagoricam, cognatas quidem illas, attamen diversas inter se confudit. Aequalem *Pythagorae* Xenophanem facit auctor Theolog. l. l.

eo accepisset [15]. Jam Pythagoram circa Olympiadem 60 et postea in Italia floruisse, inter plerosque convenit: quod si Xenophanes jam tum fuisset octogenarius, quis eum novae hujus disciplinae aemulum fuisse credat? Et si verum sit, quod multi probabili ratione arbitrantur, Pythagoram non ante Olymp. 69 esse mortuum, quomodo potuerat Xenophanes, si viginti jam annis ante decessisset, sic de eo commemorare? Ex his apparet quam incongruum sit, quod non animadvertit Clar. Cousin, Xenophanis placita ad Pythagoream doctrinam referre [16], ipsum tamen aetate illo superiorem facere. Ergo nisi probari possit, Pythagoram ejusque doctrinam prius, quam plerique arbitrantur, in Italia floruisse, concedendum est, Xenophanem non ad Olympiadem 64 vixisse, sed multis annis fuisse inferiorem.

Praeterea alia his accedunt indicia. *Medorum* impetus, cujus in versu quodam meminit, factus erat Olymp. 59: hunc ille memorat tanquam rem dudum antea gestam; ut appareat, id multis annis postea ab eo scriptum esse. Porro *Velia* Italiae urbs condita a Phocaeensibus Olymp. 61, quam conditam habitavit deinde et versibus celebravit Xenophanes: unde colligi potest a condita hac urbe ad ejus mortem haud exiguum annorum intervallum fuisse. Satis haec omnia videntur probare Xenophanis aetatem, non ut Apollodorus statuit, intra quadragesimam et sexagesimam quartam Olympiades contineri, sed aliquanto inferiorem esse ponendam.

(15) Vid. infra fragm. XVIII.

(16) Quod saepius ille et recte dicit, veluti p. 21. — « l'école Pythagoricienne qui renfermait le germe de l'école d'Élée et qui peut en être considérée comme la mère. »

Ergo si ejus tempora diligenter determinare velimus, quanta in rerum obscuritate et opinionum dissensu versemur, apparet. Nimirum cum veteres in rerum hominumque temporibus, iis praesertim quae bella Persica praecesserunt, notandis parum fuissent diligentes, pleraque a posterioribus probabili conjectura definita sunt : ea multorum errorum caussa fuit. Quamobrem nec Timaeum in memoranda Xenophanis aetate peccasse mirandum est, neque Apollodoro, in natali anno definiendo, fides facile habenda. Quid vero annum quaeramus, cum aetas ejus si non arcte definiri, probabiliter tamen designari possit? Flos ejus in Olymp. 60 incidit, ut veteres testantur; et quantum ex rerum temporumque monumentis colligi potest, probabile est, eum non ante Olymp. 70 decessisse; ergo nec ante 45 Olymp. natum esse, cum vita ejus centum fere annis completa fuerit : itaque vixerit fere a. Chr. 600-500. In hanc aetatem pleraque cadunt, quae a veteribus notantur : sic puer ille aut infans adhuc fuerit, grandi jam natu Epimenide; Anaximandrum natu majorem adolescens viderit; porro Pythagorae fuerit paene aequalis; denique extrema ejus senectus cum ineunte Hieronis adolescentia congruat.

Haec de Xenophanis aetate, in quibus disserendis longiores fuimus tam propter multorum dissensiones, quam praesertim propter ipsius rei momentum, quod haec quaestio valet ad ipsam philosophi doctrinam et rationem, quae cum temporum ordine rerumque opportunitatibus arctissime conjuncta est, explicandam.

§ 5.

De vita autem rebusque ejus non nisi pauca sunt memoriae prodita. Natus, ut diximus, Colophone,

juvenis jam reliquit patriam, non tam sua voluntate quam publicarum rerum rationibus, ut videtur, impulsus [17]. Nam cum adolescentia ejus in ea rerum tempora incidisset, quibus pleraeque Ionum civitates, ac praesertim Colophonii, tam divitiarum luxuria quam Lydorum consuetudine fracti et corrupti, a majorum virtute et disciplina prorsus degenerassent, non mirum, Xenophanem perditos civium mores exosum vel sponte sua vel principum invidia coactum discessisse [18]. Deinde peregre profectus non certum habuisse videtur vitae domicilium, sed variis Graeciae civitatibus perlustrandis maximam aetatis partem transegisse. Erat autem poëseos studio deditus et non tantum factitabat carmina, sed, ut illis temporibus mos erat, ipse rhapsodorum modo ea publice recitabat, ut Diogenes Laërtius dicit : αὐτὸς ἐῤῥαψῴδει τὰ ἑαυτοῦ [19]. Cui studio quum apud Graecos, illa praesertim aetate, neque honos neque praemia deessent, Xenophanem hac facultate et victum et famam sibi parasse probabile est. In quibus autem civitatibus fuerit versatus, non plane proditum est. Diogenes memorat eum Zanclae et Catanae, quae erant Ionum in Sicilia coloniae, esse commoratum. Si nonnullorum famae credendum sit, etiam Athenis videatur

(17) Diogen. Laert. IX, 18. οὗτος ἐκπεσὼν τῆς πατρίδος κ. τ. λ. verbum ἐκπίπτειν de *fugâ* aut de *exsilio* dici solet.

(18) Colophoniorum luxuriam et libidinem notat in Elegiae fragm. XX.

(19) Wolf. proleg. ad Homerum p. XCVIII, de rhapsodorum arte dicit : « fuit diu haec unica via publice prodendi ingenii, ut etiam Xenophanem poëmata sua ipsum ῥαψῳδῆσαι legamus, » apud Diogenem L. IX, 18; quem locum, ut annotat, Rossius in Comment. Laërt. non melius accepit, quam Feuerlinus in Diss. de Xenophane, p. 21.

esse versatus : nam et *Botonis* cujusdam Atheniensis (etsi hujus ne nomen quidem constat [20]) eum auditorem fuisse ferunt, et dictum ejus quoddam memoratur ad *Lasum Hermionensem*, celeberrimum musicum, qui Athenis apud Hipparchum vixit. Plutarchus vero etiam dictum ejus ad *Aegyptios* refert : unde colligi posset, hanc quoque regionem fuisse ab illo perlustratam [21]. Sed hujusmodi testimonia, quae incerta et fallaci hominum fama nitantur, quam parum atque adeo nihil habeant auctoritatis res ipsa indicat. Probabilius est, Xenophanem in Magna Graecia potissimum esse versatum, quae regio Ionum consuetudine et coloniis tum maxime frequentata erat. Harum civitatum nonnullae quum a tyrannis tenerentur, quorum Sicilia semper fuit feracissima, non mirum, horum quoque mores et studia Xenophanem esse expertum : eo certe refertur dictum quoddam a quibusdam ei tributum, quo jubet τοῖς τυράννοις ἐντυγχάνειν, ἢ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα [22]. Hinc facile factum videtur, ut nonnulli, qui tempora confunderent, eum apud *Hieronem* Syracusis versatum et cum Agrigentino *Empedocle* collocutum putarent [23]. Postea vero

(20) Diogen. l. l. ἐν Ζάγκλῃ τῆς Σικελίας διέτριβε καὶ ἐν Κατάνῃ· διήκουσε δὲ κατ' ἐνίους μὲν οὐδενός, κατ' ἐνίους δὲ Βότωνος Ἀθηναίου.

(21) Utrumque dictum infra retuli in fragm. XXXIV et XXXVI.

(22) Ibid. XXXIX.

(23) Hieronis dictum mox memorabitur. Quam multa in hoc genere a scriptoribus partim ficta partim confusa sint, nemo ignorat. Unum tantum exemplum memorabo, huic non dissimile. Stesichori fabulam, quam ille in *Phalaridem* tyrannum fecit, auctore Aristotele Rhet. II, 20, in *Gelonem* transfert Conon, Narrat. 42. qui multis annis fuit serior. Rerum similitudo temporum confusioni locum dedit. Xenophanis dictum ad Empedoclem retuli in fragm. XXXVII.

quam Phocaeenses Cyri dominationem fugientes in Italiam se recepissent, ibique coloniam postea Ὑέλην sive *Veliam* appellatam condidissent, Xenophanes provectior jam aetate eodem migrasse et hanc sibi sedem delegisse videtur.

Hujusmodi ejus vitae ratio fuit, quae multas sane ei praebuisse videtur tam ingenii acuendi quam doctrinae comparandae opportunitates, quarum copia ejus aetate haud defuit. Adolescens enim quum in Ionia versaretur, vigebat Ionica Philosophia, auctore Anaximandro; provectior autem aetate cum in Italiam venisset, ibi praeter ceteros doctrinae fama et auctoritate florebat Pythagoras, cujus disciplinam jam tum innotuisse probabile est. Itaque licet magistros ejus ignoremus, non tamen est dubium, his eum opportunitatibus adjutum ad tantam se extulisse praestantiam, ut doctrina et auctoritate principibus Hesiodo, Pythagorae, Hecataeo, annumeratus sit [24]. Senex autem Veliae praesertim degisse videtur [25], ubi philosophiae studiis intentus fundamenta jecit ejus disciplinae, quae deinde *Eleaticae* nomine celebritatem adepta est. Auditorem ejus et aemulum *Parmenidem* fuisse a plerisque creditum est : constat

(24) Heraclitus ap. Diogen. L. IX, 1. Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει· Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόρην, αὖθίς τε Ξενοφάνεά τε καὶ Ἑκαταῖον. Cum talibus viris vituperari Xenophani haud minima laus fuit, praesertim cum Heraclitus soleret esse in judicando morosior.

(25) *Veliae* eum degisse etsi non aperte a veteribus memoratum sit, satis tamen probatur eo, quod ab omnibus uno ore *Eleaticae* disciplinae auctor praedicatur : a Platone (Sophist. p. 224. D.) Plutarcho, Sexto Empirico, Clemente Alexandrino, aliis quos in explicandis ejus placitis laudabimus. Praeterea dictum ejus ad Eleatas memoratur ab Aristotele, quod infra fragm. XXXIV. retuli, item carmen, quo hujus civitatis originem celebravit.

certe, hunc et Eleaten fuisse et Xenophanis vestigia secutum disciplinae ab illo inchoatae principem exstitisse. Etiam *Heraclitus* et *Empedocles* inter discipulos ejus a nonnullis memorantur [26]; quamquam probabilius mihi videtur, si qua inter eos fuit conjunctio, eam magis ad disciplinae quandam rationisque similitudinem, quam ad vitae consuetudinem pertinere.

Habuit autem longam et vegetam senectutem, ut patet ex ipsius versibus quibus praedicat, se a quinto et vicesimo circiter aetatis anno per septem et sexaginta deinceps annos negotiis studiisque intentum aetatem egisse: haec ergo commemorat duo et nonaginta fere annos natus et animi corporisque viribus adhuc valens, ut non mirum sit, eum ad centesimum annum vixisse [27]. Memorant etiam ipsum suis manibus filios sepeliisse; quod quidam paupertatis indicium, nonnulli rectius pietatis officium censent, quod ab aliis item philosophis, Pythagoreis praesertim, institui solebat [28]. Haec de Xenophanis aetate et vita; deinceps de ejus studiis quaedam dicenda.

(26) Diogen. L. IX, 5. VIII, 56.

(27) Vid. fragm. XXIV. unde patet Lucianum, laudatum supra nott. 1 et 5, etiam in hoc falsum esse, quod unum et nonaginta annos eum vixisse scribit. Censorinus de die Natali cap. XV dicit: « Xenophanes Colophonius major centum annorum fuit. »

(28) Diogenes L. IX, 20. *Φησὶ δὲ ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῷ περὶ γήρως, καὶ Παναίτιος ὁ Στωϊκὸς ἐν τῷ περὶ εὐθυμίας, ταῖς ἰδίαις χερσὶ θάψαι τοὺς υἱεῖς αὐτὸν, καθάπερ καὶ Ἀναξαγόραν.* de Anaxagora idem refert II, 13; sed deinceps addit: *δοκεῖ δὲ πεπρᾶσθαι ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν Παρμενίσκου καὶ Ὀρεστάδου, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ.* In his verbum *πεπρᾶσθαι*, h. e. *venditum esse*, errore librariorum esse invectum nemo dubitat; multi corrigunt *πεπράχθαι*, et interpretantur, *idem quoque ab his*

§ 6.

Vidimus Xenophanem poësi praesertim operam dedisse, quod studium ille non modo ad liberalem animi oblectationem, sed multo magis ad utilitatem, ad doctrinae virtutisque commendationem retulisse videtur. Itaque carminibus suis non tam artis et elegantiae quam sapientiae laudem consecutus est, quum id praesertim efficere studeret, ut homines a morum pravitate et luxuria deduceret, ad id, quod verum rectumque esset, impelleret et erudiret. Etsi carmina ejus perierunt, id tamen etiamnunc indicant fragmenta quae apud Athenaeum servata sunt; veluti versus illi, in quibus Colophoniorum civium suorum superbiam et libidinem notat; alii, in quibus ludicras exercitationes, in quas nimis studii conferre Graeci solebant, tanquam inutiles reprehendit; alii, in quibus temperantiam et pietatem etiam super epulis commendat [29]. Praecipue autem vulgares hominum superstitiones et ineptas de Diis opiniones refutare solebat: quarum cum praecipui auctores essent Homerus et Hesiodus, eorumque carmina in Graecorum religionem omnemque vitae disciplinam maxima essent auctoritate, hos acerrime perstrinxit et accusavit, quod religionem omnem et honestatem tollerent [30]. Nec mirum: quae enim illi quondam de Diis deque rerum natura poëtice finxissent et aetatis suae ingenio accommodate, ea seriori aetate, pro-

Pythagoreis factum esse. Si hoc voluit Diogenes, scripsit certe obscurius. Num fortasse legendum τετράφθαι, Xenophani *victum* ab illis *suppeditatum esse*?

(29) Vid. fragmenta Elegiarum, XIX, XX, XXI.

(30) Diogen. L. IX, 18, et fragmentum ipsius VII.

vectioribus hominum ingeniis, haud poterant probari: mutatis enim temporibus, simul mentes hominum erant mutatae. Quo factum est, ut philosophi, cum has fabulas ad veri rectique rationem referrent, eas ut indignas et nefarias repudiarint, atque in ipsos auctores gravissime invecti sint. Sic Pythagoram, ut homines a fabulis istis deterreret, finxisse ferunt, se, cum ad inferos descendisset, vidisse ibi Hesiodi animam columnae aeneae alligatam stridentemque, Homerum item pendentem in arbore serpentibus circumdatum, eorum caussa quae de Diis finxissent[31]. Haec ergo Xenophanes quum non minus morum quam religionis sanctitati contraria esse judicaret, acriter increpavit eorum licentiam et utriusque fabulas, praesertim Homeri, libera cavillatione perstrinxit et redarguit[32]. Quamobrem a Timone sillographo facete Ὀμηραπάτης ἐπισκώπτης appellatus est[33]. Quo pertinet

(31) Narrationem hanc refert Diogen. L. VIII, 21, auctore Hieronymo Peripatetico, cujus fidem probat Tiedemann, Griech. erste Philos. p. 407, rejicit vero Meiners Geschichte d. Wissensch. T. I, p. 294 sq. ideo praesertim quod Pythagoras poëtarum illorum carmina maximi fecerit. Attamen admirari potuit eorum ingenium, laudare virtutis praecepta et exempla, quibus abundant, vituperare tamen fictiones et fabulas, quas de Diis protulissent. Platonis exemplum id satis probat. Licet vero Pythagorae id falso tributum sit (nolo enim praestare), nihilo minus ejus aetatis menti videtur accommodatum. Notum est, quid Heraclitus in Homerum dixerit, memoratum a Diogene L. IX, sect. 1.

(32) Clar. Victor Cousin l. l. p. 57 dicit: « Aulu-Gelle prétend que Xenophane préférait Hésiode à Homère » etc. in quo levis quaedam incuria virum celeberrimum fefellit. A. Gellius in loco, quem ille laudat, N. A. III, 11, de utriusque poetae aetate loquitur et Xenophanis testimonium profert. Ipsa verba attulimus fragm. XXXI. infra.

(33) Sext. Empir. Pyrrhon. I. sect. 224. Diogen. L. IX. 18. ad q. l. Kühnius corrigit Ὁμηροπάτης, *Homerum calcans;* quodsi Ὁμηραπάτης pro adjectivo habendum esset, ut positum est apud

etiam dictum quoddam, ut fertur, Hieronis, cui quum Xenophanes questus esset, « se vix duos posse servos alere, » ille respondisse fertur : « at Homerus, quem tu carpis, plures alit quam decem millia, etiam mortuus [34] : » intellexit rhapsodos, qui cantandis Homeri carminibus victum quaerebant. Sed quum tempora, ut diximus, vix conveniant, probabile est, hoc verbum si ab Hierone editum sit, non ipsi Xenophani sed in Xenophanem potius ab illo dictum esse : probabilius tamen, esse ab alio quopiam callide excogitatum, quo extollenda Homeri praestantia Xenophanis cavillationem exploderet. Sed non tantum hos quos diximus, verum alios quoque ingenii fama nobiles, quorum dicta vel facta improbaret, libere perstrinxit et cavillatus est, ut *Epimenidem*, cujus superstitioni non mirum est illius judicium repugnasse; etiam *Thaleti* contradixisse fertur, item *Pythagorae*, in quem etiam nunc versus ejus servantur [35]. Ex his ergo de Xenophanis poësi judicari potest, eam ad *didacticum* genus potissimum referendam esse, quod minus ad alliciendas hominum mentes et delectandas, quam ad docendum monendumque esset compositum. Quanquam non ideo

Diogenem (scribit enim Ὁμηραπάτην ἐπισκώπτην), non dubitarem cum Harlesio in Fabricii Bibl. Graec. T. II, p. 616 hanc Kühnii emendationem recipere. Sed Ὁμηραπάτης est substantivum in genitivo, quasi Ὁμηρικῆς ἀπάτης, ut declarat Sextus Empiricus : Ὁμηραπάτης δὲ ἐπισκώπτην, ἐπεὶ τὴν παρ᾽ Ὁμήρῳ ἀπάτην διέσυρεν. cf. Fabricius ad h. l. not. F. Pro ἐπισκώπτης Is. Casaubonus malebat ἐπικόπτης, quod metro est convenientius : probarem, nisi Timo interdum esset in numeris negligentior.

(34) Plutarch. Apophthegm. p. 175. T. VI, p. 669. Reisk.

(35) Diogen. L. l. l. ἀντιδοξάσαι τε λέγεται Θαλῇ καὶ Πυθαγόρᾳ, καθάψασθαι δὲ καὶ Ἐπιμενίδου.

existimandum est, poëticam suavitatem ei prorsus defuisse. Cicero quidem versus ejus dicit minus bonos fuisse [36]; quod judicium valeat de nonnullis carminibus, in quibus argumenta tractaret recondita et a sermonis consuetudine et elegantia remotiora, non tamen id in totam ejus poësin convenire, arguunt ipsae elegiarum reliquiae, quae etsi interdum non nimis limatae, tamen antiquo venustatis colore tinctae sunt. Athenaeus vero etiam diligentiam ejus in versibus laudat [37]: dicit enim Xenophanem, ut et Solonem, Theognidem, aliosque, quod musicam modulationem (μελῳδίαν) carminibus suis non adhiberent, eo diligentius numeris et mensura versus suos elaborasse: in eoque hos poëtas differre ab antiquioribus praesertim Homero, qui carmina sua musicis modis potissimum accommodasset, metrorum autem minus fuisset diligens. Huic Athenaei sententiae non obstat Diogenis testimonium quod supra protulimus, Xenophanem ῥαψῳδῆσαι sua carmina. Quamvis enim ea publice recitaverit, aliud tamen est ad musicorum modos canere carmina, aliud pronuntiare sive assa voce sive ad citharam; illud graviorem musam magis decebat, hoc simpliciori et severiori poëseos generi prius accommodatum erat [38]. Quamquam

(36) Acad. quaest. IV, 23.

(37) Athenaei verba XIV, p. 632, D. haec sunt: *Homerus*, inquit, διὰ τὸ μεμελοποιηκέναι πᾶσαν ἑαυτοῦ τὴν ποίησιν, ἀφροντιστὶ τοὺς πολλοὺς ἀκεφάλους ποιεῖ στίχους καὶ λαγαρούς, ἔτι δὲ μειούρους· Ξενοφάνης δὲ καὶ Σόλων καὶ Θέογνις καὶ Φωκυλίδης, ἔτι δὲ Περίανδρος ὁ Κορίνθιος ἐλεγειοποιός, καὶ τῶν λοιπῶν οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν, ἐκπονοῦσι τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τῇ τάξει τῶν μέτρων, καὶ σκοποῦσιν ὅπως αὐτῶν μηθεὶς ἀκέφαλος ἔσται μήτε λαγαρὸς μήτε μείουρος.

(38) Conf. Cousin l. l. p. 19, not.

non certum est neque probabile, omnia Xenophanis carmina eodem modo fuisse recitata. Composuit enim varia carminum genera, quorum si formam spectes, possunt ad haec tria potissimum genera referri, quae Diogenes Laërtius IX, 18, significat: γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι, καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου. Haec parum quidem distincte notata sunt, praesertim propter verba καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, quae non patet utrum ad ἰάμβους tantum an ad ἐλεγείας quoque, item ad ἔπη, pertineant: si ad ἰάμβους solum referantur, falsum est quod dicit, cum fragmenta etiam nunc serventur, quibus in ambos illos poëtas invehitur, epicis numeris composita; si vero ad tria illa genera referenda sint, hoc scilicet dixerit, omnia quae Xenophanes ediderit carmina ad Homerum et Hesiodum pertinere: quod non minus falsum est. Quamvis vero haec parum accurate dicta sint et a viris doctis variis modis explicata, apparet tamen tria haec genera a Diogene designari: ἔπη, ἐλεγείας, ἰάμβους, ad quae pleraque, quae a veteribus memorantur, possunt referri: de singulis pauca dicenda sunt.

§ 7.

Ἔπη. Ea dicuntur carmina heroicis versibus composita, e quo genere ea fuerunt quibus τὴν Κολο-

(39) Meibomii interpretatio, « scripsit autem versus, elegias et iambos contra Hesiodum atque Homerum », parum diligens est, et merito improbata a Rossio, Comment. Laërt. Fabricius conjecit fortasse legendum esse ita: γέγραφε δὲ — καὶ ἰάμβους καὶ καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου. At conjectura hoc est; nihil amplius. Alii ἰάμβους delendum putarunt, de quo mox videbimus. Cf. Fabric. Bibl. Gr. T. II, p. 616.

φῶνος κτίσιν, item τὸν εἰς Ἐλέαν τὴν Ἰταλίας ἀποικισμὸν celebravit[40], ἔπη δισχίλια, ut notat Diogenes L. IX, 10. Eodem pertinent carmina, quibus de *Deo* et de *rerum natura* egit, aliaque in quibus vel suas opiniones explicaret vel aliorum placita refutaret, ut indicant fragmenta, quae passim apud veteres memorantur.

Ἐλεγεῖαι. Hoc carminis genus Xenophanis aetate non magis ad animi sensus affectusque movendos, quam ad docendum monendumque erat adhibitum, veluti patet ex elegiaco Solonis carmine, quo de Atheniensium republica exposuit [41]. Xenophanis elegiae varii fuerunt argumenti variaeque indolis, modo severiores, modo hilariores, prouti res postularet: aliae ad conviviorum gaudia accommodatae, aliae aut ad docendos homines aut ad refellendos et perstringendos compositae, uti fragmenta, quae ex Athenaeo infra retulimus, indicant. Haec autem carmina saepe fuerunt longiora, quibus plura argumenta uno ordine explicarentur.

Ἴαμβοι. Quamquam nonnulli putarunt, iambos, quorum praeter Diogenem nullus veterum mentionem fecerit, falso Xenophani Colophonio tributos esse, et potius ad *Lesbium* Xenophanem, quem ἰαμβόγραφον Diogenes appellat, esse referendos [42], videtur tamen hoc poëseos genus a Colophonii ingenio et moribus non alienum fuisse. Iambica poësis epicae antiquitate

(40) Civitatum origines, κτίσεις, a multis poëtis quondam celebratae fuerunt. Cf. Jonsius de Scriptt. hist. phil. I, 12, sect. 5.

(41) Vid. Bachius de Solone p. 25.

(42) Id suspicati sunt Rossius Comment. Laërt. et Fülleborn. Dissert. de Xenoph. laudati a Fabric. l. l. Huic argumento opponi posset quod etiam Lesbium Xenophanem nullus veterum praeter Diogenem memoravit. Cf. quae docte et eleganter de eo disserit Cousinus p. 24 sq.

proxima, ingenio plane dispar erat, ut inter utramque non minus interesset, quam postea tragoediam inter et comoediam interfuit. Ut epica poësis ad celebrandas res graviores composita erat, sic iambi ad vulgarem hominum vitam et communem consuetudinem pertinebant; praesertim ad mores hominum, eorum vitia et errores vel illudendos vel increpandos erant compositi [43]. Quis ergo miretur, Xenophani cum saepe bilem saepe jocum moverent ineptae et perversae tam vulgi quam doctorum opiniones, eum, Archilochi et Solonis exemplo, hoc carminis genere eorum errores et vitia perstrinxisse? Quae res cum per se plane probabilis sit, nulla est caussa cur Diogenis testimonium propter aliorum silentium improbemus. Quid vero? Aristoteles etiam sententiam ipsius Xenophanis profert, quae iambicis pedibus constare videtur: quo argumento nullum profecto certius possit haberi [44].

Jam explicuimus ea quae a Diogene Laërtio strictim erant notata; alii vero veterum Xenophanis carmina aliis nominibus designant, veluti Τραγῳδίας, Σίλλους, Παρῳδὰς, de quibus singulis deinceps exponendum est.

§ 8.

Τραγῳδίαι. Earum mentionem facit Eusebius in canone chronico, ubi haec notata leguntur: Ξενοφάνης φυσικὸς τραγῳδοποιός [45]. Quod testimonium quam-

(43) Vid. Aristot. de Arte poëtica, ed. Graefenhan. c. IV.

(44) Vid. fragm. infra. XXV.

(45) Eusebii locum supra p. 4, not. 6. jam citavi; ad quem locum Scaliger Animadv. p. 96: « physicum et poëtam, inquit, agnosco, tragoediarum scriptorem nego, » caet. Menagius ad Diogen. L. IX,

quam a plerisque, quibus id parum probabile videretur, propter auctoris levitatem repudiatum est, satius tamen erit, prius quam judicetur, rem cognoscere, ut quaeramus, quales tragoediae, si a Xenophane editae fuerint, debeant intelligi. Si hoc nomine intelligi modo posset ἡ σεμνὴ τραγῳδία sive dramaticum illud poëseos genus, quod a Thespide inchoatum deinceps in Attica scena excultum et summorum poëtarum ingeniis nobilitatum est, nemo profecto dubitaret, Xenophanem inter tragicos poëtas non esse habendum. Sed aliud quoque habetur tragoediarum genus, quod si minore fuit celebritate, haud minus tamen frequentatum quondam apud veteres fuit et diu jam antea institutum. Ab antiquissimis enim temporibus solebant festis diebus choreas agere in Deorum heroumque laudem carmina cantantes : haec carmina ad pelliciendos et delectandos homines composita plerumque, incolumi gravitate, joco condita erant, modo severiora, modo lasciviora, quasi satyricae fabulae; e quibus postea ipsa tragoedia effloruit, quae inde diu adhuc veteris retinuit vestigia ruris, ut Aristoteles dicit : (ἡ τραγῳδία) διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνώθη [46]. Ejusmodi chori τραγικοὶ χοροὶ appellantur ab Herodoto, quos apud Sicyonios in Adrasti honorem celebratos

sect. 18. dubitat, an potius *Elegiarum scriptor* ab illo editum fuerit, idque comprobat Feuerlinus ; si res emendatione egeret, verisimilior foret Rossii conjectura, pro τραγῳδοποιὸς legendum esse παρῳδοποιὸς, quia Xenophanis παρῳδαὶ quoque memorantur, de quo mox : etsi nomen inde derivatum παρῳδοποιὸς usurpatum fuisse non videtur. Caeterum cf. Fabric. Bibl. Graec. T. II, p. 326 et 618.

(46) Aristot. de Arte poëtica c. IV, et ibi intpp. Docte et concinne de hac re disserit Groddeck, Initia hist. Graec. litt. part. I, p. 145. cf. Spanheim, les Césars de l'Empereur Julien, praef.

memorat; ipsaque carmina a veteribus generatim τραγῳδίας nominatas esse, licet nomen serius inventum sit, antiqua monumenta probant [47]. Hinc quod etiam aliorum poëtarum tragoediae memorantur, Simonidis, Pindari, Empedoclis, qui tamen in dramaticis poëtis non censentur [48]. Quum igitur Xenophanes τραγῳδοποιὸς dicatur, talia intelligenda sunt carmina, quae in sacris publice canerentur, quibus res Deorum hominumque vel serio tractaret vel jocose luderet. Quod poëseos genus ab illo tractatum esse eo magis probabile est, quod Siculi, apud quos praecipue versatus est, eo maximopere delectati sint, unde comoediae origo ab his repetenda est [49]. Quid vero? eadem carmina, quum iambicis numeris potissimum composita essent, ab aliis *iamborum* nomine significari potuerunt; neque improbabile videtur, τραγῳδίας et ἰάμβους, quos Diogenes memorat, utraque ad idem genus pertinere.

Σίλλοι, carminum genus quoddam mordax, conviciosum, ad irridendos homines, praecipue ad increpandam doctorum arrogantiam compositum [50]: hoc veterum nonnulli Xenophani attribuunt, praesertim Strabo, a quo inter eos, qui Colophonem maxime illustrarunt, ponitur Ξενοφάνης ὁ φυσικὸς, ὁ τοὺς σίλλους ποιήσας διὰ ποιη-

(47) Herodot. V. 67. Boeckh, Staatshaushaltung d. Athener, T. II, p. 362-366.

(48) *Lyricam Tragoediam* hoc genus nominat cl. Welckerus, cujus praecipuum auctorem existimat Stesichorum Himerensem fuisse, tum Xenophanem, et caeteros, quos nominavimus. Vid. Jahrbücher für Philologie und Paedagogik, ed. Jahn. (a. 1829) IX, 2, p. 164.

(49) Vid. Aristot. de Arte poët. c. V. De iamborum usu Aristot. ibid. c. IV. Horatius de Arte poët. vs. 80.

(50) Photius in Biblioth. p. 987. Hesych. T. II, c. 1187. Menagius ad Diogen. Laërt. IX, 111.

μάτων [51]. Hujus testimonium et auctoritas etsi multis persuasit, plures tamen iique doctissimi viri, ut jam dudum Stanleius et Fabricius et nuper Cousin, hoc carminum genus Xenophani abjudicarunt [52]. Et profecto mirum videatur, illud, si a Xenophane celebratum esset, ut novum et ad tangendos hominum mentes compositum, non majorem apud antiquos celebritatem adeptum esse, sed post illum auctorem subito obmutuisse et tribus demum post seculis renatum esse auctore Timone, qui ὁ Σιλλόγραφος cognominatus et princeps hujus carminis habitus est. Unde igitur ista traditio? Repetenda videtur ab indole ejus versuum, quibus in nonnullos praesertim clariores viros liberius esset invectus: ita argumenti quadam similitudine factum esse, ut horum carminum originem ad illum retulerint auctorem; quamquam sillorum nomen et formam Xenophani existimo non magis notam fuisse, quam quod quidam judicarunt Homerum hujus generis auctorem habendum esse, quod Thersitem jocose induxisset principes Graecorum cavillantem. Eustathius ad Iliad. B. vs. 212, p. 204. οἱ δὲ παλαιοὶ παρασημειοῦνται ἐνταῦθα, ὅτι οὐ μόνον Ξενοφάνης πεποίηκε σίλλους ἐν οἷς εὐδοκίμηκεν, ἀλλὰ καὶ τούτου τοῦ εἴδους πρῶτος κατῆρξεν Ὅμηρος, ἐν οἷς αὐτός τε τὸν Θερσίτην σιλλαίνει, καὶ ὁ Θερσίτης τοὺς βασιλεῖς [53]. Grammaticorum ergo acumini hoc commentum deberi non dubium

(51) Strabo loco supra p. 2. citato. Scholiastes Aristoph. infra fragm. XXVII.

(52) Stanleius hist. philos. p. 872 sq. cujus sententiam primum rejecit, mox vero comprobavit Fabricius; hunc plerique secuti sunt. Vid. Harlesius in Fabric. Bibl. Gr. T. II, p. 616 sq. V. Cousin. l. l. p. 23 sq. Contra Strabonis auctoritatem sequitur Groddeck Initia hist. lit. I, § 47.

(53) Cf. scholiast. Villois. ad Iliad. β. 212.

est; idque propagavit etiam ille, quem modo dixi, Timo ὁ Σιλλόγραφος, cui quum Xenophanis persona maxime idonea videretur, hunc in carmine quodam induxit principes Graecorum scriptores, poëtas et philosophos, increpantem [54]. Haec vero nonnulli opinati sunt ab ipso Xenophane praedicata esse; ut Proclus ad Hesiod. ἔργ. α. p. 67. ed. Heins. Ξενοφάνης διὰ δή τινα πρὸς τοὺς καθ' αὑτὸν φιλοσόφους καὶ ποιητὰς μικροψυχίαν σίλλους ἀτόπους ἐκθεῖναι λέγεται κατὰ πάντων φιλοσόφων καὶ ποιητῶν. Quo haec alio pertinere possunt, quam ad Timonis sillos, quos ille callide profecto ab ipso Xenophane editos putavit. Quamobrem quum hujus silli memorentur, non dubium videtur, aut ea significari carmina quibus Homerum aliosve insectatus sit, aut Timonis versus intelligendos esse; ipsum vero sillorum genus et nomen Xenophani ejusque aetati fuisse ignotum.

Παρῳδαὶ sive Παρῳδίαι [55], quas illi Athenaeus adscribit, dicuntur carmina ex alterius carminis similitudine ita expressa, ut personarum mores vel dicta e serio in ridiculum convertantur. Auctorem horum carminum Aristoteles dicit *Hegemonem* fuisse, Epicharmi aequalem [56]; Xenophani autem non majori jure tribui possunt quam silli, a quibus illa genere parum erant diversa: nam utrumque genus serius demum nisi inventum, tamen artificiose compositum et nomine distinctum fuisse probabile est. Tamen haec eo pertinent, ut intelligamus, Xenophanem in carmini-

(54) Vid. Diogen. Laërt, IX, 111.

(55) In Athenaeo inconstans est scriptura. Vid. loca notata a Dindorfio in Athenaei editione L. II, p. 54. E.

(56) Aristot. de Arte poët c. II, et quae ad h. l. annotat Graefenhan p. 32.

bus suis inprimis faceto illo et mordaci dicendi genere usum esse, quod postea his generibus proprium habitum est: eodemque Apuleius spectat, qui Xenophanem *Satyras canere* dicit [57]. Haec igitur magis indolem ejus carminum quam formam significant, neque obstant, quo minus auctore Diogene Laërtio versus ejus ad tria illa genera quae dudum retulimus, elegias, iambos et heroicos versus, possint referri.

§ 9.

Cum autem praecipue nobis propositum sit in Xenophanis philosophiam inquirere, non alienum videtur, priusquam versus ejus et placita explicemus, de eo carmine, in quo de rerum natura vaticinatus sit, pauca disserere. De hoc autem carmine tam pauca ad nostram notitiam pervenerunt, ut quale illud fuerit difficile sit existimare. Memorant quidam περὶ φύσεως fuisse inscriptum [58]; sed quum scriptores, qui hoc referunt, aetate sint multo seriores et leviore auctoritate, verendum est, ne hic titulus desumtus sit ex vulgari physicorum consuetudine, qui ita quondam libros suos solerent inscribere. Xenophanis carmen fuisse ita inscriptum parum probabile est, quod non literis consignasse versus suos, sed voce tantum

(57) Apuleius in Floridis L. IV. « canit Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon historias, *Xenocrates* satyras. » Casaubonus corrigi jubet: *Xenophanes sillos; sed silli* recte etiam *satyrae* dici possunt. *Xenocratis* autem et *Xenophanis* nomina interdum confusa esse, mox notabimus §. 10.

(58) Ita nominant Stobaeus Ecll. Phys. I, p. 294. et Pollux VI, sect. 46, p. 590, quorum fides jure suspecta jam visa est Rittero Gesch. d. Philosophie T. I, p. 444.

edidisse videtur. Hinc quoque factum est, ut series ejus versuum atque ordo maturius interierit, servati modo sint singuli versus et sententiae, quae doctorum hominum memoria quasi antiquitatis fama proditae ad posteritatis notitiam pervenerunt. Quantum vero cum ex his fragmentis, quae admodum pauca sunt, tum ex veterum testimoniis placita ejus referentium judicari licet, non dubium videtur, certum quoddam carmen Xenophanis fuisse hexametris versibus conditum, in quo superiorum vatum exemplo cum de mundi origine, de coeli, maris, terrae natura, quae vel ipse anquisivisset vel ab aliis cognovisset, exposuerit, tum praesertim de rebus divinis et de Dei natura, qualem mente et cogitatione concepisset, sententiam suam explicuerit. Atque Xenophanis exemplum aemulati et imitati sunt Parmenides et Empedocles, qui similia composuerunt carmina, quorum adhuc reliquiae satis amplae servantur [59]. Uterque vero quum, auctis in dies magis magisque discendi studiis et opportunitatibus, illum facile vel disserendi subtilitate vel rerum ubertate superarent, horum aliorumque celebritate factum videtur, ut carminum ejus memoria citius evanesceret, nec nisi pauca servarentur, quae a veteribus notata et deinceps ad posteros tradita sunt. Itaque si auctoritatum fontes indagemus, apparet plerosque, quae de Xenophane memorant, ea non ex ipsius verbis sed ex

(59) Horum omnium meminit Plutarch. de Pyth. orac. p. 402. E. πρότερον μὲν ἐν ποιήμασιν ἐξέφερον οἱ φιλοσόφοι τὰ δόγματα καὶ τοὺς λόγους, ὥσπερ Ὀρφεὺς καὶ Ἡσίοδος καὶ Παρμενίδης καὶ Ξενοφάνης καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Θαλῆς. Cf. Diogen. L. IX, 22. De *Empedocle* Hermippus apud eundem VIII, 56 dicit, Ξενοφάνους γεγονέναι ζηλωτὴν, ᾧ καὶ συνδιατρίψαι καὶ μιμήσασθαι τὴν ἐποποιίαν.

aliorum testimoniis et fama retulisse: quorum singula loca in explicandis ejus fragmentis et placitis exprimenda sunt; nunc praecipuos auctores breviter notabimus.

Horum antiquissimi et gravissimi sunt *Aristoteles* et *Theophrastus*, quos in explicanda illius sententia ex ipso fonte hausisse nemo, qui diligentiam eorum cognorit, facile dubitet; ac nisi integrum haberent carmen, quod non est probabile, haud tamen dubium est, quin multi etiam tum superessent illius versus, doctorum hominum tam Eleaticorum quam aliorum, qui illum aemulati essent, ut *Heracliti*, *Empedoclis*, memoria proditi [60]. Ambo autem illi quum in explicanda veterum sententia rarius ipsorum verba laudare soleant, factum est ut eorum scriptis placita antiquorum permulta, dicta vero non nisi pauca sint memoriae prodita. His proximi sunt Sceptici, docti fere homines et diligentes, inter quos praecipue memorandus *Timo* ille *Phliasius*, Ptolemaei τοῦ φιλαδέλφου aequalis (a. Chr. 270.), qui Xenophanis personam in carmine induxit de philosophia disserentem. Huic in cognoscendis illius placitis antiquitatis subsidia non plane defecisse, sed plures adhuc Xenophanis reliquias superfuisse, satis probabile est. Ex horum aliorumque, qui his aetate proximi fuerunt, scriptis pleraque fluxisse videntur, quae posterioribus de illo innotuerunt. Nam qui post illos de Xenophane mentionem fecerunt, *Cicero*, et qui eodem fere tempore vixit *Nicolaus Damascenus*, Peripateticus [61], et qui post ali-

(60) *Heracliti* mentionem supra vidimus not. 24. *Empedoclis* versus, quibus Xenophani contradixit, memorat Aristoteles de Coelo II, 13, p. 364. D.

(61) Nicolai mentionem facit Simplicius infra in Disp. nostra de Xenoph. philos. I, § 4, e.

quanto floruit Plutarchus, horum testimonia (quantum nobis judicare licet) nihil continent, quod non ex rivulis potius quam ex ipso fonte ductum videatur. Manifestius vero hoc arguunt seriores qui de eo commemorarunt, quorum primi nominandi sunt *Galenus* et *Sextus Empiricus*, alter medicus idem et philosophus excellens, alter Scepticorum doctissimus, uterque secundo post Christum seculo clarus: Galenus igitur in Xenophanis placito quodam explorando Theophrasti auctoritatem affert, quod certe non fecisset, si ex ipsius versibus potuisset ejus sententiam cognoscere. Sextus autem plures Xenophanis versus profert, interdum vero ita, ut significet se ea non certa auctoritate sed aliorum tantum fama accepisse [62]. Ab his quo longius deinde procedas, eorum obscurior fit Xenophanis memoria. Neo-Platonici, qui intra tertium et quintum seculum post Chr. vixerunt, *Porphyrius* et *Proclus*, praeclari homines, sed antiquitatis testes parum locupletes, non nisi pauca de eo memorant eaque parum luculenter [63]; diligentiores his fuerunt Aristotelici, in primis *Alexander Aphrodisius*, qui tertio seculo, *Joannes Philoponus* et *Simplicius*, qui sexto post Christum natum floruerunt, quorum studiis multae veteris philosophiae partes egregie illustratae sunt. Alexandri tamen non nisi exigua de Xenophane commemoratio exstat a Simplicio prodita [64]; Philoponus,

(62) Galeni testimonium in Comment. in Hippocrat. de Nat hom. 1, § 1. infra explicabitur. De Sexto Empirico cognosci potest ex iis quae ad fragm. VIII. afferemus.

In his indagandis praeivit Clar. Brandis Comment. Eleatic. p. 10 sqq.

(63) Procli testimonium modo jam vidimus p. 25. Porphyrii verba afferimus ad fragm. X.

(64) Vid. Disput. nostram l. l.

cui multi nimis tribuerunt, in antiquiorum placitis explicandis plerumque Aristotelis vestigia sequitur, atque ipse aliquo loco fatetur, illorum scripta sibi ad manum non fuisse [65]. Simplicius non minus ingenio quam doctrinae rerumque copia admirabilis, qui multos atque abditos vetustatis fontes indagavit et aperuit, Xenophanis scripta partim se latuisse dicit, partim in explicanda ejus ratione Theophrasti auctoritatem adhibet [66]. Jam quid ceteros memorem testes, ut Clementem Alexandrinum, Theodoretum, Eusebium, alios, doctissimos quidem scriptores, sed fontium antiquitatis indagandorum plerumque minus studiosos? quid compilatores et epitomatores, quos vocant, ut Stobaeum, eosque quorum scripta Plutarchi, Galeni et Origenis nomine feruntur? quid grammaticos Eustathium, Pollucem, ceteros, qui aliorum scripta non acri interdum adhibito judicio compilarunt?

(65) Jo. Philopon. in Aristot. de anima (Venet. 1535.) litt. C. p. 8. de veterum tam Pythagoreorum quam aliorum philosophorum qui ante Platonem fuerunt sententiis exponens, dicit: οὔτε γὰρ τὰ συγγράμματα τῶν ἀνδρῶν τούτων πρόχειρα ἡμῖν ἐστιν, οὔτε ὁ Ἀριστοτέλης πλέον τι τούτων ἱστόρησεν. Idemque in afferendo Xenophanis dicto Porphyrium auctorem nominat, ut jam Brandisius monuit. Vid. infra fragm. X.

(66) Simplic. in Aristot. de Coelo fol. 127. A. in interpretanda Xenophanis sententia haerens, dicit: ἀγνόω δὲ τοῖς τοῦ φιλοξένου ῥήμασι τοῖς περὶ τούτων οὐκ ἐντυχών κτλ. Pro τοῦ φιλοξένου corrigendum esse τοῦ φιλοσόφου Ξενοφάνους tam manifestum est, ut nemini, qui verba ipsa inspexerit, id dubium possit videri: vidit hoc jam clar. Brandisius, l. l. p. 12. not. e.). Vitium ortum est ex usitato scripturae compendio, quo multa nomina corrupta sunt, veluti pro Ἀριστοτέλης interdum ἄριστος, δῆμος pro Δημοσθένης, ἴσος pro Ἰσοκράτης, ξένος pro Ξενοφῶν, et similia multa reperiuntur, quae Bastius in Comment. Palaeogr. praecipue p. 798 sq. et in Epist. crit. p. 133 notavit.

Horum testimonia quamquam nobis ad antiquitatis cognitionem maximi sint momenti, tamen plerumque non ex ipso fonte sed ex aliorum narratis profecta multisque serioris aetatis sordibus contaminata esse, nemo ignorat. Quo major cura adhibenda nobis est, ut ista omnia conquiramus, iisque inter se comparandis vera a falsis discernamus, et abstersis serioris aevi sordibus, obsoletam antiquitatis effigiem quantum fieri possit revocemus.

§ 10.

Postremo non omittendum est, Xenophanis nomen saepe vel librariorum inscitia vel literarum compendio depravatum aut cum aliorum scriptorum nominibus permutatum esse. Ita non raro pro Xenophane *Xenophontem* scriptum reperimus: veluti in Stobaeo Sermon. tit. 29, 41. ed. Gaisf. et alibi; in Homeri schol. Leyd. ad Il. λ. vs. 27. quod notavit Valckenarius Diatr. Eurip. c. XIX, p. 195; in Polluce VI, sect. 46: qui errores jam dudum a viris doctis observati et plerisque locis sublati sunt; idem vitium in Etymologico Magno sub v. γηράς, quamquam a Valckenario l. l. notatum, novissimus tamen editor Sturzius reliquit. Erroris caussa e literarum compendio nata est, quo similia quoque nomina, veluti *Antiphanes* et *Antiphon*, confusa sunt; de quo cognosci potest e Bastii Comment. Palaeogr. p. 793.

Porro Xenophanem etiam cum *Xenocrate* permutatum esse, modo jam in Apuleii Floridis n. 57 vidimus; eundem errorem apud Strabonem XII, p. 550. Casaub. et Athenaeum epit. I. (Schweighaus. annot. T. VIII, p. 391.) in quibusdam codicibus reperimus, qui pro *Xenocratis* nomine *Xenophanem* exhibent.

Denique interdum illius nomen vitiose Ξενοφάντης scribitur, ut in Platonis Schol. Ruhnken. p. 172. et in Aristophanis Schol. Equit. v. 406 : utroque loco manifestus est scribarum error.

In Athenaeo semel iterumque occurrit scriptoris nomen Ζηνοφάνης, quod cum prorsus insolens videretur, venit alicui in mentem, ut pro eo Ξενοφάνης restituendum putaret. Qui tamen ipsos Athenaei locos X, 424. C. et XIII, 536 B. inspexerit, ei statim apparebit, conjecturam hanc prorsus esse temerariam, meritoque jam a Clar. Cousin l. l. p. 26 explosam. Liber istius scriptoris συγγενικὸν inscriptum grammaticum quendam arguere videtur, ad Xenophanem certe nihil pertinet.

Haec hactenus. Jam ad ipsas Xenophanis carminum reliquias veniemus, et fragmenta, tam ad philosophiam quam reliquam poësin spectantia, ordine disposita explicabimus; in quibus, ne quid temere neglexisse videamur, eos quoque scriptorum locos referemus, quibus vel singula ejus verba vel testimonia quaedam memorantur; adjungemus item apophthegmata, quae ejus nomine feruntur, quod nonnihil valent ad vitam ejus et opinionem declarandam. Quae autem de Xenophanis philosophia et placitis in veterum scriptis passim commemorata exstant, ea disputatione nostra de Xenophanis philosophia explicabimus et illustrabimus.

XENOPHANIS

CARMINUM DICTORUMQUE

RELIQUIAE.

XENOPHANIS RELIQUIAE.

I.

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίϊος οὔτε νόημα.

Laudat hos versus Clemens Alex. Strom. V, p. 601 C. et ex eo Eusebius Praepar. Eu. XIII. 13, p. 678 D. vs. 2. οὔτε-οὔτε praebet H. Ms. ut notat Sylburg; praetulimus hoc vulgari lectioni οὔτι-οὐδὲ.

Probat his versibus Clemens Xenophanem censuisse, ὅτι εἷς καὶ ἀσώματος ὁ θεός. Sententiam ejus de Deo infra exponemus. Cum his conferri possunt quae in Orphicis, sive Orpheum illa sive Onomacritum habuerint auctorem, praedicantur, laudata a Proclo in Timaeum II, p. 137. ed. Basil.

Ἓν κράτος, εἷς δαίμων γένετο, μέγας ἀρχὸς ἁπάντων.

et alibi; vid. Orphica Hermanni fr. VI, 16. p. 457, item fr. IV, p. 455.

II.

Οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει.

Versum hunc non nominato auctore profert Sextus Empir. adv. Mathem. IX, sect. 144. eumque Xeno-

I. Unus est Deus Deûmque hominumque princeps,
nec corpore mortalibus nec mente similis.

II. Totus videt totusque intelligit totusque audit.

phani vindicat Fabricius ad h. l. probantibus viris doctis. Idem certe Xenophanem de Deo praedicasse testatur iisdem paene verbis utens Diogenes L. IX, sect. 19 : *ὅλον δὲ ὁρᾷν, καὶ ὅλον ἀκούειν, — σύμπαντά τε εἶναι νοῦν καὶ φρόνησιν.* item Plutarchus apud Euseb. Praep. Eu. I, p. 23 : *ἀκούειν δὲ καὶ ὁρᾷν καθόλου, καὶ μὴ κατὰ μέρος.* Idque cum omni Xenophanis sententia de Deo congruere ex iis, quae infra de philosophia ejus I, § 7 disseremus, patebit.

Vox *οὖλος*, i. e. *ὅλος*, etiam a Parmenide v. 61 et 92 usurpata est ad significandum id quod omnino perfectum et absolutum est; itaque hic notat, Deum non aliqua sui parte vel aliquo sensu, sed tota sua natura cernere, caet. Conferri possunt cum hac sententia, quamquam non plane similia sunt, alia veterum praeclare de Deo dicta, veluti Hippocratis illud : *δοκέει δέ μοι, ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοεῖν πάντα καὶ ὁρῆν καὶ ἀκούειν καὶ εἰδέναι πάντα τὰ ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι.* Socratis in Xenoph. Memorab. I, 4. sect. 18 : *γνώσῃ τὸ θεῖον ὅτι τοσοῦτον καὶ τοιοῦτόν ἐστιν, ὥσθ᾽ ἅμα πάντα ὁρᾷν καὶ πάντα ἀκούειν καὶ πανταχοῦ παρεῖναι καὶ ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι.* Proxime vero ad Xenophanis sententiam accedunt verba Plinii Hist. Nat. II, 5. Bipont. «Quisquis est Deus, — totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animae, totus animi, totus sui.» Hermias in Platonis Phaedrum p. 59. Ast. (*τὸ θεῖον γένος*) *ὅλον δι᾽ ὅλου ἐστὶ γνωστικὸν καὶ ὅλον ὄψις ἐστὶ καὶ ὅλον ἀκοὴ, — καὶ ἡμῶν, μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ σώματος τούτου, τὸ ὄχημα, λαμπρὸν ὂν καὶ καθαρὸν, ὅλον δι᾽ ὅλου ἐστὶν αἰσθητικὸν καὶ κατὰ πᾶν ὁρᾷ καὶ κατὰ πᾶν ἀκούει.* Irenaeus apud Epiphan. Haeres. 33 : *ὅλος ἔννοια ὢν, ὅλος θέλημα, ὅλος νοῦς, ὅλος ὀφθαλμὸς, ὅλος ἀκοὴ, ὅλος πήγη πάντων ἀγαθῶν.* Cyrillus Hierosol. Catech. VI, p. 82 : *οὐκ ἐν μέρει βλέπων, ἐν μέρει δὲ τοῦ βλέπειν ἀπεστερημένος, ἀλλ᾽ ὅλος ὢν ὀφθαλμὸς καὶ ὅλος ἀκοὴ*

καὶ ὅλος νοῦς, οὐχ ὡς ἡμεῖς, ἐν μέρει νοῶν καὶ ἐν μέρει μὴ γινώσκων. Scriptores hos partim jam laudavit Fabricius ad Sext. Emp. p. 584. Quominus vero quis putet, versum hunc ex serioris aetatis ingenio esse profectum, animadvertendum est, tria illa, quae hic notantur, ὁρᾷν, νοεῖν, ἀκούειν, apud veteres potissimum solere conjungi, in quibus omnem intelligendi sentiendique vim dividerent. Critias in nobilissimis versibus apud Sext. Empir. IX, sect. 54, vs. 17:

ὡς ἔςι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ·
νόῳ τ' ἀκούων καὶ βλέπων φρονῶν τ' ἀεί.

cf. Bachius Critiae Tyr. fragm. p. 59. Melissus apud Eusebium Praep. Eu. XIV, p. 757 C: εἰ γὰρ — ἡμεῖς ὀρθῶς ὁρέομεν καὶ ἀκούομεν, εἶναι ἐχρῆν πᾶν τὸ ἐὸν τοιοῦτον ὥν πρῶτον ἔδοξεν ἡμῖν εἶναι· — νῦν δὲ ἔφαμεν ὀρθῶς ὁρῆν καὶ ἀκούειν καὶ συνίεναι, δοκέει δὲ ἡμῖν καὶ τὸ θερμὸν ψυχρὸν γίνεσθαι κτλ. Recentiores contra singula haec explicatius notare solebant, et praesertim τὸ νοεῖν ab oculorum auriumque perceptione adcuratius distinguere.

III.

Ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει.

Versum hunc laudat Simplicius in Aristot. Phys. f. 6. cujus testimonium multos fugit, praeter alios Moshemium ad Cudworthi Syst. Intellect. T. I, p. 580, et Sturz. Praef. ad Empedocl. p. XXXIII; quidam falso tribuerunt Parmenidi. — νόου φρενὶ dictio non admodum quidem usitata, nec tamen a linguae Grae-

III. Sine negotio mente et cogitatione cuncta gubernat.

cae ratione abhorrens : φρένα dicebant *omnem mentis animique vim*, in qua posita est *cogitatio* sive ὁ νοῦς. Sic Empedocli vs. 298, Sturz. Deus dictus est φρὴν ἱερὴ — φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι. Quod dictum cum h. l. jam contulit Brandis. Magis vulgare fuerat dicere φρενὶ καὶ νόῳ. Dictionis formam si spectes, simile est Homericum Il. ξ. 288, ἠέρος αἰθὴρ, al.

IV.

Αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδέν,
οὐδὲ μετέρχεσθαί μιν ἐπιπρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ.

Hos versus laudat Simplicius in Arist. Phys. f. 6. A. a *Theophrasto*, ut videtur, mutuatus. Verba autem apud eum sic leguntur : ἀεὶ δ' ἐν ταὐτῷ μένει κινούμενον οὐδὲν, οὐδὲ μετέρχεσθαι μὴν, ἐπεὶ πρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ. Depravatam scripturam in Simplicio nemo mirabitur, qui noverit, quot mendis editi hujus libri scateant. Emendatio in promtu erat : pro μένει correxi μένειν, ut cum sequenti infinitivo μετέρχεσθαι congrueret et responderet accusativo κινούμενον, nempe θεόν. — ἐπιπρέπει postulat sensus. cf. Homer. Od. ω. 252. Pindar. Pyth. VIII, 46. ed. Boeckh. — Dictio ἄλλοτε ἄλλῃ frequens est poëtis, ut Theognidi vs. 157 et 232.

Praedicantur haec de *Deo*, quem moveri Xenophanes negat, quod placitum infra accuratius explicabimus. Cum his concinunt prorsus, quae περὶ τοῦ ὄντος dicit Parmenides :

ταὐτόν τ' ἐν ταὐτῷ τε μένον καθ' ἑαυτό τε κεῖται.

IV. Semper illum manere in eodem statu nusquam se moventem, nec alias alio ferri congruum est.

V.

Ad vulgares de Diis opiniones refellendas pertinent versus, quos Clemens Alex. eodem loco quo fragm. I, interpositis verbis *καὶ πάλιν*, profert :

Ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι —
τὴν σφετέρην δ' ἐσθῆτα ἔχειν φωνήν τε δέμας τε.

Haec est vulgata lectio apud Clementem, et qui hunc descripsit, Eusebium. Sed. in Florent. editione prior horum versuum sic legitur :

Ἀλλ' οἱ βροτοὶ δοκοῦσι γεννᾶσθαι θεούς.

quae lectio numerum facit iambicum : similiter in cod. Paris. nisi quod pro *δοκοῦσι* habet *δοκέουσι*. Apud Theodoretum Graec. affect. curat. Serm. III, p. 49 Sylb. hi versus, quos a Clemente sumsit, sic leguntur :

Ἀλλ' οἱ βροτοὶ δοκοῦσι γεννᾶσθαι θεοὺς,
καὶ ἴσην τ' αἴσθησιν ἔχειν φωνήν τε δέμας τε.

Haec verborum numerorumque perturbatio indicare videtur, confusos esse versus varios; fortasse quod Xenophanis versum cum simili alius poëtae dicto permutaverint, ut arbitrabatur Sylburgius; caeterum verior videtur esse vulgata Clementis lectio. Vs. 1 extrema parte mutilus est; in vs. 2 *δ' ἐσθῆτα ἔχειν* repugnat metro, et *φωνὴν* parum commodum habet sensum; sic igitur emendandum puto :

Ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι —
τὴν σφετέρην ἐσθῆτα τ' ἔχειν μορφήν τε δέμας τε.

V. At mortales opinantur natos esse Deos,
mortalique habitu et forma et figura praeditos.

Eodem pertinent dicta quae laudat Clemens Alex. Strom. VII, p. 711. B : Ἕλληνες δὲ, ὥσπερ ἀνθρωπομόρφους, οὕτως καὶ ἀνθρωποπαθεῖς τοὺς θεοὺς ὑποτίθενται, καὶ καθάπερ τὰς μορφὰς αὐτῶν ὁμοίας ἑαυτοῖς ἕκαστοι διαζωγραφοῦσιν, ὥς φησιν ὁ Ξενοφάνης· Αἰθίοπές τε μέλανας σιμούς τε, Θρᾷκές τε πυῤῥοὺς καὶ γλαυκούς· οὕτως καὶ τὰς ψυχὰς ὁμοιοῦσιν καὶ τὰς ἀναπλάττουσιν. (f. l. τὰς ψυχὰς ὁμοίας ἑαυτοῖς ἀναπλάττουσιν.) Cum quibus concinunt haec Theodoreti dicta Serm. laud. εἶτα σαφέστερον κωμῳδῶν (ὁ Ξενοφάνης) τήνδε τὴν ἐξαπάτην, ἀπὸ τοῦ χρώματος τῶν εἰκόνων διελέγχει τὸ ψεῦδος· τοὺς μὲν γὰρ Αἰθίοπας μέλανας καὶ σιμοὺς γράφειν ἔφησε τοὺς οἰκείους θεούς· ὁποῖοι δὴ καὶ αὐτοὶ πεφύκασι· τοὺς δέ γε Θρᾷκας γλαυκούς τε καὶ ἐρυθρούς, καὶ μέντοι καὶ Μήδους καὶ Πέρσας σφισὶν αὐτοῖς ἐοικότας, καὶ Αἰγυπτίους ὡσαύτως αὐτοὺς διαμορφοῦν πρὸς τὴν οἰκείαν μορφήν.

Ex his Xenophanis sententia luculenter cognoscitur; insunt quoque versuum vestigia in verbis

Αἰθίοπες μέλανάς τε σιμούς τέ,
Θρᾷκες δὲ γλαυκοὺς καὶ ἐρυθροὺς

Vulgarem istam hominum opinionem de Diis, quam poëtae et artifices auxerunt, explicat et refellit Cicero adversus Epicureos disputans de Nat. Deor. I, 27.

VI.

Superioribus haec deinceps apud Clementem l. l. subjiciuntur : καὶ πάλιν (φησὶ)·

Ἀλλ' εἶτοι χεῖράς γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες,
ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοῖοι,
καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν
τοιαῦθ', οἷόν περ καὶ αὐτοὶ δέμας εἶχον ὅμοιον.

Ita hos versus cum aliqua lectionis varietate exhibent Clemens, Eusebius et Theodoretus, quos modo citavimus; tamen graviorem aliquam subesse mendam, ipsa indicat sententia : nam vs. 3. ἵπποι μέν — interrumpit orationis ordinem, ut jam Potterus ad Clementem animadvertit, et Hervetus in latina versione haec verba omisit. Neque, etiamsi cum Theodoreto legamus ὅμοιας, haec difficultas tollitur : non enim satis recte cohaeret hic versus cum sequenti. In ultimo versu offendit vox ὅμοιον, quae non modo languet, sed etiam impedit verborum constructionem. Parva emendatione versus ita interpolandi videntur :

Ἀλλ' εἴτοι χεῖρας γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες,
ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
και κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν
τοιαῦθ', οἷόν περ καὶ αὐτοὶ δέμας εἶχον ἕκαστον,
ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοῖον.

VI. Si vero manus haberent boves vel leones,
aut pingere manibus et fabricari eadem quae homines possent,
ipsi quoque Deorum formas pingerent figurasque formarent
tales, quali ipsorum quisque praeditus sit,
equi equis, boves autem bobus similes.

vs. 1. Ἀλλ' εἴτοι. Eusebius male : ἀλλ' εἰ χεῖρας ἔχον. Particulam γ' metri gratia inseruit Stephanus. Pro ἠὲ λέοντες Theodoretus ἢ ἐλέφαντες, quod minus probabile est.

vs. 2. γράψαι — τελεῖν. Infinitivi pendent ab εἶχον, mutata orationis structura : similiter in elegiae fragm. XIX, 15 sq. οὔτ' εἰ πύκτης ἀγαθὸς — οὔτ' εἰ πενταθλεῖν, nempe ἀγαθός.

vs. 3. καί κε Sylburg in Theodoreto; ceteri καί τε. Pro σώματα Eusebius male legit δώματα.

vs. 4. καὶ αὐτοί. Ita recte Ms. Paris. et Stephanus; vulgata lectio est κᾀυτοί, pro quo certe κ' αὐτοὶ fuerat scribendum, ut fecit Brandis; non tamen elidendum est καὶ, sed per synizesin cum sequenti αὐτοὶ confundendum. cf infra ad fragm. XX, 5. Emendationem nostram ἕκαστον suadet etiam pronomen οἷον in singulari numero positum : alioquin oportuerat potius οἷα scribi, quod non sinit metrum.

vs. 5. ὁμοῖον. Possemus etiam ὁμοῖα scribere, quod congruum esset praecedenti τοιαῦθ'. Clemens et Eusebius ὁμοῖοι. Theodoretus ὁμοίας.

Festive Xenophanes his versibus carpit vulgarem hominum opinionem, qua Deos finxerunt humana forma praeditos; cujus rei rationem positam esse vidit in naturae sensu, quo unumquodque animans suum genus maxime amplectitur et pulcerrimum judicat. Ita Epicharmus apud Diogenem L. III, 16 ait:

ἀνδάνειν αὐτοῖσιν αὐτοὺς καὶ δοκεῖν
καλῶς πεφυκέναι· καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ
κάλλιστον εἶμεν φαίνεται, καὶ βοῦς βοΐ,
ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δ' ὑΐ.

Xenophanis dicta illustrant praecipue haec Ciceronis verba, Nat. Deor. I, 27, quae ex illis paene expressa

videntur : « An putas ullam esse terra marique belluam, quae non sui generis belua maxime delectetur ? . . . . Quid igitur mirum, si hoc eodem modo » homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius quam » hominem putaret, eam esse caussam cur Deos hominum similes putaremus? Quid censes, si ratio » esset in bestiis; non suo quasque generi plurimum » tributuras fuisse ? » In his autem notandum est discrimen : Cicero dicit, *si ratio esset in bestiis;* Xenophanes autem, *si manus et artis facultas esset bestiis :* in quo cernitur utriusque aetatis et doctrinae diversitas : *rationis* enim vim, qua homines praecellunt bestiis, Xenophanes ejusque aetas nondum clare habebant perspectam; ut infra in disputatione nostra explicabimus.

VII.

Versus hos, quibus Homeri et Hesiodi fabulas impietatis accusat, servavit Sextus Empir. adv. Mathem. IX, 193 :

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐςὶ,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Idem adv. Mathem. I, 289 : Ὅμηρος δὲ καὶ Ἡσίοδος κατὰ τὸν Κολοφώνιον Ξενοφάνη·

Οἳ πλεῖς' ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίςια ἔργα,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

VII. Omnia Diis attribuerunt Homerus et Hesiodus
quaecumque ab hominibus probrum et dedecus habentur,
furari inter se, adulterari, fraudare.

Hi pleraque praedicarunt Deorum nefaria facinora, caet.

Postremus versus num a Xenophane diverso loco fuerit repetitus, dubitari licet; probabilius est a serioribus, qui singulos ejus versus et sententias citarent, confusum esse eorum ordinem. Itaque possent hi versus hoc modo conjungi :

Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος θ᾽ Ἡσίοδός τε
ὅσσα παρ᾽ ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,
καὶ πλεῖστ᾽ ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίστια ἔργα,
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Lectio ἁ πλεῖστ᾽ ἐφθέγξαντο Stephani est; in Sexto legebatur contra metrum, ὃς πλεῖστα ἐφθέγξατο, ubi Fabricius correxit, ὡς πλεῖστ᾽ ἐφθέγξαντο.

Apparet ex his versibus Xenophanem in carpendis Homeri et Hesiodi fabulis non lenem fuisse, nec immerito a Timone Ὁμηραπάτης ἐπισκώπτην dictum, ut supra p. 16 memoravimus. Idem vero plerorumque philosophorum et doctorum hac de re fuit judicium, inprimis Platonis, qui has fabulas procul a sua civitate repellit, multa enumerans non minus Diis indigna, quam moribus civium perniciosa, quae in iis praedicantur. Polit. II, p. 377, sqq. cf. Sextus Emp. ll. cc. Terentius Varro in Fragm. T. I, p. 214. Bip. ita loquitur: « Primum quod dixi genus theologiae mythicum, » in eo sunt multa contra dignitatem et naturam » immortalium ficta : in hoc enim est, ut Deus alius » ex capite alius ex femore sit alius ex guttis sanguinis natus; in hoc, ut Dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini; denique in hoc » omnia Diis attribuuntur, quae non modo in hominem sed etiam in contemtissimum hominem cadere » possunt. » Quae prorsus concinunt cum Xenophane. Iisdem argumentis Christiani scriptores usi sunt ad

redarguendas Graecorum religiones (Vid. Ast. comment in Plat. Polit. p. 428.); Neo-platonici contra allegorica interpretatione fabularum ineptias tegere, eaque tanquam divinae sapientiae symbola praedicare studuerunt. Proclus Theolog. I, 4. p. 10.

VIII.

Ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.

Memoratur hic versiculus a Sexto Empir. adv. Mathem. X, 313. Stobaeo Ecl. Phys. I, p. 294. Heeren. Plutarcho Homer. vit. med. in scholiis Homer. Villois. item in scholiis minor. ad Il. η. 99, ubi neglectum est metrum. Docent hoc testimonio, Xenophanem rerum omnium naturam ad *terram* retulisse. Praecipuus tamen auctor Sextus Empiricus non ipse hujus placiti testem se facit, sed ex aliorum quorundam auctoritate memorat; dicit enim: Ξενοφάνης δὲ κατ' ἐνίους ἐκ γῆς. Itaque auctores hujus testimonii non sunt admodum locupletes; ipsa vero sententia, *terram esse omnis naturae materiem*, nisi latiore quodam modo accipiatur, a Xenophanis opinione et placitis prorsus aliena videtur, ut infra exponemus; forma denique recentioris cujusdam Graeculi ingenium refert, qui priscorum sententias et placita in formulas quasdam redigeret: e quo genere etiam falso Heracliti nomine placitum fertur huic simile, apud Stobaeum ll. p. 282:

Ἐκ πυρός γε τὰ πάντα καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾷ.

Quibus rationibus equidem adducor, ut hoc placitum

VIII. E terra orta sunt omnia et in terram resolventur.

cum Meinersio (Hist. doctrinae de vero Deo p. 327) et Heereno (ad Stobaeum l. l.) existimem, falso esse Xenophani tributum. Fabricius ad Sextum Empir. p. 685 cum hoc versu comparat nobile illud in Genesi III, 19 dictum ad Adamum : γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ. Quod tamen ab hujus placiti mente alienum est.

IX.

Πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα.

Hunc versum iidem proferunt auctores ll. cc. Sextus altero item loco adv. Mathem. IX, 361. item Eustathius ad Il. η. 99. p. 668, l. 60. Quo testimonio contra probare studebant, Xenophanem non unum sed duo fecisse rerum elementa, *terram* et *aquam*. Meinersius l. l. hunc versum aeque ac superiorem fictum putat; at quamvis fidem ejus praestare nolim, tamen placiti hujus auctoritatem probat ipse Sextus Empir. Pyrrhon. II, sect. 30, quum indubitanter dicat, Xenophanem duo haec rerum elementa statuisse; deinde in ipsis verbis non inest apertum interpolatoris vestigium; argumentum vero concinit etiam cum sequenti versu :

X.

Γῆ καὶ ὕδωρ πάνθ' ὅσσα γίνονται ἠδὲ φύονται.

Quem versum laudant Simplicius et Joannes Philoponus, uterque quidem Porphyrii usus auctoritate; sed

---

IX. Namque e terra et aqua omnes orti sumus.

X. Terra et aqua sunt omnia, quae fiunt et nascuntur.

in eo discrepant, quod alter, auctorem ejus placiti a Porphyrio *Anaximenem*, alter *Xenophanem* nominatum dicit. Simplicius ad Aristotelem Phys. I, p. 258 E. ubi hic memorat a nonnullis τὸ ὑγρὸν καὶ ξηρὸν haberi principia, hoc placitum, inquit, alii aliis tribuunt, ὁ μέν τοι Πορφύριος οἰκειότερον εἰς Ἀναξιμένην τὴν δόξαν ἀνέπεμψε ταύτην εἰπόντα·

γῆ καὶ ὕδωρ πάνθ᾽ ὅσσα γίνονται ἠδὲ φύονται.

Joannes Philoponus ad eundem locum lit. D, fol. 1 A: ὁ Πορφύριός φησι, τὸν Ξενοφάνην τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρὸν δέξασθαι ἀρχὰς, τὴν γῆν λέγω καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ ῥῆσιν αὐτοῦ παρατίθεται τοῦτο δηλοῦσαν·

γῆ καὶ ὕδωρ πάντ᾽ ἐσθ᾽ ὅσα φύονται ἠδὲ γίνονται.

Horum utrius verum sit testimonium dubitari nequit; si quidem Anaximenis ad aërem omnia referentis diversa plane fuit sententia, ut jam Brandis ad h. l. monuit, Comment. Eleat. p. 45. Quamobrem in Simplicio errore quodam nomina permutata esse, et Porphyrii testimonium ad Xenophanem pertinere non est dubium. Porphyrius vero cum in citandis scriptoribus parum diligens sit, possit auctoritas ejus per se haud satis firma haberi, praesertim quum postrema quoque versiculi verba, φύονται ἠδὲ γίνονται, depravata esse perspicuum sit. Incertum adeo nostrum foret judicium, nisi hic versus cum superiore prorsus conveniret, et uterque inter se comparatus, alter alterius fidem augeret. Si autem Xenophanis hos versus esse probamus, non ideo probanda nobis videtur Porphyrii et reliquorum interpretatio, ad *elementorum* doctrinam haec referentium; potius e vulgari opinione haec dicta videntur, *terrena humidaque materie*

omnia constare. Quo pertinet Homericum illud, quod jam Sextus et Philoponus contulerunt, Il. η. 99:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Cf. auctor vit. Homeri in Opusc. Mythol. p. 324. Sed de sententia Xenophanis infra erit disserendi locus.

XI.

Stobaeus in Florilegii appendice edit. Gaisf. T. IV, p. 6, Xenophanis sententiam referens, qua causa et nubes et cetera, quae in coelo fiunt, oriantur, de quibus infra disseremus, testimonii loco haec addit: γράφει γὰρ διαῤῥήδην· Πήγη δ' ἐστι θάλασσα ὕδατος. Quamvis Stobaeus ita plane hoc testificetur, quasi in manibus haberet Xenophanis scripta, haec tamen jam diu ante evanuisse certum est. In compilatore verba non adeo urgenda sunt: tantum significant, fidem hujus dicti et sententiam ab ipso certam manifestamque habitam esse. Videtur autem pars fuisse versiculi hoc modo ordinati:

— — — πήγη δ' ἐστι θάλασσα
ὕδατος.

vel ita:

πήγη δ' ἐστι θάλασσ' ὕδατος —

utrovis enim modo conveniunt numeri. — θάλασσα a physicis dicta est universa aquarum moles, ἀρχὴ καὶ σῶμα τοῦ παντὸς ὕδατος, ut dicit Aristoteles Meteor II, 2, p. 427, C. quo sensu occurrit apud Empedoclem v. 128, ed. Sturz. Cum hoc placito convenit quod jam Homerus de *Oceano* praedicabat, Il. φ. 195 sqq.

XI. Oceanus fons est omnis humoris.

βαθυῤῥείταο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο,
ἐξ ουπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

XII.

Γαίης μὲν τόδε πεῖρας ἄνω πὰρ ποσσὶν ὁρᾶται
αἰθέρι προςπλάζον, τὰ κάτω δ᾽ ἐς ἄπειρον ἱκάνει.

Laudat hos versus diligens testis Achilles Tatius in Isagoge ad Aratum edita in Petavii Doctr. Temp. Vol. III, p. 76. Antv. Versum autem secundum emendatum dedi ita ut sensus et metrum postulare videbantur; vulgata lectio haec est:

καὶ ῥεῖ προςπλάζον, κάτω δ᾽ εἰς ἄπειρον ἱκνεῖται.

Verba *καὶ ῥεῖ* nullum habent sensum; *κάτω* et *ἱκνεῖται* metro adversantur; quod correxi *αἰθέρι προςπλάζον*, recte dicitur terrae superficies aërem contingere. Homerus Od. λ. 583: *ἡ δὲ προςέπλαζε γενείῳ*. Quod in voce *αἰθέρι* ultima syllaba non producta sit positionis caussa, Homeri usu satis probatur. Sententiam infra explicabimus.

XIII.

Ἥν τ᾽ Ἶριν καλέουσι, νέφος καὶ τοῦτο πέφυκε
πορφύρεον καὶ φοινίκεον καὶ χλωρὸν ἰδέσθαι.

Laudant Eustathius ad Il. λ. 27, p. 827, l. 59. Schol.

XII. Telluris superficies quidem haecce sub pedibus conspicitur aërique contigua est, radices vero in infinitum tendunt.

XIII. Quam Iridem nominant, eaque quoque nubes est purpurea et punicea et candida adspectu.

Leydens. excerptus a Valckenaerio Diatr. Euripid. p. 195, et Schol. Villois. ad Iliad. l. l. ubi in primo versu pro καὶ legitur δὲ, voluit fortasse δὴ. Dictum hoc de *Iride* cum ceteris Xenophanis placitis de sideribus prorsus convenit, quae infra explicabimus: hoc autem cum Homeri dicto collatum veteribus dedit disputandi locum, ut notat Eustathius: Ξενοφάνους περὶ τῆς Ἴριδος ἐν ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν οὕτω φράζοντος, — οἱ ἀκριβέστεροι ὁρμώμενοι ἐκ τοῦ (Ὁμηρικοῦ) ἐν νέφεϊ στήριξε φασὶν, οὐ νέφος εἶναι τὴν Ἶριν ἀλλὰ πάθος περὶ νέφος, κτλ.

Ceterum tres Iridis colores, unde ipsa τρίχρως dicta, celebrati sunt a veteribus, quamquam varie nominati: Xenophani τὸ πορφύρεον dicitur, quod est nigro colori proximum; pallidius τὸ φοινίκεον, *croceum*; τὸ χλωρὸν denique albo proximum. Etsi τὸ πορφυροῦν et τὸ φοινικοῦν frequenter solent confundi, distinguuntur tamen manifesto ab Aristotele Meteor. III, 4. p. 447, D: τό τε λύχνου φῶς οὐ λευκὸν ἀλλὰ πορφυροῦν φαίνεται κύκλῳ καὶ ἰριῶδες, φοινικοῦν δ' οὔ. Idem Meteor. III, 2. p. 445, A hos tres nominat Iridis colores: τὸ φοινικοῦν καὶ πράσινον καὶ ἀλουργόν; in quibus τὸ ἀλουργὸν est nigro, τὸ φοινικοῦν albo colori proximum, medium inter utrumque τὸ πράσινον. Multa super his disserunt Aristotelis interpretes Alexander et Olympiodorus in commentariis ad Meteorologica.

XIV.

Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ γένετ' οὐδέ τις ἔςαι
εἰδὼς, ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων·
εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιςα τύχοι τετελεσμένον εἰπὼν,
αὐτὸς ὁμῶς οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

Hos versus laudat Sextus Empir. adv. Mathem. VII, 49, et 110. VIII, 326. Praeterea duos priores versus laudat Plutarch. Aud. poët. p. 15, E (Vol. VI, p. 61, Reisk.); prima verba usque ad εἰδὼς Diog. Laert. IX, sect. 72; versus tertium et quartum Origenes Philosoph. c. XIV, T. I, p. 892 (ed. Delarue.); Galenus de different. puls. III, 1. T. VIII, p. 62 (ed. Charter.); postremam sententiam δόκος δ' Sextus Empir. Pyrrhon. II, 18; Proclus in Timaeum p. 78.

Sextus Empiricus adv. Math. VII, 49. p. 380 sic hos versus interpretatur: διὰ τούτων γὰρ σ α φ ὲ ς μὲν ἔοικε λέγειν τἀληθὲς καὶ τὸ γνώριμον· . . . ἄ ν δ ρ α δὲ τὸν ἄνθρωπον, τῷ εἰδικῷ καταχρώμενος ἀντὶ τοῦ γένους· . . . . ἀμφὶ θ ε ῶ ν δὲ ὑποδειγματικῶς περί τινος τῶν ἀδήλων· δ ό κ ο ν δὲ, τὴν δόκησιν καὶ τὴν δόξαν. ὥςε τοιοῦτον εἶναι κατὰ ἐξάπλωσιν τὸ ὑπ' αὐτοῦ λεγόμενον· τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς καὶ γνώριμον οὐδεὶς ἄνθρωπος οἶδε, τό γε ἐν τοῖς ἀδήλοις πράγμασι· κἂν γὰρ ἐκ τύχης ἐπιβάλλῃ τούτῳ, ὅμως οὐκ οἶδεν ὅτι ἐπιβέβληκεν αὐτῷ, ἀλλ' οἴεται καὶ δοκεῖ. Ita Sextus. De sententia infra disseremus; nunc verba explicanda sunt.

XIV. Nec fuit quisquam neque futurus est qui certo
sciat haec, quae de Diis et de omni natura praedico:
nam licet aliquis cum maxime verum ratumque dicat,
id tamen ipse haud certo scit; sed opinari tantum de rebus licet.

vs. 1. τὸ μὲν οὖν σαφές. Potest τὸ σαφὲς adverbii instar haberi, veluti simpliciter σαφὲς usurpatur a poëtis: articulus enim saepe hoc modo additur, ut mox in τὰ μάλιςα. Vid. Fischer ad Weller. Animadv. I, p. 334 sq. Potest tamen sic quoque explicari: τὸ σαφὲς περὶ τούτων ἅσσα λέγω. — γένετ' exhibet Plutarchus; Sextus et Diogenes legunt ἴδεν; at cum ἰδεῖν rarius significet *scire*, et Plutarchi lectio magis concinnam faciat orationem, hanc ego recepi. Mox ἅσσα Sextus; Plutarchus ὅσσα. — Ad hanc sententiam respexisse Aristotelem putant Poët. c. 25: ἴσως γὰρ οὔτε βέλτιον οὕτω λέγειν, οὔτ' ἀληθῆ· ἀλλ' ἔτυχεν, ὥσπερ Ξενοφάνης, οὐ σαφῆ τάδε; ut legit Hermannus; sed lectio haec non constat. Concinit vero cum his Empedoclis sententia apud Sext. Empiricum:

τὸ δ' οὖλον ἐπεύχεται εὑρεῖν
αὔτως· οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν οὔτ' ἐπακουςὰ
οὔτε νόῳ περιληπτά.

Vid. Sturz. in Empedocl. p. 488.

vs. 3. εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιςα. Apud Galenum sic legitur:

ἢν γὰρ καὶ τὰ μέγιςα τύχῃ τετελεσμένα, εἰπὼν
αὐτὸς, ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.

Etiam Origenes pro τύχοι habet τύχῃ; sed τὰ μέγιςα certe vitiosum est, neque Galeni interpunctio vulgatae anteponenda. — τὰ μάλιςα pro adverbio positum est ut simplex μάλιςα. — τετελεσμένον verbum Homericum: vid. Il. α. 212, ξ. 195. Od. ε. 90. Apollonii Lex. p. 643. ed. Tollii. Sententia haec celebrata praesertim est a Scepticis, quorum dicta laudat Sextus Emp. VIII, 325, vim hujus placiti egregie illustrantia.

vs. 4. δόκος, h. e. δόκησις vel δόξα, interprete Sexto. Etiam Archiloch. fragm. XIV, p. 98. in Collect. Lips. et Callimachus hoc nomine usi sunt: cf. Fabric. ad Sext. Emp. p. 71. Antiquum vocabulum vulgari permutavit Epiphanius, hoc dictum ita referens: δόκησις δ᾽ ἐπὶ πᾶσι τέτυκται. adv. Haereses L. III, Vol. I, p. 1087.

XV.

Ταῦτα δεδόξαςαι μὲν ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισι.

Laudat hunc versum Plutarchus Sympos. IX, p. 746 B. ubi proverbii instar usurpatur. Eadem in hoc versu affirmandi modestia cernitur. — δεδόξαςαι scripsi pro δεδόξασθαι, quod in Plutarcho legitur ob verborum nexum. — ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισι modestius est dicere quam ἔτυμα, atque hic usus verbi ἐοικέναι etiam in elegantem sermonem translatus est. Plato Cratyl. p. 416, A: ἐοικάς γε ὀρθῶς λέγοντι. Ibid. p. 409, A. Rep. III, p. 414, C.

XVI.

Οὔτοι ἀπ᾽ ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖς ὑπέδειξαν,
ἀλλὰ χρόνῳ ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον.

Versus laudati a Stobaeo in Florileg. Tit. XXIX, sect. 41. ed. Gaisf. et in Eclog. P. I, p. 224, in quibus Gaisfordtii lectionem secuti sumus. Pro ὑπέδειξαν

XV. Haec quidem vero videntur similia.

XVI. Non omnia statim ab initio Dii monstrarunt mortalibus, sed temporis progressu ipsi meliora quaerendo repererunt.

alii ἐπέδειξαν, alii παρέδειξαν ediderunt; pro ἐφευρίσκουσιν Eclogg. libri ἐφεύρισκον, unde Grotius, ut metrum constaret, emendavit ἐφεύρισκόν τι ἄμεινον. Sed ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον breviter dictum est, sicut in veteri illo proverbio: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Vid. Hesychius T. I, c. 1557, et Alberti ad h. l.

Spectant autem hi versus ad artium inventionem, quibus homines ex agresti victu ad lautiorem vitam exculti sunt; de quarum origine varia erat veterum opinio. Fabulosa antiquitas, quae omnia ad Deos referre consueverat, artes quoque divinitus ad homines delatas praedicabat; doctiores vero eas non a Diis datas sed humana industria paullatim inventas et partas esse judicarunt; ut in hoc versu ait Xenophanes. Similiter alii, veluti Aeschylus in Prometheo, cujus persona praeclare humanae industriae vim significat, huic auctori omnium artium inventionem tribuit, vs. 440, sqq. Moschion in clarissimis versibus apud Stobaeum Eclog. P. I, p. 240 sqq. ubi praeter alia haec occurrunt:

ἐπεὶ δ' ὁ τίκτων πάντα καὶ τρέφων χρόνος
τὸν θνητὸν ἠλλοίωσεν ἔμπαλιν βίον, — —
τόθ' εὑρέθη μὲν καρπὸς ἡμέρου τροφῆς,

ceteraque, quibus hominum cultum describit. Idem argumentum Plato initio libri III de Legg. et Diodorus Siculus in Historiarum principio tangit, qui dicit, πάντων τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις. p. 12, Wess.

Hoc argumentum prisci poëtae et philosophi adhibuerunt ad excitandam et acuendam hominum industriam, ut Hesiodus ἔργ. vs. 42, cujus sententiam expressit Virgilius Georg. I, 121; item ille, cujus dictum So-

crates in Xenoph. Memor. II, cap. 1. §. 20, laudat, Epicharmus :

—— —— —— τῶν πόνων
πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί.

In Xenophanis versu quamquam χρόνῳ optime defendi potest, tamen si πόνῳ legeretur, versus non foret deterior.

XVII.

Athenaeus II, p. 54. E : Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἐν παρῳδίαις·

Πὰρ πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν χειμῶνος ἐν ὥρῃ
ἐν κλίνῃ μαλακῇ κατακείμενον, ἔμπλεον ὄντα,
πίνοντα γλυκὺν οἶνον, ὑποτρώγοντ' ἐρεβίνθους·
τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόσα τοι ἔτη ἐστὶ, φέριστε;
πηλίκος ἦσθ', ὅθ' ὁ Μῆδος ἀφίκετο; —

Quamquam carminis genus παρῳδίαι, ut supra animadvertimus, posterius Xenophane fuisse videtur, non ideo de horum versuum auctoritate dubitandum est. Inest autem in his senilis quaedam jucunditas, qua agnoscere videare poëtam aetate jam grandiorem, postquam a negotiis et periculis ad quietem et otium esset regressus, cum hospitibus confabulantem et superioris aetatis res gestas memoriâ recolentem : ut

---

XVII. Hiemali tempore sic loqui convenit ad focum
molli in lecto cubantem, saturum,
dulce bibentem vinum, subinde cicera edentem:
Quis es unde terrarum? quot annos habes, o bone?
quotum agebas annum, quando Medus invasit?

probabile sit, quod clar. Cousinio videtur, carmen hoc a Xenophane, cum Veliae, quo provectior jam aetate se contulerat, versaretur, fuisse compositum.

vs. 3. ὑποτρώγοντα, *edentem inter bibendum* : haec enim vis est praepositionis ὑπὸ. Corayus legi malebat ἐπιτρώγοντ', quod rectum quidem est, attamen non necessarium. De *erebinthis* agit h. l. Athenaeus; Eustathius Il. ν, p. 948. l. 40 : ἐρεβίνθων δὲ μνεία καὶ παρὰ Ξενοφάνει, ὡς χρηστῶν ὄντων ἐν συμποσίῳ· φησὶ γάρ.

πίνοντα γλυκὺν οἶνον, ὑποτρώγοντ' ἐρεβίνθους.

vs. 5. ὁ Μῆδος. *Medum* hic dici non Darium aut Xerxem, sed Cyri superioris ducem Harpagum, qui Iones debellavit, jam monuimus. Similiter in Theolog. Arith. supra p. 4 mentionem vidimus τῆς ὑπὸ Ἁρπάγου τοῦ Μήδου Ἰώνων πολιορκίας καὶ ἀναστάσεως.

XVIII.

Diogenes Laërtius VIII, 36, e Xenophanis elegia quadam hos versus laudat, qui ad Pythagorae metempsychosin spectant : περὶ δὲ τοῦ ἄλλοτε ἄλλον γεγενῆσθαι Ξενοφάνης ἐν ἐλεγείᾳ προσμαρτυρεῖ, ἧς ἀρχή·

Νῦν ουν τ' ἄλλον ἔπειμι λόγον, δείξω δὲ κέλευθον.

ὃ δὲ περὶ αὐτοῦ φησὶν οὕτως ἔχει·

καί ποτέ μιν στυφελιζομένου σκύλακος παριόντα
φασὶν ἐποικτεῖραι καὶ τόδε φάσθαι ἔπος·
παῦσαι, μηδὲ ῥάπιζ', ἐπειὴ φίλου ἀνέρος ἐστὶ
ψυχὴ, τῆς ἔγνων φθεγξαμένης ἀΐων.

E Diogene eosdem versus descripsit Suidas v. Ξενοφάνης. Carmen hoc e didactico genere fuisse, prima

jam verba, ἔπειμι λόγον, δείξω δὲ κέλευθον, indicant. Primum autem hunc versum Diogenes elegiae initium fuisse dicit : tamen non inceptum hoc versu carmen sed potius continuatum fuisse ipsa ostendunt verba, quae transitum ab una re ad aliam significant. Unde colligi potest elegiam hanc longioris fuisse argumenti, postea autem, quod pluribus veterum carminibus accidit, in plures partes esse discerptam.

Videtur autem his versibus perstringi Pythagoras, cujus placita, ut a communi hominum opinione aliena, saepius a poëtis praesertim comicis derisa esse, e Cratini aliorumque veterum fragmentis apparet. Fuit autem inter Pythagorae et Pythagoreorum placita celebrius nullum quam illud, mortuorum animas in alia corpora migrare non modo hominum sed bestiarum etiam; quamobrem laedere eas aut occidere nefas praedicabant. De cujus placiti auctoritate ne quis dubitet, eadem Pythagoreo Empedocli fuit sententia, ut Aristot. Rhet. I, 13. p. 418 C. memorat, et ipsius versus apud Sext. Empir. adv. Mathem. IX, sect. 127-129 declarant, qui cum his conferendi sunt : cf. Rittershus. in Porphyr. nº 36, p. 49 sqq. ed. Kuster. Si igitur Xenophanes, ut videtur, natu minor fuit quam Pythagoras, non mirum, hoc placitum esse ab eo derisum.

Iidem versus omisso auctoris nomine laudantur in

XVIII. Jam ad alium sermonem aggredior viamque monstrabo.

Aliquando illum (Pythagoram) catuli verberibus caesi praeteriuntem
aiunt esse miseratum, et sic locutum :
Parce verberare, siquidem cari hominis est
anima, quem agnovi clamitantem.

Anthol. Gr. l. I, tit. 86, p. 345. ed. Bosch. praemittuntur autem hi duo :

Ἥνικα Πυθαγόρης τὸ περικλεὲς εὕρατο γράμμα
κεῖν', ἐφ' ὅτῳ κλειτὴν ἤγαγε βουθυσίην,
δή ποτέ μιν ςυφελιζομένου κτλ.

Qui versus spectant ad celebratum illud Pythagorae inventum de *hypotenusa*, quod hic mira profecto ratione cum fortuito canis occursu jungitur. Mihi quidem facile in eo agnoscere videor interpolatoris manum, qui haec veluti dispersa membra concinnare studuerit. Quamobrem si illi versus sunt Xenophanis, non tamen hi quoque eidem tribuendi sunt. Plutarchus de Vita secund. Epicur. T. X, p. 501 Reisk. Athenaeus L. X, p. 418. extr. Diogenes L. VIII, s. 12 postremos hos versus separatim laudant, eorumque auctorem Apollodotum, vel rectius Apollodorum nominant.

Vs. 1. νῦν οὖν τ' Nescio an legendum sit νῦν αὖτ'; tamen propter varium et frequentem apud veteres poëtas usum particulae τε, id affirmare non audeo.

Vs. 2. ςυφελιζομένου. Verbum ςυφελίζειν significat *aspere et contumeliose tractare, vexare.* Homerus Il. λ. 305. φ. 512. Hesychii interpretatio, ὠθεῖν, πατάσσειν, h. l. congruit. In Suida olim versus hic legebatur ita corruptus :

καί ποτέ μοι ςυφελιζομένῳ σκύλακος παριόντος.

Vs. 5. τῆς ἔγνων φθεγξαμένης. Ita correxi vulg. τὴν ἔγνων φθεγξαμένης ἀΐων; quae lectio quamvis grammatica ratione possit explicari, ita ut accusativus τὴν ad ἔγνων, genitivus φθεγξαμένης ab ἀΐων pendeat, tamen haec structura a sermonis usu et elegantia pror-

sus aliena videtur. Duplex autem se offerebat emendatio, altera τὴν ἔγνων φθεγξαμένην, altera τῆς ἔγνων φθεγξαμένης, quarum posteriorem recipere non dubitavi, quod non solum verba *audiendi*, velut ἀΐειν, ἀκούειν, sed etiam *cognoscendi*, γιγνώσκειν, συνιέναι, ἐννοεῖν, al. saepe genitivo junguntur, praesertim si participium additur. Oraculum apud Herodot. I, 47: καὶ κωφοῦ συνίημι καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω. Plato in Apolog. Socr. p. 27, A: αρα γνώσεται Σωκράτης ὁ σόφος δὴ ἐμοῦ χαριεντιζομένου. Id. Alcib. I, p. 129, B: καίτοι ἐννοῶ σοῦ εἰπόντος. Itaque idem casus et ad verbum ἔγνων et ad participium ἀΐων potest referri, quod quam frequens sit apud Graecos, non opus est multis declarare. Vid. e. g. Homer. Od. α. 26. Aeschylus Sept. adv. Theb. 926. Pindar. Ol. VIII, 20.

XIX.

Athenaeus X, p. 413. sq. elegiacos Xenophanis versus laudat, quibus publica ludorum certamina, quae ingenti studio colebant Graeci summisque praemiis et laudibus honorabant, vituperat, quod nihil ea aut ad publicam aut ad privatam prosperitatem prosint; extollit contra poëtarum doctorumque artes et studia, quae cum maximum habeant utilitatis fructum, tum multo illis dignitate anteponenda sint. Carmen hoc, cujus partem Athenaeus servavit, publice cantatum esse, argumentum indicio est; idque Xenophanem uberius etiam tractasse cognoscitur ex iis, quae Athenaeus laudatis his versibus addit: πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ὁ Ξενοφάνης κατὰ τὴν ἑαυτοῦ σοφίαν ἐπαγωνίζεται, διαβάλλων ὡς ἄχρηστον καὶ ἀλυσιτελὲς τὸ τῆς ἀθλήσεως εἶδος. *Multa praeterea Xenophanes contendit suam laudans sapientiam, ludicras*

autem certandi artes tanquam inutiles et vanas vituperans. Idem Euripidis quoque versus laudat quorum eadem est sententia, e Xenophane, ut arbitratur, expressa : ταῦτ' εἴληφεν ὁ Εὐριπίδης ἐκ τῶν τοῦ Κολοφωνίου ἐλεγείων Ξενοφάνους οὕτως εἰρηκότος·

'Αλλ' εἰ μὲν ταχυτῆτι ποδῶν νίκην τις ἄροιτο,
ἢ πενταθλεύων, ἔνθα Διὸς τέμενος
πὰρ Πίσαο ῥοῆς ἐν 'Ολυμπίῃ, εἴτε παλαίων,
ἢ καὶ πυκτοσύνην ἀλγινόεσσαν ἔχων,
εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον ὃ παγκράτιον καλέουσιν,
ἀςοῖσίν κ' εἴη κυδρότερος προςορᾶν,
καί κε προεδρίην φανερὴν ἐν ἀγῶσιν ἄροιτο,
καί κεν σῖτ' εἴη δημοσίων κτεάνων
ἐκ πόλεως καὶ δῶρον ὅ οἱ κειμήλιον εἴη·
εἴτε καὶ ἵπποισιν, ταῦτά χ' ἅπαντα λάχοι,
οὐκ ἐὼν ἄξιος ὥσπερ ἐγώ· ῥώμης γὰρ ἀμείνων
ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων ἡμετέρη σοφίη.
ἀλλ' εἰκῇ μάλα τοῦτο νομίζεται, οὐδὲ δίκαιον
προκρίνειν ῥώμην τῆς ἀγαθῆς σοφίης.

XIX. Si vero aut pedum velocitate victoriam quis consequatur
aut quinquertio, apud Jovis lucum
ad Pisae undas Olympiae, sive etiam luctando,
seu durum exercendo pugillatum
seu grave illud certamen pancration quod vocant,
is solet apud cives suos adspectu esse honoratior,
et praestantiorem sedem in certaminum spectaculis obtinet,
et publico civitatis sumtu alitur
et donatur munere quod ei sit honoris monumentum;
seu denique curru victoriam reportet, cuncta haec accipiat praemia;
etsi dignitate me est inferior : robore enim praestantior
hominum equorumque nostra est sapientia.
Perversus vero admodum iste mos est, neque justum
bonis ingenii artibus corporis robur anteponi.

οὔτε γὰρ εἰ πύκτης ἀγαθὸς λαοῖσι μετείη,
    οὔτ' εἰ πενταθλεῖν, οὔτε παλαισμοσύνην,
οὐδὲ μὲν εἰ ταχυτῆτι ποδῶν, τόπερ ἔϛι πρότιμον
    ῥώμης, ὅσσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει,
τοὔνεκεν ἂν δὴ μᾶλλον ἐν εὐνομίῃ πόλις εἴη·
    σμικρὸν δ' ἄν τι πόλει χάρμα γένοιτ' ἐπὶ τῷ,
εἴτις ἀεθλεύων νικῷ Πίσαο παρ' ὄχθας·
    οὐ γὰρ πιαίνει ταῦτα μυχοὺς πόλεως.

vs. 1. εἰ μὲν. Wakef. Sylv. Crit. II, p. 49 emendat εἴ κεν, idque Schweighäusero et aliis probabile visum, quia mox in apodosi vs. 6 eadem particula repetitur. Et sane quam facile fuerit has voces confundere, permutatis literis K et M, e Bastii Comment. Palaeogr. post Gregorium Corinth. ed. Schaefer. p. 721, et Alberti annotat. ad Hesych. v. ἐπιλήκητος, disci potest. Tamen quum non pateat, an particula μὲν superioribus, quae nobis perierunt, fortasse apta fuerit, nihil mutandum puto.

vs. 3. πὰρ Πίσαο ῥοῇς. Plerumque in ludis Olympicis praedicandis non flumen *Pisa*, sed civitas ejusdem nominis memoratur Jovi sacra, apud quam festa certamina agebantur : de qua plura notavi in Specim. Pindar. p. 69 sq. Stephanus Byz. tamen dicit :

Non enim, si bonus pugil sit in civitate,
aut quinquertio aliquis excellens aut lucta
aut pedum velocitate quae est robori anteferenda,
(quae sunt virorum in ludis certamina;)
ideo constituta melius et morata fuerit respublica.
Parvum modo gaudium civitas inde capit,
si certamine aliquis vicerit ad Pisae ripas :
non enim ditantur his civium foci.

Πίσα, πόλις καὶ κρήνη τῆς Ὀλυμπίας. Hic autem notanda forma Πίσαο, quae et infra vs. 21 occurrit, ducta a nom. Πίσας vel Πίσης, ut animadvertit Schweigh. h. l.

vs. 4. πυκτοσύνην ἀλγ. ἔχων. Pro ἔχων mallem ἑλὼν, ab αἱρεῖσθαι, quod significat *rei alicui studere*, veluti in hoc Pindari dicto: εὐθεῖα δὴ κέλευθος ἀρετὰν ἑλεῖν. fragm. 75. Boeckh. cf. Herod. III, 52. Demosth. de Coron. p. 332, 5. Plutarch. de Sanitate T. VI, p. 469. Reisk.

vs. 5. εἴτε τὸ δεινὸν, e Wakefieldii emend. receperunt Schweigh. et Dindorf. Libri εἴτε τι δεινόν.

vs. 6. κυδρότερος προσορᾶν. Casaubon. Schweigh. Stephan. dederunt κυδρότερος πρὸς ἄκρα, quod interpretati sunt, *longe aliis venerabilior* sive *longe omnium gloriosissimus*; veluti πρὸς ἄκρα idem valeret ac παρὰ πολὺ, etsi hanc dictionem Graecitas non agnoscit. Praeterea variat codd. scriptura: Ms. A. προσερᾶν, unde nata est Jacobsii emendatio προσορᾶν, merito recepta Dindorfio: est enim tam luculenta, ut similium exemplorum comparatione eam vix opus sit illustrare, velut Aeschyli Prometh. 246: φίλοις ἐλεεινὸς εἰσορᾶν ἐγώ. al. quae laudat ipse Jacobs Additam. in Athenaeum p. 220. Pro κυδρότερος libri quidam Mss. et Edd. κεδρότερος; fortasse voluerint κεδνότερος.

vs. 8. σῖτ' εἴη. Haec emendatio debetur Turnebi acumini; libri σιτείη, qua lectione claudicat sententia, cum verbum desit ad quod in sq. vs. δῶρον referatur. Aliorum conjecturas omitto, quas memorat Casaubonus. — σῖτ' h. e. σῖτα, forma plurali, idem valet quod σιτία. Utrumque autem honoris genus, προεδρίαν et σίτησιν, quae laudis virtutisque erant praemia apud Graecos, conjungit etiam Aristoph. Equit. vs. 575:

νῦν δ' ἐὰν μὴ προεδρίαν φέρωσι καὶ τὰ σιτία,
οὐ μαχεῖσθαί φασιν.

vs. 10. εἴτε καὶ ἵπποισιν. Mirum quantum in ordinando hoc versu et interpunctione distinguendo haeserint interpp. Casaubonus haec verba cum praecedenti αἱ conjunxit : δῶρον ὅ οἱ κειμήλιον εἴη εἴτε καὶ ἵπποισι. Schweighäuser sic interpunxit :

εἴτε καὶ ἵπποισιν ταῦτά κε πάντα λάχοι·
οὐκ ἐὼν ἄξιος ὥσπερ ἐγώ.

Hoc autem modo quum oratio claudicet, in interpretando ad ἀποσιώπησιν confugit; quam ut suppleret Dindorfius, correxit ita : οὐ κ' ἔα ἄξιος. At vero apertum videtur, verba εἴτε καὶ ἵπποισι respondere superioribus εἴτε παλαίων — εἴτε τὸ δεινὸν ἄεθλον, atque ita explicanda esse : εἴτε καὶ ἵπποισι νίκην ἄροιτο, ταῦτά γε ἅπαντα λάχοι δῶρα, ea nempe quae modo memoraverat, προεδρίαν, σιτία. Haec interpretatio probata est Bachio in censura Athenaei a Dindorfio editi. Vid. Jahrbücher für Philologie auct. Jahn IX, 3. p. 315. — χ' ἅπαντα Dindorfius ; ceteri γ' ἅπαντα, vel κε πάντα.

vs. 12. σοφίη dicitur poëtarum ars et sapientia, qua olim omnis tam privatarum quam publicarum rerum disciplina continebatur. Eadem mox vs. 14 dicitur ἡ ἀγαθὴ σοφίη h. e. *sapientia alma, salutaris*, veluti ἀγαθὴ ἐλπὶς, ἀγαθὴ μοῖρα, et apud Latinos *bonae artes* dicuntur. Quamobrem Valckenaerii conjectura, pro ἀγαθῆς leg. ἀγανῆς, supervacanea videtur.

vs. 16. λαοῖσι μετείη conjecit Stephanus in Poësi Philos. p. 221; probavit Jacobs l. l. et recepit Dindorf. Legebatur λαοῖσιν ἔτ' εἴη, permutatis literis N et M. cf. Homer. Il. ε, 85. al. Hic autem notanda orationis constructio, οὔτε εἰ πύκτης ἀγαθὸς — οὔτε εἰ πενταθλεῖν, οὔτε

παλαισμοσύνην, πρ. ἀγαθός. Similiter Pindarus Olymp. VI, 17 : μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι. Mox denuo variat in ταχυτῆτι ποδῶν, ubi intelligatur νικῷ.

vs. 18. ὅσσ' — ἔργα πέλει. Interpp. haec verba jungunt cum praecedenti ῥώμης, veluti dictum esset ita : τόπερ ἐστι πρότιμον τῶν ῥώμης ἔργων ὅσσ' ἐν ἀγῶνι πέλει. Potius ὅσσα referendum puto ad cuncta illa quae modo memoravit certaminum genera : pugillatum, quinquertium, luctam, cursum, quibus inter se viri solerent contendere.

vs. 19. τοὔνεκεν ἄν. Sic plures libri, quos sequitur Dindorfius; alii τοὔνεκεν ἄρ.

vs. 21. νικῷ. Schweighäuser aut νικῴη aut νικᾷ scribendum fuisse putabat, falsus in eo quod opinabatur in optativo dici non posse νικῷ, quod tamen usitatum est.

vs. 22. οὐ γὰρ πιαίνει. Xenophanis hoc dictum repetit Eustath. p. 1229, 21. ut notat Dind. Sententiam versuum 15-19 illustrat locus Isocratis Paneg. I. Πολλάκις ἐθαύμασα — ὅτι τὰς μὲν τῶν σωμάτων εὐεξίας οὕτω μεγάλων δωρεῶν ἠξίωσαν, τοῖς δὲ ὑπὲρ τῶν κοινῶν ἰδίᾳ πονήσασι καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς οὕτω παρασκευάσασιν ὥστε καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν δύνασθαι, τούτοις οὐδεμίαν τιμὴν ἀπένειμαν· ὧν εἰκὸς ἦν αὐτοὺς μᾶλλον ποιήσασθαι πρόνοιαν. Τῶν μὲν γὰρ ἀθλητῶν δὶς τοσαύτην ῥώμην λαβόντων, οὐδὲν ἂν πλέον γένοιτο τοῖς ἄλλοις· ἑνὸς δὲ ἀνδρὸς εὖ φρονήσαντος ἅπαντες ἂν ἀπολαύσειαν οἱ βουλόμενοι κοινωνεῖν τῆς ἐκείνου διανοίας.

XX.

Athenaeus XII, p. 526. AB. prodit Xenophanis versus quibus Colophoniorum reprehendit luxuriam, quam e Lydorum consuetudine traxissent, ut Phylarchus quoque ibidem memorat: Κολοφώνιοι δ᾽, ως φησι Φύλαρχος, τὴν ἀρχὴν ὄντες σκληραὶ ἐν ταῖς ἀγωγαῖς, ἐπεὶ εἰς τρυφὴν ἐξώκειλαν πρὸς Λυδοὺς φιλίαν καὶ συμμαχίαν ποιησάμενοι, προήεσαν διησκημένοι τὰς κόμας χρυσῷ κόσμῳ, ὡς καὶ Ξενοφάνης φησίν. — οὕτω δ᾽ ἐξελύθησαν διὰ τὴν ἄκαιρον μέθην, ὥςτε τινὲς αὐτῶν οὔτε ἀνατέλλοντα τὸν ἥλιον οὔτε δυομένον ἑωράκασιν, κτλ. Colophoniorum luxum ad Milesios propagatum per ceteras deinceps Ionum civitates serpsisse, scripsit Clearchus apud Athenaeum XII, p. 324 B. Ita ergo Xenophanes:

Ἀφροσύνας δὲ μαθόντες ἀνωφελέας παρὰ Λυδῶν,
  ὄφρα τυραννείης ἦσαν ἄνευ ςυγερῆς,
ἤεσαν εἰς ἀγορὴν παναλουργέα φάρε᾽ ἔχοντες
  οὐ μείους ἤπερ χίλιοι ὡς ἐπίπαν,
αὐχαλέα, χαίτῃσιν ἀγαλλόμενοι εὐπρεπέεσσιν,
  ἀσκητοῖς ὀδμὴν χρίμασι δευόμενοι.

vs. 1. ἀφροσύνας. Schneiderus conj. ἀβροσύνας; hoc etsi proprium sit mollitiei et luxuriae nomen, gravius tamen ἀφροσύνη, quod contrarium est τῇ σωφροσύνῃ atque

---

XX. Insanas libidines perniciosas a Lydis edocti,
dum expertes adhuc essent importunae tyrannidis,
prodibant in forum purpureis amicti palliis
non pauciores quam mille omnino principes,
habitu superbi, composite comtis insignes capillis,
exquisiti odoris unguentis delibuti.

h. l. *libidinum insaniam* sive *dementiam* notat. *Lydos* autem luxuria quondam insignes fuisse testantur Herod. I, 94. Athenaeus XII, p. 515, E.

vs. 2. ἦσὰν ἄνευ ϛυγερῆς. Ita Dindorf codicum vestigiis ductus scripsit pro vulg. ἦσαν ἐπὶ ϛυγερῆς. Dum liberi adhuc essent Colophonii, luxuriosis his moribus fracti sunt, eaque fuit causa ut mox libertatem amiserint. Diogenes Babyl. apud Athen. h. l. διὰ τὴν τοιαύτην ἀγωγὴν ἐν τυραννίδι καὶ στάσεσι γενόμενοι αὐτῇ πατρίδι διεφθάρησαν. Pro τυραννίης correxi τυραννείης; ut προμηθείην fragm. XXI. extr.

vs. 3. παναλουργέα — χαίτῃσιν ἀγαλλόμενοι. Purpurea vestis, comti capilli luxuriosorum habebantur : cf. quae de Sybaritis dicit Timaeus apud Athenaeum XII, p. 522. A. et de Atheniensium luxu Heraclides Pont. ibid. p. 512, B. et apud Aelian. V. H. IV, 22.

vs. 4. χίλιοι. Athenaeus h. l. Θεόπομπος δ' ἐν πεντεκαιδεκάτῃ ἱϛοριῶν χιλίους φησὶν ἄνδρας αὐτῶν ἁλουργεῖς φοροῦντας στόλας ἀϛυπολεῖν. quod Theopompus fortasse a Xenophane sumsit. Mirifice autem falsus est doct. Wichers, in Theopompi fragm. 129, Animadv. p. 201, quum haec, quae ille de Colophoniis dixit, ad Lydos retulit, et Theopompi dicta cum Diogenis Babylonii dictis confudit. — ὡς ἐπίπαν scripsi, suadente Schweighäusero, pro εἰς ἐπίπαν, propter Graeci sermonis consuetudinem : vid. Hoogeveen de partic. v. ὡς, p. 580. Lips. Voces ὡς et εἰς quam crebro permutatae sint, praeter alios monet Schaeferus ad Gregor. dialect. p. 23 sq. et 78. Dubium vero, utrum ὡς ἐπίπαν cum praecedente χίλιοι (*mille omnino*) an cum sequenti αὐχαλέοι (*ut plurimum superbi*) rectius jungendum sit. Herod. VI, 46 : τὸ ἐπίπαν ὀγδώκοντα τάλαντα προσήϊε : VII. 157 : τῷ δὲ εὖ βουλευθέντι πρήγματι τελευτὴ ὡς τὸ ἐπίπαν χρηϛὴ ἐθέλει ἐπιγίνεσθαι.

vs. 5. αὐχαλέοι, nomen cognatum tam origine quam significatione cum verbis αὐχέω, καυχάομαι, *gloriari*, itaque Hesychius intp. σεμνοί. Pro eo αὐχμαλέοι dederat Casaubonus, cujus auctoritas aliis imposuit: vid. Annot. ad Hesych. h. v. Utrumque horum nominum semel tantum occurrit: alterum Xenophani e codd. restituit Schweighäuserus; alterum Choerilo vindicavit Naeckius ad Choerili fragm. p. 144.

Ibid. ἀγαλλόμενοι εὐπρεπέεσσιν. Casaubonus, ut metro consuleret, scripsit ἀγαλλόμεν', quem ceteri editores secuti sunt; cod. Pal. ἀγάλλομεν sine apostropho. Haec tamen elisio quum vix ferenda videatur, Schweighäuser. conj. ἀγάλλεμεν pro ἀγάλλειν, quem infinitivum jungit cum praecedenti αὐχαλέοι; hoc autem sensu scriptum certe oportuerat ἀγάλλεσθαι, ut Bachius l. l. monet. Mihi autem nulla hic elisio requiri videtur, modo diphthongus οι cum sequenti ευ confundatur et in pronuntiando obscuretur ita: ἀγαλλόμενοι εὐπρεπέεσσιν. Haec figura, synizesis vocata, saepius occurrit in Homero Il. ν. 777:

μέλλω, ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ πάμπαν ἀνάλκιδα γείνατο μήτηρ.

Il. ρ. 89:

ἀσβέστῳ· οὐδ' υἱὸν λάθεν Ἀτρέος ὀξὺ βοήσας.

vs. 6. ἀσκητοῖς ὀδμὴν Schweighäuser et Dindorf. e codd. pro ὀδμῇ; iidem pro χρίσμασι receperunt molliorem formam χρίμασι. Proprie vertendum: ***unguentis delibuti accurate ad odorem paratis.***

XXI.

Athenaeus XI, p. 462, fragmentum hoc refert carminis convivalis, in quo temperantem quidem sed tamen jucundum convivam et suavem ἀοιδὸν agnoscas:

Νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων
καὶ κύλικες· πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεὶς ςεφάνους,
ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ παρατείνει·
κρατὴρ δ' ἕστηκεν μεςὸς εὐφροσύνης·
ἄλλῳ δ' οἶνος ἕτοιμος ὃς οὔποτε φησὶ προδώσειν,
μείλιχος, ἐν κεράμοις, ἄνθεος ὀσδόμενος·
ἐν δὲ μέσοις ἁγνὴν ὀδμὴν λιβανωτὸς ἵησι·
ψυχρὸν δ' ἐςὶν ὕδωρ καὶ γλυκὺ καὶ καθαρόν·
πάρκεινται δ' ἄρτοι ξανθοὶ γεραρή τε τράπεζα
τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη·
βῶμος δ' ἄνθεσιν αὐτὸ μέσον πάντη πεπύκαςαι,
μολπὴ δ' ἀμφὶς ἔχει δώματα καὶ θαλίη.
Χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνὲν εὔφρονας ἄνδρας

**XXI. Jamque enim lautum est pavimentum, lautae convivarum manus
et calices : alius plectiles imponit coronas,
alius odoratum unguentum in phiala ministrat ;
crater adstat gaudii et deliciarum plenus ;
alii autem vinum praesto est, quod convivas haud profecto deficiet,
dulce, in doliis paratum, suavem spiritum exhalans.
Medios autem inter convivas castum odorem thura emittunt;
frigida quoque adest aqua et dulcis et pura;
appositi sunt panes avi mensaque lauta
pingui caseo et melle onusta.
Suggestus in medio est oribus circum stipatus ;
cantu autem resonant aedes et convivii gaudio.
Jam primum decet probos homines Deum venerari**

εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι νόοις,
σπείσαντάς τε καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι
πρήσσειν· ταῦτα γὰρ ὦν ἐςι προχειρότερον.
Οὐχ ὕβρις πίνειν δ' ὁπόσον κεν ἔχων ἀφίκοιο
οἴκαδ' ἄνευ προπόλου, μὴ πάνυ γηραλέος.
Ἀνδρῶν δ' αἰνεῖν τοῦτον ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει
ὡς ἡ μνημοσύνη, καὶ τὸν ὃς ἀμφ' ἀρετῆς·
οὔτι μάχας διέπειν Τιτήνων οὐδὲ Γιγάντων
οὐδέ τε Κενταύρων, πλάσματα τῶν προτέρων,
ἢ ςάσιας, φλεδόνας τοῖς οὐδὲν χρηςὸν ἔνεςι·
θεῶν δὲ προμηθείην αἰὲν ἔχειν ἀγαθήν.

vs. 1. ζάπεδον, h. e. δάπεδον; cf. Hesych.
vs. 2. πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεὶς. Jam dudum suspecta viris doctis haec lectio est, quod participium ἀμφιτιθεὶς non habet quo referatur. Jacobsius cum sq. versu jungere studuit, ita emendando:

πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεὶς ςεφάνους
ἄλλος ἰδ' εὐῶδες κτλ.

pro δὲ correxit ἰδ' *ecce*. Dindorfius suspicatur leg.

---

faustis verbis castisque animis,
libantes et precantes ut, quod justum sit,
faciamus: hoc enim primum est officium.
Fas est autem bibere tantum, ut possis reverti
domum sine comite, nisi quis natu sit admodum grandis.
Laudandus vero is est qui inter bibendum res utiles narrat,
quantum ei suppetat memoria, et qui virorum virtutes commemorat.
Ne praelia referamus Titanum Gigantumve
aut Centaurorum, fabulas a veteribus fictas,
neque jurgia, meras nugas frugis expertes;
sed Deos justa semper observantia colamus.

ἀμφιτιθεῖ, pro ἀμφιτίθησι; hoc probat omnino Bachius l. l. monens formas τιθεῖς, τιθεῖ, τιθεῖν non ignotas veteribus fuisse exemplo Theognidis vs. 282 et 286, e sequenti autem ἄλλος δὲ, ante hoc verbum tacite ἄλλος μὲν supplendum esse. Et sane haec pronomina, ὁ μὲν, ἄλλος μὲν, interdum omitti, cum ὁ δὲ, ἄλλος δὲ sequatur, notum est; tum autem fit, cum nulla in eo sit obscuritas, et vel in antecedenti jam oratione persona universe memorata fuerit, vel in ipso verbo personae significatio insit. Hoc autem loco durior mihi videtur haec ellipsis; potius credo, post hunc versum distichon excidisse ad quod verba illa pertinerent: quocirca omni emendatione supersedendum puto. In Latina tamen versione Dindorfii conjecturam secutus sum.

vs. 5. ἄλλῳ δ' οἶνος. Secuti sumus lectionem quam editt. Ald. Casaub. et Stephanus praebent, quamquam suspectae fidei est. Schweighäuserus quidem non aliam lectionis varietatem notat nisi quod duo codd. pro ἄλλῳ praebeant ἄλλος, quod probat ipse, et in Ms. Epit. addatur ἐςὶν, refragante metro. At Schweighäuserum in his negligentiae suspectum habet Dindorf, in praef. Edit. p. IV. not. quod verba φησὶ προδώσειν non e codd. sed ex Ald. propagata et Musuri ingenio interpolata existimat. Haec igitur ille omisit, et interpunctis lacunae notis versum ita descripsit:

ἄλλος δ' οἶνος * * ἐςὶν ἕτοιμος ὅς οὔπω

In his vero inest nullus verborum sensus, nulla cum sq. versu connexio. Quocirca cum Dindorfii suspicio etiam non satis firmata videatur, malui, ut censet quoque Bachius l. l., veterem lectionem servare. — Dictio οἶνος ὅς οὔποτε φησὶ προδώσειν non inelegans est; significat *vinum copiosum, quod ipsum spondet se*

convivis non defecturum; sic Herodot. VII, 187 dicit, προδοῦναι τὰ ῥέεθρα τῶν ποταμῶν, *fluminum aquam defecisse*; cf. Bachius. Caeterum si quis e codd. pro ἄλλῳ malit ἄλλος et pro οὔποτε recipere οὔπω, non adversabor.

vs. 6. ἄνθεος ὀσδόμενος, vinum suave olens, generosum, quod ἀνθοσμίαν appellabant veteres, ut monet Casaubonus. Vid. Aristoph. Ran. vs. 1150. (ed. Brunck.) idem Plut. 808, cum annot. Hemsterh. et Alberti ad Hesych. in h. v.

vs. 11. αὐτὸ μέσον dictum videtur pro ἐν αὐτῷ τῷ μέσῳ, veluti μέσον simpliciter positum pro ἐν μέσῳ usurpari solet. Simili ratione plura composita sunt adverbia, veluti αὐτὸ μόνον, αὐτὸ χρῆμα, quae illustrat Bastius Ep. crit. p. 135, Lips. item αὐθῆμαρ, αὐθωρὸν. Welckerus ad Theognid. p. 50. scribit αὐτόμεσον, una voce. Quia tamen illa dictio prorsus insolens est, corrigendum fortasse videbitur ἂν τὸ μέσον, quod habet Theogn. vs. 837. Lexicon S. Germani: ἀνὰ μέσον, ἀντὶ τοῦ ἐν μέσῳ. Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι. Vid. Bast. l. l. p. 133, not.

vs. 13. Versus hic ita editus est:

χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας.

Parum numerose; nos pro ὑμνεῖν recepimus ὑμνὲν, quod et vett. Edd. et Mss. Schweighäuseri tuentur, neque a Xenophane magis alienum videtur quam ὀσδόμενος, forma utrumque Dorica: sic verba, quamquam non admodum suaviter, cadunt tamen numerosius. — In vs. sq. recepi καθαροῖσι νόοις pro vulg. καθ. λόγοις, quo inanis verborum repetitio μύθοις et λόγοις evitatur; debetur haec emendatio Eichstaedio, eamque probavit Welckerus ad Theognid. l. l. Comparant Plutarchi

praeceptum de Is. et Osir. p. 378 : ὅσια φρονεῖν, εὔφημα λέγειν.

vs. 15. τὰ δίκαια δύνασθαι πρήσσειν. Ne quem offendat h. l. verbum δύνασθαι, notandum, verbum hoc et latinum *posse* interdum dici non tantum de naturali et propria alicujus potestate, sed etiam de rei facultate aut sorte quae nobis aliunde, veluti a Deo, contigit. Herodot. VII, 134 : τοῖσι Σπαρτιήτῃσι καλλιερῆσαι θυομένοισι οὐκ ἐδύνατο. Simonides fr. 231, vs. 17, ed. Lips. p. 214 :

οἱ δ' ἐν θαλάσσῃ. — — —
θνήσκουσιν, εὖτ' ἂν μὴ δυνήσωνται ζόειν.

Eodem sensu h. l. positum est.

vs. 16. ταῦτα — προχειρότερον. Potest hoc per ellipsin explicari, ut intelligatur ταῦτα ποιεῖν (nempe θεὸν ὑμνεῖν, σπένδειν, εὔχεσθαι) ἐςὶ προχειρότερον. Attamen Graeci saepius tam pronomen quam adjectivum ita usurpant, ut ea substantivorum instar per se posita sint. Utriusque generis exemplum apponam : Plato Legg. IV, 2. p. 707 A : ὅτι κακὸν ἐν θαλάσσῃ τριήρεις ὁπλίταις παρεςῶσαι. hic κακὸν per se positum est; Homerus Il. η. 97 : λώβη τάδε γ' ἔσσεται. ubi similiter τάδε usurpatum. Itaque h. l. ταῦτα et προχειρότερον utrumque substantive accipi potest.

vs. 18. ἀφίκοιο οἴκαδ' ἄνευ προπόλου, *sine puero facem portante aut viam monstrante* ab epulis redire modicae potationis et veteris temperantiae indicium, quod apud Lacedemonios etiam lege jussum erat : πιόντες δὲ μετρίως ἀπίασι δίχα λαμπάδος, ait Plutarchus Lycurg. c. 12. Xenophon Rep. Laced. c. 5, sect. 7.

vs. 20. ὡς ἡ μνημοσύνη, κτλ. Versus hic a viris doctis varie tentatus et explicitus est. Casaubonus ita corrigendum putabat :

ἔσσ' ἡ Μνημοσύνη, ἣ τὸν ὅσ' ἀμφ' ἀρετῆς.

« eos, inquit, sermones probat inter pocula, qui nos reddant aut doctiores aut meliores. » Ergo hic sententiam ita supplevisse videtur : τοῦτον ὃς ἀναφαίνει, ἔσσα ἡ Μνημοσύνη (μνημονεύει), ἣ τὸν (ὃς ἀναφαίνει) ὅσσα ἀμφ' ἀρετῆς (μνημονεύεται). Si Xenophanes hoc voluerit, parum profecto plane locutus est. Corayus ita emendandum suspicabatur :

ὡς οἱ μνημοσύνη καὶ τόνος, ἀμφ' ἀρετῆς,

hoc constructionis modo : ὃς πιὼν ἀναφαίνει ἐσθλὰ ἀμφ' ἀρετῆς, ὡς οἱ μνημοσύνη καὶ τόνος : sive, inquit, τόνον « accipias pro *vocis tenore* sive generalius pro *vi ac* » *robore animi*. Pedestri oratione : ὡς αὐτῷ μνήμη καὶ » δύναμις, vel ὡς ἔχει μνήμης τε καὶ δυνάμεως. » Vereor, ut haec emendatio possit probari. Neque probata est Schweighäusero : hic in vulg. lectione acquiescit, in sequenti autem vs. pro διέπειν corrigit διέπει, quod conjecerat jam Corayus et Ms. Epitomes exhibet; deinde verba sic interpretatur : τοῦτον, ὃς ἐσθλὰ ἀναφαίνει, ὡς ἡ μνημοσύνη ἐςὶν αὐτῷ, καὶ τὸν, ὃς διέπει ἀμφ' ἀρετῆς, οὔτι μάχας κτλ. Eandem lectionem sequitur Dindorfius; attamen infinitivum διέπειν debere omnino servari patet e versu postremo, θεῶν δὲ προμηθείην ἔχειν : ambo enim hi versus sibi respondent. Ita haec quoque explicatio, quae praeterea satis coacta erat, tollitur. Scaliger ad Poësin Philos. p. 216, mutata tantum interpunctione, versum explicare studet; distinguit ita :

ὡς, Ἡ μνημοσύνη· καὶ τὸν, Ὅς ἀμφ' ἀρετῆς.

Putat haec esse nomina scoliorum, quae in conviviis canerentur. Jam varias attuli interpretum rationes, quarum si optio daretur, Scaligeri potissimum opinionem sequerer, etsi haec ipsa ingeniosior vide-

tur quam verior. Mihi autem non magis ob verborum obscuritatem quam duram numerorum compositionem hic versus graviore menda corruptus videtur, quae fortasse literarum ductu sic corrigenda sit :

ἀνδρῶν δ' αἰνεῖν τοῦτον ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει,
ὅσσα μνημοσύνη δαιτὸς ἀμφ' ἐρατῆς.

« *Convivam eum laudes qui utilia inter bibendum narrat, quaecumque recordetur jucundis super epulis.* Haec certe poëtae sententiae videntur congruere. — ὅσσα μνημοσύνη elliptice dictum fuerit, intellecto verbo ἀναφαίνῃ aut simili quodam, quod ex praecedenti ἀναφαίνει facillime repeti potest ; veluti in Homeri versu Iliad. η. 286 :

ἀρχέτω· αὐτὰρ ἐγὼ μάλα πείσομαι, ᾗπερ ἂν οὗτος·

οὗτος, np. ἄρχῃ, quod ex superiori verbo repetendum.

vs. 22. sq. Horum versuum emendatio Schweighäusero et Scaligero debetur ; in Casauboniana ed. sic legebatur :

οὐδέ τε Κενταύρων ἢ ςάσιας προτέρων
† φενδόνας, τοῖς οὐδὲν χρηςὸν ἔνεςι.

Codd. autem plures cum praebeant πλασμάτων προτέρων ἢ ςάσιας φενδόνας, hinc πλασμάτα τῶν correxit Schweighäuser; pro φενδόνας autem φλεδόνας emendavit Scaliger l. l. probantibus viris doctis. Minus feliciter Schweigh. pro ἢ ςάσιας, φλεδόνας conjecerat ἀσπασίας φλεδόνας, *amabiles nugas :* est enim, nullus conjecturae locus ; μάχαι et ςάσιες recte jungi possunt, quod si exemplis illustrandum sit, conf. Solon p. 92, Bach. Similes quoque sunt Anacreontis versus apud Athenaeum p. 463, A :

οὐ φιλέω ὃς κρητῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων
νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει.

Veteres autem fabulas cum contemtu dici πλάσματα τῶν προτέρων, Xenophanis ingenio congruum est; similiter Pindarus Ol. I, 28. ed. Boeckh. et alii.

vs. 24. θεῶν δὲ προμηθείην. Προμηθείη (προμηθίη Dind.) *observantiam* et *reverentiam* significat. Herodot. I, 88: Κῦρος Κροῖσον κάρτα ἐν πολλῇ προμηθίῃ εἶχε. In hac admonitione inest fabularum reprehensio, quae multa de Diis indigna praedicabant. Similiter Pindarus Ol. I, 35: ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά. cf. Ol. IX, 40. Cicero Nat. D. III, 25. « Cum de Diis immortalibus disputamus, dicamus digna Diis immortalibus. »

XXII.

Athenaeus IX, p. 368, E: Ξενοφάνης δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν τᾶς ἐλεγείαις φησί·

Πέμψας γὰρ κωλῆν ἐρίφου, σκέλος ἤραο πῖον
  ταύρου λαρινοῦ τίμιον ἀνδρὶ λαχεῖν,
τοῦ κλέος Ἑλλάδα πᾶσαν ἀφίξεται οὐδ' ἀπολήξει
  ἔς τ' ἂν ἀοιδάων ᾖ γένος Ἑλλαδικόν.

Athenaeus hos versus citat ad explicandam vocem κωλῆν, latine *pernam* vel *coxam*, docetque veteres duplicem hujus nominis formam usurpasse, κωλῆνα et κωλῆν. Quis autem sensus sit horum versuum non explicat, sed ex ipsis verbis colligendum est. Quae hic memoratur κωλῆ ἐρίφου, *coxa hoedina*, non inter delicatiores sane dapes habenda, ut non mirum sit Aristo-

---

XXII. Missa enim hoedi perna, recepisti crus pingue
bovis saginati, honorificum viro munus:
cujus facti laus universam pervadet Graeciam neque cessabit
quamdiu Graeci generis poëtae supererunt.

phanem conjunxisse κεφαλάς τ᾽ ἀρνῶν, κωλάς τ᾽ ἐρίφων, apud Athenaeum h. l. cf. Schol. Aristoph. in Plut. 1129. Hemsterh. ibid. p. 426 sqq. Contra βοῦς λαρινὸς proprie *bos saginatus* et *delicati corporis* dicitur, unde etiam βοῦς λαρινεύειν dixit Sophron : vid. Athenaeum IX, p. 376, B. Casaubon. ad h. l. p. 650. Schneider in Lex. v. λαρινός. Hinc jam illud quod dicit, *hoedi pernam pingui bovis crure permutare*, quid significet colligi potest. Videtur enim festivo et populari quodam modo dictum esse in aliquem, qui non ut bonus ille Glaucus χρύσεα χαλκείων permutaverat, sed contra χάλκεα donaverat, χρύσεα receperat. Simili quadam comparatione, magis tamen rusticae vitae propria, utitur Theocritus Id. V, 26:

τίς τρίχας ἀντ᾽ ἐρίων ἐποκίξατο; τίς δὲ, παρεύσας
αἰγὸς πρωτοτόκοιο, κακὰν κύνα δήλετ᾽ ἀμέλγειν;

Quis pilos pro lana tondeat? Quis, cui agna primipara adsit, malam canem mulgeat? Hoc autem factum, cujus laudem tam festive extollit, quo spectet aut ad quem hominem pertineat, non patet, et quaerere nolim. Schweighäuserus qua ratione de Ulysse Odyss. υ, 299, hic potuerit cogitare non video.

vs. 1. ἤραο. Casaubonus et Schweighäuserus legunt ἦραο; sed libri rectius ἤραο, quod ductum est non ab ἔραμαι, sed ab αἴρειν; est enim oppositum verbo quod mox sequitur πέμπειν.

vs. 3. ἀφιξεται, malim ἐφίξεται. — vs. 4. ἑλλαδικὸν. Casaubonus correxit ἑλλαδικῶν, quod Epitomes cod. habet superscriptum.

XXIII.

Athenaeus XI, p. 782, Casaub. (p. 213 sq. Schweigh.) ubi quondam moris fuisse narrat, ut primum aqua, deinde vinum infunderetur poculo, testem adhibet Xenophanem in hoc versu :

οὐδέ κεν ἐν κύλικι πρότερον κεράσειέ τις οἶνον
ἐγχέας ἀλλ' ὕδωρ, καὶ καθύπερθε μέθυ.

E convivali carmine haec ducta esse probabile est. Eundem veterum morem notat Theophrastus Vol. V, p. 196, ab Athenaeo citatus : Ἐπεὶ καὶ τὰ περὶ τὴν κρᾶσιν ἐναντίως εἶχε τὸ παλαιὸν τῷ νῦν παρ' Ἕλλησιν ὑπάρχοντι· οὐ γὰρ τὸ ὕδωρ ἐπὶ τὸν οἶνον ἐπέχεον, ἀλλ' ἐπὶ τὸ ὕδωρ τὸν οἶνον. κτλ Idem alio modo praecipit Hesiodus ἔργ. 596 :

τρὶς δ' ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

vs. 2. ἐγχέας. Unus cod. ἐγχεύας, unde Schweighäuserus correxit χεύας, propter metrum. Dindorf. vulgatam lectionem retinuit; merito : metro enim non repugnat, quandoquidem χέας per synizesin in unam syllabam contrahi potest, ut in Homer. Il. p. 366 :

σύγχεας Ἀργείων, αὐτοῖσι δὲ φύζαν ἐνῶρσας.

Licet apud Homerum σύγχεας non participium sit sed secunda persona, id tamen formam non mutat. Plura possunt similia afferri exempla, ut Αἰνέας pro Αἰνείας Il. ν, 541.

XXIII. Ne quis in poculo prius miscuerit vinum infusum, sed aquam, insuper autem merum.

XXIV.

Ἤδη δ' ἑπτά τ' ἔασι καὶ ἑξήκοντ' ἐνιαυτὰ
βληστρίζοντες ἐμὴν φροντίδ' ἀν' Ἑλλάδα γῆν·
ἐκ γενετῆς δὲ τότ' ἦσαν ἐείκοσι πέντε τε πρὸς τοῖς,
εἴπερ ἐγὼ περὶ τῶνδ' οἶδα λέγειν ἐτυμῶς.

Haec dicta a Diogene Laert. IX, 19, laudata valent ad aetatem ipsius et vitam declarandam : dicit se a quinto circiter et vicesimo anno negotiis studiisque fuisse intentum : quo significaverit fortasse illud tempus, quo reliquit patriam; ab hoc autem tempore ad annum aetatis alterum et nonagesimum cogitationibus et curis fuisse agitatum. E quo non videtur effici posse, quod nonnulli putarunt, eum omne hoc tempus peragrandis Graeciae civitatibus transegisse. Quid enim illum impediit, etiam tum, quum stabile nactus esset domicilium, mente tamen agitari et quasi peregrinari Graeciam? Quamquam ἀν' Ἑλλάδα γῆν non solum *per* Graeciam sed etiam *in* Graecia significat, et poëtice quidem etiam in aliqua Graeciae regione, veluti Italia aut Sicilia.

Caeterum ex his dictis nihil praeter Xenophanis aetatem effici licet; qua autem Olympiade, quo anno haec de se commemoraverit non liquet. Scaliger ad Euseb. chron. p. 96, haec eum Olymp. 60, duo et nonaginta annos natum, scripsisse ponit. Feuerlinus vero eandem Olympiadem in vicesimum fere ejus aetatis annum incidisse putat : cf. Fabric. Bibl. Gr. T. II,

---

XXIV. Septem jam et sexaginta sunt anni,
qui me cogitationibus curisque intentum per Graeciam agitant;
natus autem tum eram quinque et viginti annos,
si vere de his ego possim referre.

p. 614. Quorum tamen nihil ex his versibus effici posse, non opus est demonstrare.

XXV.

Aristoteles Rhetor. I, 15. p. 422, E. Cas. de jurejurando agens, Si quis, inquit, postulante adversario, jusjurandum in judicio facere recuset, ei dicendum erit se honestatis caussa id recusare, non perjurii metu; et huic conveniens erit Xenophanis dictum, τὸ τοῦ Ξενοφάνους ἁρμόττει, ὅτι οὐκ ἴση πρόκλησις αὕτη ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ, ἀλλ' ὁμοία καὶ εἰ ἰσχυρὸς ἀσθενῆ πατάξαι ἢ πληγῆναι προκαλέσαιτο. Cl. Cousin l. l. p. 57, haec ita interpretatur : « Xénophane alla même jusqu'à attaquer le serment (?), non pas par impiété, mais par un motif ingénieux et moral. « Lorsque l'homme impie, disait-il, pro- » voque un homme pieux à prêter serment, l'affaire » n'est pas égale, pas plus que lorsqu'un homme » fort provoque au combat un homme faible. » Sed mihi priora tantum verba Xenophanis esse videntur; posteriora vero haec, ἀλλ' ὁμοία κτλ. ab Aristotele addita; quod indicant etiam sequentia, quibus Xenophanis dictum invertit : contra, inquit, si accipiat jusjurandum, — τὸ τοῦ Ξενοφάνους μεταστρέψαντα φατέον οὕτως· ἴσον εἶναι ἐὰν μὲν ὁ ἀσεβὴς διδῷ, ὁ εὐσεβὴς δ' ὀμνύῃ. Quae verba priori tantum sententiae parti respondent. Hoc autem dictum versum facit trochaicum :

οὐκ ἴση πρόκλησις αὕτη, ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ.

Vel iambicum senarium, verbis sic collocatis :

— — — — — οὐκ ἴση
πρόκλησις αὕτη, ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ.

XXV. Non aequa haec postulatio est, ab impio homine adversus hominem religiosum.

Utroque modo iambographi usi sunt. Hiatus in αὕτη non offendit propter caesuram; in ἀσεβεῖ prima syllaba est producta, ut vulgo in ἀθάνατος, aliisque compositis. Pro πρόκλησις in Aristotele alii legunt πρόσκλησις : ambo haec verba saepius permutata esse docet Schneiderus in Lexico Graeco.

XXVI.

Etymologus M. v. Γηράς. — οἷον πιμπλῶ, πιμπλᾷς καὶ πιμπλεῖς, οὕτως οὖν καὶ γηρῶ, γηρᾷς καὶ γηρεῖς. ἡ μετοχὴ· γηρείς, — γηρέντος, ὥσπερ τιθέντος· Ξενοφάνης· οἷον

ἀνδρὸς γηρέντος πολλὸν ἀφαυρότερος.

Participii forma γηρείς quamvis alibi non occurrat, Ionicae tamen dialecto congrua est. Iones enim notum est verba in άω desinentia flectere in έω. Gregor. Corinth. de Ionica dialecto § XV. Maittaire ed. Sturz. p. 157. Hujusmodi exemplum est quod Etymologus affert, πιμπλῷ, πιμπλᾷς καὶ πιμπλεῖς; posteriorem formam exhibet Herodot. VII, 39, in verbo ἐμπιπλέει. Igitur ut a γηράω, γήρημι, ductum est participium γηρὰς quo Homerus utitur, sic a γηρέω, γήρημι, ducta erit Ionica forma γηρείς. Quo rarior hæc forma, eo minus suspecta est testimonii hujus auctoritas.

XXVII.

Scholiastes ad Aristoph. Equit. vs. 406 : βάκχους ἐκάλουν, inquit, καὶ τοὺς κλάδους οὓς οἱ μύσται φέρουσι· μέμνηται δὲ Ξενοφάνης ἐν σίλλοις οὕτως·

ἑστᾶσιν δ' ἐλάται πυκινὸν περὶ δῶμα —

Versus est aut pentameter quo interdum usus est Aeschylus, aut potius hexameter uno pede mutilatus, quod metrum usurpavit Xenophanes. E verbis autem scholiastae exspectares in hoc versu mentionem fore τῶν βάκχων; sed memorantur ἐλάται, quae hic pro *thyrsis* sive βάκχοις poni videntur: cf. Eurip. Iphig. Aul. vs. 1058. Caeterum non magis obscurus est verborum sensus quam levis scholiastae auctoritas, cui Xenophanis sillos non nisi fama innotuisse certum est.

XXVIII.

Scholiastes ad Aristoph. Pac. vs. 696, ubi ille Simonidis et Sophoclis avaritiam tangit, haec adnotat: ὁ Σιμωνίδης διεβέβλητο ἐπὶ φιλαργυρίᾳ, καὶ τὸν Σοφοκλέα οὖν (λέγει ὁ Ἀριστοφάνης) διὰ φιλαργυρίαν ἐοικέναι τῷ Σιμωνίδῃ· λέγεται δὲ ὅτι (ὁ Σοφοκλῆς) ἐκ τῆς στρατηγίας τῆς ἐν Σάμῳ ἠργυρίσατο. Χαριέντως δὲ πάνυ (ὁ Ἀριστοφάνης) τῷ λόγῳ διέσυρε τοὺς β' ἰαμβοποιοὺς (Σιμωνίδην καὶ Σοφοκλῆ) καὶ μέμνηται ὅτι σμικρολόγοι· ὅθεν Ξενοφάνης κίμβικα αὐτὸν προσαγορεύει. Postremum αὐτὸν patet ad *Simonidem* pertinere, quem vituperatum esse a Xenophane et κίμβικα appellatum dicit. Κίμβιξ dicitur *illiberalis* et *sordidus*, unde κιμβεία, κιμβικὸς, κιμβικεία derivata sunt: cf. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. vs. 591, p. 191. Illiberales et avari Simonidis mores a multis notati sunt, ut, praeter Aristophanem, a Pindaro, Theocrito, Callimacho, aliis; Xenophanem vero in Simonidem illud dixisse, mihi ignoti scholiastae auctoritas non facile persuadet, quum non probabile sit tum, quum maxime floreret Simonides quaestum-

que carminibus faceret, Xenophanem adhuc superfuisse, aut notitiam inter eos fuisse. Auget hanc dubitationem, quod ejusdem dicti auctorem *Chamaeleontem* nominat Athenaeus XIV, p. 656, D : *ὄντως δὲ ἦν ὡς ἀληθῶς κίμβιξ ὁ Σιμωνίδης καὶ αἰσχροκερδὴς, ὡς Χαμαιλέων φησίν.* Quamobrem scholiastae auctoritas, etsi ab Hemsterhusio ad Aristoph. Plut. p. 193, et Harlesio ad Fabric. Bibl. Graec. T. II, p. 148 probata, parvi tamen hac in re aestimanda videtur.

XXIX

Pollux VI, 46, p. 590. *Συκάμινα· ταῦτα δὲ καὶ μόρα Αἴσχυλος ὠνόμασεν, οὕτως εἰπὼν τὰ ἐκ τῆς βάτου· τάχα δ᾽ ἄν τις καὶ κεράσια φαίη, κέρασον τὸ δένδρον ἐν τῷ περὶ φύσεως Ξενοφάνους εὑρών.*

Pollucem haec ab alio scriptore mutuatum esse non est dubium. Primum quod dicit *συκάμινα* ab Aeschylo, adde a multis aliis, *μόρα* (eadem quae *mora* Latinis) nominata esse, idem notat et exemplis probat Athenaeus II, p. 51 D, ad quem locum cf. Casauboni Animadv. p. 104; Ruhnken. ad Hesych. v. *συκάμινα*. Quod vero Pollux deinde arbitratur eadem quoque *κεράσια* appellari, quia *κέρασος* arbor in Xenophanis scriptis memorata sit, haud probabile est; non quo negem factam esse a Xenophane *τῆς κεράσου* mentionem; sed si ille hanc arborem nominavit, quidni eandem significaverit quam posteriores *cerasum* appellarunt? Pollucis opinioni ansam dederit quorundam hominum error, qui cerasum a Lucullo demum non solum ex Asia in Italiam delatam sed etiam primum nominatam perhibebant : hinc fortasse putaverit, a Xenophane hoc nomine aliam arborem

significari. Sed istum errorem viri docti jam dudum refellerunt, et *κέρασον* diu ante Lucullum Graecis innotuisse constat. Vid. Athenaeus II, p. 50, et ibi Casauboni Animadv. p. 103. Plinius H. N. XV, 30. ed. Bip. Geopon. Scriptt. X, 41. ed. Needh. Denique de libro *περὶ φύσεως* quid existimandum sit, de eo supra p. 26. diximus.

XXX.

Etymologus M. *Βρόταχος· τὸν βάτραχον Ἴωνες, καὶ Ἀριστοφάνης, καὶ παρὰ Ξενοφάνει.* Eandem nominis formam exhibet Hesychius a librariis mutatam in *βότραχος*. Vid. Intpp. T. I, c. 770. Idem alteram quoque formam habet *βόρταχος*; haec Aeolum, illa Ionum videtur propria fuisse. Similia quaedam affert Koen ad Gregor. Corinth. de dialecto Ionica p. 455, ed. Schaefer.

XXXI.

A. Gellius N. A. III, 11: « Alii *Homerum quam* » *Hesiodum majorem natu fuisse* scripserunt, in qui- » bus Philochorus et *Xenophanes*, alii minorem. » Xenophanem Colophonium Homeri, quem suum praedicabant Colophonii, aetatem memorasse, non mirum: unde vero testimonium ejus acceperit Gellius non apparet; probabile est a Philochoro clarissimo chronologo, quem priorem nominat, esse desumtum. Eadem autem opinio Heraclidi Pontico et plerisque veterum placuit. Vid. Dodwellus de vett. Graec. et Roman. cyclis Dissert. III, p. 156, et Doct.

Deswert Diss. de Heraclide Pontico nuper Lovanii edita, p. 106.

XXXII.

Diogenes Laërtius I, sect. 111. *Epimenidem* vixisse memorat, ὡς Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἀκηκοέναι φησὶ, τέσσαρα πρὸς τοῖς πεντήκοντα ἕκατον (ἔτη). De hujus aetate quanta inter veteres fuerit dissensio notum est; a Xenophanis notatione non multum discrepant Theopompus et Phlegon Trallianus, qui eum centum et quinquaginta septem annos vixisse scripserunt. Vid. Theopompi fragm. 69 ed. Wichers, ejusque animadv. p. 159. Ex horum scriptis fortasse Xenophanis illud testimonium a Diogene ductum est, quod laudat Dodwellus l. l. p. 159.

XXXIII.

Apud Pollucem IX, 83, p. 1063, de monetae origine quaeritur, εἴτε Φείδων ὁ Ἀργεῖος πρῶτος ἔγραψε νόμισμα, — — εἴτε Λύδοι, καθά φησι Ξενοφάνης. Xenophanem Colophonium recte hic intelligunt, siquidem non dubium est, propter Lydorum cum Colophoniis consuetudinem illorum mores et instituta Xenophani haud fuisse incognita; vidimus etiam ipsius versus in quibus Lydorum facit mentionem fragm. XX. De re ipsa magna fuit inter antiquos scriptores controversia; cum Xenophanis testimonio congruit Herodotus I, 94, qui de *Lydis* dicit: πρῶτοι δ' ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργυροῦ κοψάμενοι ἐχρήσαντο. cf. Larcher ad Herodot. T. I, p. 372 sq. Payne Knight Proleg. ad Homer. § 58.

XXXIV.

Aristoteles Rhetor. II, 23, p. 446 C: Ξενοφάνης ἔλεγεν, ὅτι ὁμοίως ἀσεβοῦσιν οἱ γενέσθαι φάσκοντες τοὺς θεοὺς τοῖς ἀποθανεῖν λέγουσιν· ἀμφοτέρως γὰρ συμβαίνει, μὴ εἶναί ποτε τοὺς θεούς.

Dictum in veteres poëtas, qui quum Deos sempiternos facerent, eosdem tamen natos esse perhibebant, eorumque parentes et originem praedicabant. Xenophanem hanc superstitionem non modo increpasse sed etiam ratione refutasse, ex iis quae de Deo disseruit infra patebit.

XXXV.

Eodem valet aliud ejus dictum quod Aristoteles ibidem refert p. 447 C: Ξενοφάνης Ἐλεάταις ἐρωτῶσιν, εἰ θύωσι τῇ Λευκοθέᾳ καὶ θρηνήσουσιν ἢ μή, συνεβούλευεν, εἰ μὲν θεὸν ὑπολαμβάνουσι, μὴ θρηνεῖν, εἰ δ' ἄνθρωπον, μὴ θύειν.

Lubet hic antiquitatis caussa adnotare quae Ὑπόμνημα ἀνώνυμον εἰς τὴν Ἀριστοτέλους ῥητορικὴν, editum Paris. 1539. offert fol. 46. B: ἐν οἷς ἔθυον τῇ Λευκοθέᾳ ἔπραττον τὸ ἐναντίον αὐτῆς (corr. αὐτοῖς), ἤτοι ἔκλαιον· ἐναντίαι γὰρ αἱ πράξεις αὗται, ἤτοι τὸ θύειν καὶ τὸ κλαίειν· ἢ μὲν γὰρ ἔθυον, ὡς θεὰν αὐτὴν ἐτίμων, ἢ δὲ ἐθρήνουν, ὡς θνητὴν ἡγοῦντο. ἢ (corr. εἰ) γοῦν ἔθυον, οὐκ ἔδει θρηνεῖν, ἢ εἰ ἐθρήνουν, οὐκ ἔδει θύειν· οὕτω γὰρ οὐκ ἂν ἔπραττον ἅμα τὰ ἐναντία. Deinceps haec de Inone adjunguntur: εἰσῆλθε μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς τοῦ Μελικέρτου καὶ Κλεάρχου εἰς τὴν θάλασσαν, διωκομένη ὑπὸ τοῦ Ἀθάμαντος τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, μα-

νέντος ὑπὸ τῆς Ἥρας διὰ τὴν ζηλοτυπίαν ὅτι συνῆλθε τῇ Ἰνοῖ ὁ Ζεὺς, καὶ ἀπηθανατίσθη ἡ Ἰνώ. διὰ τοῦτο ὡς μὲν δεινὰ παθούσῃ ἐπιθρηνοῦσιν, ὡς ἀπαθανατισθείσῃ (δὲ) θύουσιν. Haec in transitu. Noti sunt flebiles Inonis casus, etiam in scena celebrati; neque mirum, quum post obitum inter marinos Deos Leucotheae nomine esset recepta, ejus memoriam apud Eleatas, maritimam civitatem, religione consecratam fuisse.

Idem vero dictum paullo aliter refert Plutarchus Amator. p. 763, D. Vol. IX, p. 59. Reisk. Ξενοφάνης Αἰγυπτίους ἐκέλευσε τὸν Ὄσιριν, εἰ θνητὸν νομίζουσι, μὴ τιμᾶν ὡς θεόν, εἰ δὲ θεὸν ἡγοῦνται, μὴ θρηνεῖν. Similiter in libro de Is. et Osir. p. 379, B. Vol. VII, p. 490 sq. absurde, inquit, veteres Deorum ortus et interitus praedicant, καί τοι τοῦ παραλόγου τὴν ἀτοπίαν ἐν ὀφθαλμοῖς ἔχοντες, οὐ μόνον Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἢ ἐξῆς ἃ τοὺς Αἰγυπτίους, εἰ θεοὺς νομίζουσι, μὴ θρηνεῖν, εἰ δὲ θρηνοῦσι, θεοὺς μὴ νομίζειν, ἀλλ' ὅτι γελοῖον, ἅμα θρηνοῦντα εὔχεσθαι τοὺς καρποὺς πάλιν ἀναφαίνειν καὶ τελειοῦν αὐτοῖς, ὅπως πάλιν ἀναλίσκωνται καὶ θρηνῶνται. Verbis quidem his aliquod vitium subesse videtur, quod tolli fortasse possit corrigendo: οὐ μόνον ὁ Ξεν. ὁ Κολοφ. ἠξίου τοὺς Αἰγυπτίους —, ἀλλ' ὅτι γελοῖον κτλ. Ad Xenophanis vero dictum quod attinet, in ipsa sententia ambo auctores concinunt, discrepant tantum in eo quod alter ad Aegyptios, alter ad Eleatas refert; in quo nemo facile dubitet quin Aristotelis auctoritas Plutarcho anteponenda sit, praesertim quum Xenophanem in Aegypto fuisse non memoratum sit. Probabile est, idem illud, quod Xenophanes Eleatis dixisset, propter religionis similitudinem in Aegyptios esse translatum; inde Plutarchi errorem exstitisse.

XXXVI.

Plutarchus περὶ δυσωπίας, p. 530. T. VIII, p. 103, monens ne quis inter potandum se ad ludum perduci sinat, quamvis conviciis lacessitus, Xenophanis exemplum proponit : Ξενοφάνης, Λάσου τοῦ Ἑρμιονέως μὴ βουλόμενον αὐτῷ συγκυβεύειν δειλὸν ἀποκαλοῦντος, ὡμολογεῖ καὶ πάνυ δειλὸς εἶναι πρὸς τὰ αἰσχρὰ καὶ ἄτολμος. Scite dictum est δειλὸς πρὸς τὰ αἰσχρὰ, ut Plutarchus ipse in Catone min. vol. IV, p. 377 dicit de priscis Romanis : ἄτολμοι πρὸς τὸ ἀδικεῖν, φιλότιμοι δὲ πρὸς τοὺς ἐπαίνους. Xenophanis moribus, quem temperantiae et modestiae studiosum fuisse scimus, hoc dictum optime congruit, neque obstant tempora quominus cum Laso Hermionis filio potuerit colloqui. Hunc enim sub Pisistrati filio Hipparcho Athenis versatum scribit Herodotus VII, 6. Pisistratidae autem imperium tenuerunt Olymp. 63-67. Quocirca hujus dicti fides si non omnino probata est, tamen non temere rejicienda videtur.

XXXVII.

Diogenes Laërt IX, sect. 20 : Ἐμπεδοκλέους εἰπόντος αὐτῷ, ὅτι ἀνεύρετός ἐστιν ὁ σοφὸς, Εἰκότως, ἔφη· σοφὸν γὰρ εἶναι δεῖ τὸν ἐπιγνωσόμενον τὸν σοφόν.

E Diogene excerpsit Hesychius Mil. p. 31. Qui Xenophanem et Empedoclem aequales facerent, iis hoc dictum facile potuit probari; etsi id non minus falsum est quam quod quidam Empedoclem cum Epimenide vixisse narraverunt, ut Porphyrius Vit. Pythag. n° 29, p. 35, ed. Kust. Locum huic errori

fortasse dederit quod Empedocles in carmine suo Xenophani contradixisset. cf. suprius dicta p. 4, not. et p. 28, not.

XXXVIII.

Plutarchus adversus Stoicos disputans, p. 1084, T. X, p. 462, utitur hoc Xenophanis dicto: ὁ μὲν οὖν Ξενοφάνης, διηγουμένου τινὸς ἐγχέλεις ἑωρακέναι ἐν ὕδατι θερμῷ ζώσας, Οὐκοῦν, εἶπεν, ἐν ψυχρῷ αὐτὰς ἑψήσομεν. Quam multa illa aetate de rebus naturalibus ferrentur fabulosa nemo ignorat; Xenophanis autem responsum (si re vera sit ab illo editum) acutum est et congruum veteri illi physicorum placito, contrariis contraria dissolvi et interire.

XXXIX.

Diogenes Laërtius IX, sect. 19, Xenophani tribuit hoc monitum: τοῖς τυράννοις ἐντυγχάνειν ἢ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα. Eidem adscribunt Hesychius Mil. p. 31, et Suidas v. ἥκιστα. qui et alterum hoc adjungit: ἥκιστα μελῆσαι αὐτοῖς (τοῖς τυράννοις) τῆς ἀληθείας. Illud vero *Aristoteli* tribuit Valerius Max. VII, 2, ex. 11: « Aristoteles autem Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit, ut cum eo aut rarissime aut quam jucundissime loqueretur. » Item Ammianus Marcell. L. XVIII, p. 118: « Vetus Aristotelis sapiens dictum, qui Callisthenem sectatorem et propinquum suum ad Regem Alexandrum mittens ei saepe mandabat, ut quam rarissime et jucunde apud hominem loqueretur. » Testimonia haec affert Kusterus ad Suidam, unde patet auctorem ejus dicti non certum haberi. Cfr. autem dictum Isocratis ad Dem. c. IV. p. 8.

DE

XENOPHANIS

PHILOSOPHIA ET PLACITIS.

DE XENOPHANIS PHILOSOPHIA.

I.

DE NATURA DIVINA.

§ 1.

Xenophanem Eleaticae philosophiae auctorem exstitisse antiqui atque ipsi hujus sectae aemuli vulgo tradunt [1]. Haec autem philosophia quum origine et natura Pythagoricae esset cognata (utraque enim Italica stirpe oriunda), tum quaerendi studio a Ionicorum ratione diversa fuit eique paene opposita. Ionici enim rerum naturam animo contemplantes studuerunt originem indagare atque semina, unde omnia exorta et variis deinde formis figurisque essent effecta; Eleatici autem mutabilia ista et fluxa despicientes anquisiverunt illud, quod nulli mutationi obnoxium unum atque idem esset semper, eamque naturam statuebant ipsam rerum *essentiam* [2] aeternam suique semper similem, quam non manibus contrectare, non oculis cernere, sed mente tantum cognoscere possimus. Hoc unum cogitatione amplexi revera esse et

(1) Vid. Plato in Sophista, Aristot. Metaph. I, quos statim explicabimus, ceterique fere omnes.

(2) Hujus verbi auctorem Ciceronem laudant Seneca Epist. 58. Sidonius Ep. et Chalcid. in Timaeum p. 186. (ad calcem opp. S. Hippolyti) ad q. l. cf. Fabric.

intelligi posse statuerunt; quaecumque vero gignantur et occidant, ea neque esse revera neque cognosci posse, sed fluxa tantum et opinabilia dixerunt atque pro nihilo putarunt. Itaque ut Ionici naturales rerum formas mutationesque observantes physica in primis tractarunt, sic Eleatici, qui mentem ab oculorum sensu avocabant, praesertim dialectices fuerunt auctores; alteri, fluxa et mutabilia spectantes, vera et aeterna tantum non sustulerunt; alteri, nihil nisi stabile et aeternum esse censentes, naturae et rebus generatis nullum prorsus reliquerunt locum.

Hujusmodi fere fuit Eleaticorum ratio, cujus Xenophanes auctor fuisse traditur; ex quo universe tantum patet, hunc philosophum ex eorum fuisse numero quos τῶν εἰδῶν φιλοὺς appellat Plato. Quae autem propria hujus fuerit ratio et sententia, difficilior quaestio est, quum cavendum sit ne aliorum disputationes temere huic attribuamus.

In veterum testimoniis explorandis ab antiquissimo ordiamur Platone, in cujus dialogo Sophista p. 242 D, hospes Eleates de Eleaticis haec commemorat: τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔθνος ἀπὸ Ξενοφάνους τε καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον, ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων, οὕτω διεξέρχεται τοῖς μύθοις. In hoc loco duo explicanda sunt: nam primum, quod Eleatica schola non auctore demum Xenophane sed *jam prius* exstitisse dicitur, id plerique mirati sunt interpretes, quoniam nec quisquam Xenophane superior Eleaticae scholae auctor exstitisse, neque placitum hoc, ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων, ab ullo antiquiorum celebratum esse memoratur. Sed eos fugisse videtur, id quod de multis philosophorum placitis animadvertendum est, eorum primas origines in occulto latere, atque ut mores et instituta pleraque dudum antea exstite-

runt quam a legislatoribus constituta essent, similiter multa et gravissima philosophiae inventa multo prius hominum fama obscure prodita esse, quam philosophorum effatis confirmarentur. Sic Thaletis placitum, ex aqua orta esse omnia, ad Homerum aliosque solebat referri [3]; sic etiam haec sententia, *unam esse vim qua omnis natura continetur*, jam olim a vatibus, qui vel in Graecia vel in Oriente de rerum natura cecinissent, videtur divinitus esse prodita; deinde autem Eleam traducta a philosophis usurpari et explorari coepta est [4]. Ad Orpheum eandem sententiam referunt Neo-Platonici : ὁ Θεόλογος, ἓν ἐγένετο, φησὶν, ut Proclus refert [5]; qui adeo hanc Eleaticorum et Pythagoreorum doctrinam cum Orpheo, Theologis et Chaldaeis facit communem. Cujus auctoritas, quamquam parum fida, tamen ita probari potest,

(3) Aristot. Metaph. I, 3. p. 645. D. E. Casaub.

(4) Hanc interpretationem confirmat ipsum Platonis judicium in Philebo p. 30, ed. Stalb. quum alterum placitum sua aetate maxime frequentatum, ἓν καὶ πολλὰ εἶναι, similiter ad priscos refert : Θεῶν μὲν (inquit) εἰς ἀνθρώπυς δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοὶ — καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι. Hoc antiquitatis studio maxime duci solet Plato, neque a magistro Platone dissentit Aristoteles : cf. Metaph. XII, 8. p. 744. E. Locum autem illum in Sophista jam pridem interpretando explicuit Ampl. Groen van Prinsterer Prosopogr. Platon. p. 27; qui adhibet alterum Platonis locum ubi Heracliti placitum similiter priscis vatibus tribuitur, in Theaet. p. 152, C. τῶν Ἡρακλειτείων ἢ, ὥσπερ σὺ λέγεις, Ὁμηρείων καὶ ἔτι παλαιοτέρων cf. Brandis Comment. Eleat. p. 6 sq. Cousin p. 20 sq. arbitratur Pythagoreos a Platone significari.

(5) Proclus in Parm. T. IV, p. 197; cf. ibid. p. 141. T. V, p. 22 sq. ed. Cousin. Similia sunt quae Eumolpo tribuit Diog. L. Prooem. sect. 3. cf. Suidas in Ὀρφεύς. Cudworth. Syst. Intell. cap. IV, § 17.

si existimemus poëtas jam dudum eadem illa obscure memorasse et carminibus esse vaticinatos, quae postea a philosophis disputata et rationibus explicita sunt.

Nam magnum profecto est discrimen, utrum sententia ipsa mentis vi quasi numinis afflatu, an vero judicio et ratione adhibita enuntietur; plurimumque interest, non modo quid dictum sit, sed quo sensu dictum sit, indagare, quum saepe multos etiam philosophos videamus, quorum similia feruntur placita, revera tamen multum inter se discrepantes. Quod discrimen veteres, qui literarum et philosophiae historiam nondum pertractaverant, saepe fefellit, unde non raro antiquioribus attribuerunt ejusmodi placita, quae ab eorum mente et studio abhorrebant.

Deinde altera oritur quaestio de placito illo in Eleatica schola pervagato, τὰ πάντα ἓν εἶναι, quod inde a Xenophane ductum esse hoc loco praedicatur. Id autem quantum valeat diligenter examinandum est, ne, quod multi fecerunt, Xenophanis sententiam cum aliorum placitis confundamus. Nam quum aliquod placitum per multos ejusdem disciplinae aemulos agitaretur, facile intelligitur, idem ab aliis aliter intellectum et de eo diversis modis disputatum esse: falsum adeo foret, quae singuli, ut Parmenides, Melissus, Zeno sentirent, eadem inter omnes Eleaticos facere communia, aut ex quadam rationis formula, quam plerique usurparent, singulorum sententias judicare. Itaque illud ἓν εἶναι πάντα licet generatim pertineat ad universam Eleaticorum scholam, at quam variis modis potest explicari. Quale intelligitur τὸ ἕν? Num ipse per se numerus seu monas, omnium numerorum principium? an intelligitur natura aliqua ei

subjecta? Quae autem dicuntur τὰ πάντα? Mundusne adspectabilis et rerum universitas? an elementa, e quibus generata sunt omnia? an vis aliqua intelligibilis quae ad omnem rerum naturam pertineat? Postea de his explicatius agemus; nunc tantum appareat quam multiplex et incerta sit hujus loci interpretatio, et quam parum inde ipsa Xenophanis sententia effici queat.

Audiamus Aristotelem. Hic plerosque alios frequenter laudans, Xenophanis non nisi raro facit mentionem; praecipuus locus est in Metaphysicis L. I, c. 5, T. II, p. 648 E, ubi Parmenide et Melisso commemoratis, de Xenophanis sententia sic prodit: Ξενοφάνης δὲ πρῶτος τούτων ἑνίσας οὐδὲν διεσαφήνισεν, οὐδὲ τῆς φύσεως τούτων οὐδετέρας (τοῦ κατὰ λόγον ἑνὸς καὶ τοῦ κατὰ τὴν ὕλην) ἔοικε θίγειν· ἀλλ᾽ εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἓν εἶναί φησι τὸν θεόν. Ex his verbis intelligitur, Xenophanem principem hujus placiti habitum esse auctorem, quale autem τὸ ἓν intellexerit ne ipsum quidem perspicue definiisse; tantum dixisse *unum hoc esse Deum*. Hoc vero quum per se non multo clarius sit, Aristoteles interpretatur addens, *universum coelum* sive *mundum* ab illo significari. Haec interpretatio concinit quidem cum pervulgata Graecorum sententia a poëtis celebrata, qui coelum mundumque universum Deum et Jovem praedicare solebant, ut Ennius in Euripideo illo versu [6]:

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

(6) Laudat Cicero Nat. Deor. II, 2. Cf. alterum Ennii versum in ejus Fragm. Columm. IX, p. 171. Lucan. Phars. IX, vs. 598, sqq. Gataker. ad M. Antonin. IV, § 23. Valckenaer. Diatr. Eurip. cap, VI. p. 47.

quod placitum a multis quoque philosophis adscitum et a Stoicis praesertim subtilius disputatum est. Verumtamen num idem Xenophanes senserit qui in primis mentem a rerum contemplatione avocare instituit, merito dubitandum est; neque Aristotelis opinioni nimis oportet confidere, quia hic in antiquorum placitis interpretandis saepius halucinatur [7], quin etiam Parmenidis rationem περὶ τοῦ ὄντος simili interpretatione depravasse videtur, ut alio loco a nobis ostendetur.

Jam reliquorum scriptorum testimonia si audiamus, horum plerique quum ejus placita vel fama accepissent vel apud alios commemorata legissent, ea parum diligenter et explicite retulerunt; multi etiam, quibus sentiendi cogitandique aliqua tanquam necessitudo cum Xenophane esset, cum illius placitis sua confuderunt, ut Megarici, Pyrrhonici, Stoici, multoque etiam posteriores, quorum operâ dubites utrum illustrata magis an obscurata sit antiquitas. Ex his igitur tenebris Xenophanis sententia conjectura explicari vix posset, nisi lucem afferrent duorum testimonia auctorum qui diligentia et fide omnibus anteponendi sunt. Alterum in Simplicii commentariis, quae sylva est veteris philosophiae, exstat, ductum, ut videtur, e perdito Theophrasti opere φυσικῇ ἱστορίᾳ inscripto, in quo antiquiorum philosophorum sententias ita retulisse videtur, ut non minus indagandi studium quam judicii integritatem probaret, ejusque liber fons esset, unde posteriores plerique

(7) Assentior Cl. Cousinio l. l. p. 77 dicenti: » On ne saurait accorder trop de confiance à Aristote, qui non seulement rapporte les opinions de Xenophane, mais en developpe et en commente les motifs. »

hauserunt. Alterum Aristotelis nomine divulgatum est in libello qui *de Xenophane Zenone* et *Gorgia* inscribitur; de cujus ratione et auctoritate pauca sunt monenda [8].

Scripturae genus in eo hujusmodi est, ut nequaquam absoluta disputatio videatur, sed vel fragmentum a majori opere detractum, vel commentarius ex eo genere quod hypomnematicum dictum memoriae tantum caussa literis solebat mandari [9]. Postrema haec opinio mihi placet tam propter libelli formam quam propter orationis negligentiam, quae partim quidem librariorum culpae, partim vero ipsi auctori debetur. Magna autem difficultas ex eo orta est, quod scriptorum, de quibus exponitur, nomina in singulorum capitum fronte permutata sunt. Sic capita tertium et quartum in omnibus fere libris *Zenonis* nomen habent inscriptum; Lipsiensis tantum codex *Xenophanem* exhibet auctorem, idque dudum Fabricius [10] et alii post eum probarunt; quamquam in ipsa disputatione nullum hujus nominis vestigium legitur, atque adeo contrarium potius colligi posset ex quarti capitis initio, ubi sententiae summa explicita ait,

(8) De hoc libello agunt in primis Tiedemannus, Geist d. specul. Philos. T. I, p. 143 sqq. Fülleborn, Beytraege z. Gesch. d. Philos. I, p. 63 not. et quos hic laudat; Brandis, Comment. Eleat. p. 16 sqq. Cousin, Nouveaux fragm. phil. pag. 93.

(9) In his commentariis praesertim antiquiorum opiniones consignare consueverant. Insignis de hoc genere locus est Ammonii Hermiae περὶ ἑρμην. (ed. Ald. 1503.) Lit. AA. fol. 2: ὑπομνηματικὰ δὲ ἐκεῖνα (συγγράμματα) καλοῦσιν, ὅσα πρὸς οἰκείαν ἀπεσημειοῦντο ὑπόμνησιν· εἰώθεισαν δὲ οἱ παλαιοὶ, τὰ τῶν ἀρχαιοτέρων ἀναγινώσκοντες συγγράμματα, ἀποσημειοῦσθαι αὐτῶν τὰς περὶ ἑκάστου πράγματος δόξας καὶ τὰ ἐπιχειρήματα τὰ τούτων κατασκευαστικά· . . . . . ὡς ὕλην τῶν οἰκείων συγγραμμάτων.

(10) Ad Sext. Empir. Pyrrhon. Hypotyp. I, p. 59, nota N.

auctorem ejus similiter atque Melissum statuere[11] Quid enim? Si in hoc loco de Xenophane egerit, num par erat hujus sententiam ad Melissum, qui posterior fuit aetate, comparari, an contra oportuerat Melisso Xenophanem anteponi? Si vero de Zenone locutus esset, hunc cum Melisso conferri nemo miraretur, quum ambo et aetate et sententia paene pares essent. Sed probabile esset hoc argumentum, si elaborata unaque serie connexa esset haec scriptio; nunc autem apparet, eam non modo a librariis vexatam, sed, ut modo dixi, ab ipso auctore negligentius et confusius, ut in commentariis, esse scriptam: quamobrem nimis urgenda haec non sunt.

Maxima autem de scripti auctoritate quaestio est. Nam, etsi inter Aristotelis opera divulgatum et a Diogene Laërtio[12] in ejus librorum catalogo memoratum est, antiqui tamen qui Aristotelem diligentissime lectitarunt, in Xenophane commemorando, de eo silent: unde merito de illius nomine dubitatur; sed hac de re ut certum statuere difficillimum est, id tamen facile potest probari, testimonii hujus auctoritatem maximi faciendam esse: nam quae a ceteris scriptoribus plerisque de Xenophanis sententia relata sunt si cum hoc loco conferantur, apud illos obscure et turbate memorata reperimus, quae hic multo clarius et diligentius sunt exposita. Augetur vero haec auctoritas Theophrasti illo quod modo laudavi testimonio, quae ambo ita inter se concinunt, ut alterum altero illustretur et confirmetur,

(11) *Πρῶτον μὲν ὂν λαμβάνει καὶ οὗτος, τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι ἐξ ὄντος, ὥσπερ ὁ Μέλισσος.*

(12) Diogen. L. V, s. 22; quem catalogum nuper recensuit F. N. Titze, de Aristotelis operum serie. Lips. 1826.

atque ambo adeo ex ipso fonte ducta videantur. Et diligenter considerantibus apparet in utroque vis quaedam integritatis, immunis illa ab iis maculis quibus posteriores interpretes multa Xenophanis placita depravarunt. Denique talis videtur esse argumentandi et judicandi ratio, quae Aristotelis ingenio admodum congruens sit; unde merito statui posse arbitror, hunc libellum nisi ex ipsius commentariis relictum tamen ex ejus schola ad nos pervenisse.

His praemonitis, deinceps ipsum hunc locum exponemus eique Theophrasti testimonium e Simplicio adjungemus, ut, ambobus inter se comparatis adhibitisque iis quae alii scriptores passim commemorarunt, Xenophanis sententiam quantum fieri possit diligentissime explicemus.

§ 3.

Aristotelis locus

πρὸς τὰ Ξενοφάνους.

De Xenoph. Zen. Gorg. c. 3. T. I. p. 942, Casaub.

α. Ἀδύνατόν φησιν εἶναι, εἴ τι ἔςι, γενέσθαι· τοῦτο λέγων ἐπὶ τοῦ θεοῦ. Ἀνάγκη γὰρ, ἤτοι ἐξ ὁμοίων ἢ ἐξ ἀνομοίων γενέσθαι τὸ γενόμενον. Δυνατὸν δὲ οὐδέτερον· οὔτε γὰρ ὅμοιον

α. Cfr. cum hoc argumento Simplicius § sq. γ.

Εἴ τι ἔςι.) Verba haec e primo ejusdem libelli capíte temere arcessita putat Brandis, eaque a Xenophanis ratione aliena videri: fateor, si in his verbis dubitationis vis inesset, utrum *sit* an *non sit;* hanc vero significationem in hoc dicto non magis agnosco quam in sequenti sect. cum dicit: εἰ δ᾽ ἐςὶν ὁ θεὸς ἁπάντων κράτιςον. Melius fortasse scriberetur, εἴπερ ἔςι, deleto τι, ut in Parmenidis dicto: ἔςιν ἢ οὐκ ἔςιν; quamquam utrumque εἶναι et εἶναί τι, similiter ut μὴ εἶναι et μηδὲν εἶναι saepius nullo discrimine a dialecticis usurpata sunt. Denique si dictionis concinnitas in his urgenda esset (quod tamen non est), rectius εἶναι deleretur: ἀδύνατον φησίν, εἴπερ ἔςι, γενέσθαι. h. e. τὸ εἰλικρινῶς ὂν γένεσιν ἔχειν, ἀδύνατον.

τὸ γενόμενον) Non *aliqua natura* intelligitur, sed id quod absolute *nasci* dicimus.

οὔτε γὰρ ὅμοιον κτλ.) Diligens scriptio postularet τὸ ὅμοιον ὑφ᾽ ὁμοίου, ut mox dicitur: οὔτ᾽ ἂν ἐξ ἀνομοίου τὸ ἀνόμοιον. — Verba τεκνωθῆναι, τεκνῶσαι, non sunt vulgaria; unde suspicari quis posset, ea ex ipso Xenophane expressa esse. Sed idem verbum in hujus libelli cap. I, ubi de Melissi sententia agitur, usurpat: καὶ τὸ μὴ ὂν τεκνοῦσθαι, καὶ τὸ ὂν φθείρεσθαι ἀναγκάζεσθαι. cum tamen in ipsis Melissi verbis apud Simplicium relatis non occurrat. De verbi ejus usu nonnulla reperiuntur apud Valcken.

ὑφ' ὁμοίου προσήκειν τεκνωθῆναι μᾶλλον ἢ τεκνῶσαι· ταὐτὰ γὰρ ἅπαντα τοῖς γε ἴσοις ὁμοίως ὑπάρχειν πρὸς ἄλληλα· οὔτ' ἂν ἐξ ἀνομοίου τὸ ἀνόμοιον γενέσθαι· εἰ γὰρ γίγνοιτο ἐξ ἀσθενεστέρου τὸ ἰσχυρότερον ἢ ἐξ ἐλάττονος τὸ μεῖζον ἢ ἐκ χείρονος τὸ κρεῖττον ἢ τοὐναντίον τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων, τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος ἂν γενέσθαι· ὅπερ ἀδύνατον· ἀΐδιον μὲν οὖν διὰ ταῦτ' εἶναι τὸν θεόν.

ad Eurip. Phoenissas vs. 875; Heyne ad Apollodor. L. I, cap. 1, init. in not. crit. Schneider Lex. Gr. in v. Hoc loco sufficiat metaphoricae significationis exemplum indicasse apud Sophoclem Oedip. T. vs. 865. Brunck. νόμοι πρόκεινται ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος.

ταὐτὰ γὰρ ἅπαντα κτλ.) Secutus sum cum Brandisio lectionem codicis Lips. Vulgo hic editum est : τοῖς ἴσοις ἢ ὁμοίοις. Rectius vero etiam ita scriberetur : ταὐτὰ γὰρ ἅπαντα ἴσως τοῖς ὁμοίοις ὑπάρχειν; namque id, de quo agitur, est τὸ ὅμοιον. Attamen utrumque τὸ ὅμοιον et τὸ ἴσον ab antiquis dialecticis saepius confusum est; sic Parmenides vs. 105 : ἢ καὶ παντόθεν ἶσον ὅμως ἐν πείρασι κυρεῖ, dicit idem quod paullo ante ὅμοιον appellat. Pro ἅπαντα malim ἁπάντῃ. Cf. sect. γ. — His autem verbis notatur vis τοῦ ὁμοίου, quod contrarium τῷ διαφόρῳ, atque dialecticis dicitur id quod idem atque unum est, ἓν συνεχές, ut appellat Parmenides; Melissus apud Simplic. Phys. f. 22, B : τὸ γὰρ ἓν ἐὸν, ὅμοιον ἀεὶ ἑωϋτῷ. Categoriam hanc ita interpretatur Simplicius in Arist. Categ. ed. Velsii, Bas. 1551. fol. 46, r. τὸ ἴσον ἴσῳ ἴσον καὶ τὸ ὅμοιον ὁμοίῳ ὅμοιον, τοῦ αὐτοῦ ὄντος τοῦ τε ἔχοντος τὴν σχέσιν καὶ τοῦ πρὸς ὃ ἔχει.

οὔτ' ἂν ἐξ ἀνομοίου τὸ ἀνόμοιον κ. τ. λ.) Dicuntur haec περὶ τοῦ ὄντος; interpretandum quasi legeretur : οὔτ' ἂν ἐξ ἀνομοίου ἀνόμοιον τὸ ὂν γενέσθαι.

τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων.) Hoc in plurali numero positum respondet tribus illis quae praecedunt, ἐξ ἀσθενεστέρου τὸ ἰσχυρότερον, ἢ ἐξ ἐλάττονος τὸ μεῖζον, ἢ ἐκ χείρονος τὸ κρεῖττον.

τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος.) Editiones legunt vulgo : τὸ οὐκ ἐξ ὄντος ἂν γενέσθαι. Lips. codex : τὸ οὐκ ὂν ἐξ ὄντος ἂν γεν. quod proba-

β. Εἰ δ' ἐςὶν ὁ θεὸς ἁπάντων κράτιςον, ἕνα φησὶν αὐτὸν προσήκειν εἶναι· εἰ γὰρ δύο ἢ ἔτι πλείους εἶεν, οὐκ ἂν ἔτι κράτιςον καὶ βέλτιςον αὐτὸν εἶναι πάντων· ἕκαςος γὰρ ἂν θεὸς τῶν πολλῶν ὅμοιος ὢν, τοιοῦτος εἴη· τοῦτο γὰρ θεὸν καὶ θεοῦ δύναμιν εἶναι, κρατεῖν, ἀλλὰ μὴ κρατεῖσθαι, καὶ πάν-

runt Brandis et Cousin; sed quia περὶ τοῦ ὄντος quaeritur an natum sit, non dubitavi lectionem corrigere transponendâ particulâ οὐκ. Concinit Simplicius infra sect. γ. εἰ δὲ ἐξ ἀνομοίου γίγνοιτο, ἔςαι τὸ ὂν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Parmenides, ἀγένητον praedicans τὸ ὂν, ait :

τίνα γὰρ γέννην διζήσεαι αὐτοῦ;
πῆ πόθεν αὐξηθέν; οὔτ' ἐκ μὴ ἐόντος ἐάσω
φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν.

β. Cfr. Simplicius sect. β.

ἕνα φησὶν — εἶναι.) Ita e MS. Lips. Brandisio auctore scripsi pro vulgato : ἕνα φησὶ προσήκειν αὐτὸν, nisi quod φησὶν correxi pro φησί. Idem autem dictum repetit Arist. cap. IV. κράτιςον τὸν θεὸν λαμβάνει, τοῦτο δυνατώτατον καὶ βέλτιςον λέγων.

ἕκαςος γὰρ ἂν θεὸς κ. τ. λ.) Haec ex antecedentibus apta sunt hoc sensu : Si duo pluresve sint Dii, non possit unus omnium potentissimus esse Deus; nam singuli ut ceteris aequales, tales quoque forent, h. e. κράτιςοι; in hoc enim Dei natura cernitur. Idem his verbis declarat Simplicius : πλειόνων γάρ φησιν ὄντων, ὁμοίως ἀνάγκη ὑπάρχειν πᾶσι τὸ κρατεῖν. — οἱ πολλοὶ *plures*, oppon. ἑκάστῳ, ut in Sophoclis Oedip. Tyr. vs. 845 : οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν εἷς γε τοῖς πολλοῖς ἴσος. Quam lectionem a Brunckio rejectam merito tuetur Hermannus ad Viger. p. 728, ed. sec.

θεοῦ δύναμιν εἶναι κρατεῖν.) Plato Phaedon. cap. 28 : οὐ δοκεῖ σοι τὸ μὲν θεῖον οἷον ἄρχειν τε καὶ ἡγεμονεύειν πεφυκέναι; — Verba πάντων κράτιςον εἶναι e conjectura rescripsi pro vulgato, καὶ πάντα κρατεῖσθαι εἶναι; quod nemini, in libello tam depravato, audacius factum videbitur. Fülleborn haec verba delenda censebat; Brandis conjecit legendum : καὶ πολλὰ κρατεῖσθαι εἶναι, *multa ita se habere ut regantur*; Cousin, auctore Boissonnadio, legit : καὶ πάντα κρατεῖσθαι ἑνί, *ab uno omnia regi*. Caeterum orationis concinnitas in his urgenda non est.

τῶν κράτιστον εἶναι· ὥστε καθὸ μὴ κρεῖττον κατὰ τοσοῦτον οὐκ εἶναι θεόν. Πλειόνων οὖν ὄντων, εἰ μὲν εἶεν τὰ μὲν ἀλλήλων κρείττους τὰ δὲ ἥττους, οὐκ ἂν εἶναι θεούς· πεφυκέναι γὰρ θεῖον μὴ κρατεῖσθαι. Ἴσων δὲ ὄντων, οὐχ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν δεῖν εἶναι κράτιστον· τὸ δὲ ἴσον οὔτε χεῖρον οὔτε βέλτιον εἶναι τοῦ ἴσου. ὥστε εἴπερ εἴη τε καὶ τοιοῦτον εἴη θεός, ἕνα μόνον εἶναι τὸν θεόν· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ πάντα δύνασθαι ἂν ἃ βούλοιτο· οὐδὲ γὰρ ἂν δύνασθαι, πλειόνων ὄντων, ἕνα μόνον.

γ. Ἕνα δ' ὄντα ὅμοιον εἶναι πάντῃ, ὁρᾷν τε καὶ ἀκούειν τάς τε ἄλλας αἰσθήσεις ἔχοντα πάντῃ· εἰ γὰρ μὴ, κρατεῖν ἂν καὶ

οὐκ ἂν ἔχειν θεὸν φύσιν δεῖν εἶναι κράτιστον.) Verba haec, quae obscuriora visa sunt interpretibus, sic declaranda: οὐκ ἂν προσήκειν, θεὸν πεφυκέναι κρατεῖν sive κράτιστον εἶναι. Latine: *si plures essent Dii inter se aequales, consentaneum fore negat penes Deum esse summam potentiam.* Verbum δεῖν, similiter ut προσήκειν, significat *convenire, consentaneum esse*; eodem sensu χρὴ ponitur apud Platonem in Sophista p. 236, E: ὅπως γὰρ εἰπόντα χρὴ ψευδῆ λέγειν ἢ δοξάζειν ὄντως εἶναι, — χαλεπόν. In quo haerebat Cornarius.

ὥστε εἴπερ εἴη τε, κ. τ. λ.) Corrupta sunt haec verba et perturbata, quae sine codicum ope frustra castigare studeas. Tantum apparet hanc iis inesse sententiam: ὥστ' εἴπερ ἐστί γε τοιοῦτος, ἕνα μόνον εἶναι τὸν θεόν· οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἅπαντα δύνασθαι ἂν ἃ βούλοιτο, πλειόνων ὄντων, ἕνα μόνον. Quae si scripta legerentur, nihil amplius desideraremus. Repetitum illud οὐδὲ auget negandi vim; Epicharmus apud Diog. L. III, 10: οὐδὲ μὰν οὐδ' αἲ ποτὶ μέτρον κτλ. Plato Phaedr. extr. p. 278 E.

γ. Simplic. sect. ι. hoc argumentum non nisi leviter tangit: σφαιροειδὲς αὐτὸ διὰ τὸ πανταχόθεν ὅμοιον λέγει.

ὅμοιον πάντῃ) dicitur id quod est nullo partium virium que discrimine, sed una naturae vi continuatum. Parmenid. vs. 83: οὐδὲ διαιρετόν ἐστιν, ἐπεὶ πᾶν ἐστιν ὅμοιον.

ὁρᾷν τε καὶ ἀκούειν.) Haec verba substantive posita una cum sequenti nomine τάς τε ἄλλας αἰσθήσεις pendent ab ἔχοντα πάντῃ,

κρατεῖσθαι ὑπ' ἀλλήλων τὰ μέρη θεοῦ ὄντα· ὅπερ ἀδύνατον. Πάντῃ δὲ ὅμοιον ὄντα, σφαιροειδῆ εἶναι· οὐ γὰρ τῇ μὲν τῇ δ' οὐ τοιοῦτον εἶναι, ἀλλὰ πάντῃ.

δ'. Ἀΐδιον δ' ὄντα καὶ ἕνα καὶ σφαιροειδῆ, οὔτ' ἄπειρον εἶναι οὔτε πεπεράσθαι. ἄπειρον μὲν τὸ μὴ ὂν εἶναι· τοῦτο γὰρ οὔτε ἀρχὴν οὔτε μέσον οὔτε τέλος οὔτε ἄλλο μέρος οὐδὲν ἔχειν· τοιοῦτον δὲ εἶναι τὸ ἄπειρον· οἷον δὲ τὸ μὴ ὄν, οὐκ ἂν εἶναι τὸ ὄν. περαίνειν δὲ πρὸς ἄλληλα, εἰ πλείω εἴεν. Τὸ δὲ ἓν οὔτε τῷ οὐκ ὄντι οὔτε τοῖς πολλοῖς ὁμοιοῦσθαι· ἓν γὰρ οὐκ ἔχει πρὸς ὅ τι περανεῖ.

quasi scriptum esset: ὅρασιν τε καὶ ἀκοὴν τάς τε ἀ. αἰσθ. ἔχοντα πάντῃ. In quo infinitivi usu articulum τὸ saepe omitti dudum inter grammaticos constat. Brandisium hoc fugisse videtur, cum interpunctionem in hoc loco mutaret.

οὐ γὰρ τῇ μὲν κτλ.) Parmenides vs. 109:

— οὔτ' ἐὸν ἐστιν ὅπως εἴη κενὸν ὄντος,
τῇ μᾶλλον, τῇ δ' ἧσσον.

Aristot. Coel. I, 1: *Universum hoc*, inquit, τέλειον ἀναγκαῖον εἶναι καὶ, καθάπερ τοὔνομα σημαίνει, πάντῃ καὶ μὴ τῇ μὲν τῇ δὲ μή.

δ'. Cf. Simplicius sect. δ'.

ἄπειρον εἶναι.) Verbum εἶναι, quod abesse non potest, inseruit Brandis. Idem deinceps ἄπειρον μὲν τὸ μὴ ὂν εἶναι scripsit e cod. Lips. pro quo vulgo legitur: ἄπειρον (γὰρ) τὸ μὴ εἶναι.

περαίνειν δὲ πρὸς ἄλληλα, εἰ πλείω εἶεν.) h. e. *plura quae sunt, ea inter se finibus terminari; non vero id quod unum est*. Aristot. Phys. III, 4. p. 275. A: ἀεὶ περαίνειν ἀναγκὴ ἕτερον πρὸς ἕτερον. Sic etiam ab antiquis περαίνοντα appellata sunt quae τοῖς ἀπείροις sunt contraria sive πεπερασμένα. Philolaus apud Diog. Laert. VIII, 85. (ed. Boeckh. p. 45 et passim.) Ideo etiam in fine sectionis retinui vulg. lectionem περανεῖ, pro qua Brandis recepit lect. Lips. περανθείη. Rectius tamen legeretur: ἓν γὰρ οὐχ ἔχειν πρὸς ὅ τι περαίνῃ.

ε. Τὸ δὴ τοιοῦτον ἓν ὂν τὸν θεὸν εἶναι λέγει. οὔτε κινεῖσθαι οὔτε ἀκίνητον εἶναι· ἀκίνητον μὲν γὰρ εἶναι τὸ μὴ ὄν· οὔτε γὰρ ἂν εἰς αὐτὸ ἕτερον, οὔτε ἐκεῖνο εἰς ἄλλο ἐλθεῖν· κινεῖσθαι δὲ τὰ πλείω ὄντα ἑνός· ἕτερον γὰρ εἰς ἕτερον δεῖν κινεῖσθαι. Εἰ μὲν ουν τὸ μὴ ὂν, οὐδὲν ἂν κινηθῆναι· τὸ γὰρ μὴ ὂν οὐδαμῇ εἶναι. εἰ δὲ εἰς ἄλληλα μεταβάλλοι, πλείω αὐτὸ εἶναι ἑνός. Διὰ ταῦτα δὴ κινεῖσθαι μὲν ἂν τὰ δύο ἢ πλείω ἑνός, ἠρεμεῖν δὲ καὶ ἀκίνητον εἶναι τὸ οὐδέν· τὸ δὲ ἓν οὔτε ἀτρεμεῖν οὔτε κινεῖσθαι· οὔτε γὰρ τῷ μὴ ὄντι οὔτε τοῖς πολλοῖς ὅμοιον εἶναι.

ε. Cfr. Simplicius sect. δ.

τὸ δὴ τοιοῦτον ἓν ὂν) Ita Cod. Lips. Vulgo legitur : *τὸ δὴ τοιοῦτον ὂν, ἓν ὂν*, in quo verba *ἓν ὂν* tanquam glossema rectius omitti possent; sequens autem sententia, *οὔτε κινεῖσθαι κτλ.* durius nulla copula praecedenti annectitur. Sed istud in hoc libello, ut jam dixi, parum attendendum est. — Pro *ἀκίνητον εἶναι* libri *κινητὸν*, quem errorem dudum correxit Tiedemannus. Cum his autem conferri possint Platonis dicta in Parmenide, praesertim in prima argumentatione quam sic concludit : *τὸ ἓν ἄρα, ὡς ἔοικεν, οὔθ' ἕστηκεν, οὔτε κινεῖται.* p. 139, B. quamquam ille aliis utitur rationibus.

εἰ μὲν οὖν τὸ μὴ ὂν, οὐδὲν ἂν κινηθῆναι) Melius scriptum esset : *οὐδ' ἂν κινηθῆναι.* Diligentior vero scribendi ratio postularet haec ita transponi : *εἰ μὲν οὖν μὴ κινηθείη, μηδὲν* (i. e. *μὴ ὂν*) *ἂν εἶναι αὐτό*; quibus respondent sequentia : *εἰ δὲ εἰς ἄλληλα μεταβάλλοι, πλείω αὐτὸ εἶναι ἑνός.* — Pro *οὐδαμῇ εἶναι* corrigendum puto *οὐδαμῇ ἰέναι*; deinde in verbis, *πλείω αὐτὸ εἶναι ἑνὸς*, rectius addita esset particula *ἂν* post *πλείω*, quae ab infinitivo *εἶναι* vix hoc sensu abesse potest.

οὔτε ἀτρεμεῖν οὔτε κινεῖσθαι.) Verbum *ἀτρεμεῖν* refingendum videtur in *ἠρεμεῖν*, ut paullo superius. Nam licet *ἀτρεμεῖν* *quiescendi* notione a Graecis usurpatum sit, philosophi tamen *ἠρεμεῖν* (Dorice *ἀρεμεῖν*) solent appellare, quod oppositum est *τῷ κινεῖσθαι.* Archytas apud Simplic. Categor. f. 99, B : *οὐδὲν μεταξὺ*, inquit, *ἀρεμίας καὶ κινάσιος, καὶ ἀναγκαῖον πᾶν ζῶον ἢ ἀρεμεῖν ἢ κινέεσθαι.* Timaeus Locr. p. 548, ed. Gale. *μόνα δὲ ἁ σφαῖρα ἐδύνατο καὶ ἀρε-*

Κατὰ πάντα δὲ οὕτως ἔχειν τὸν θεὸν, ἀΐδιόν τε καὶ ἕνα, ὅμοιον τε καὶ σφαιροειδῆ ὄντα, οὔτε ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον, οὔτε ἠρεμεῖν οὔτε κινητὸν εἶναι.

§ 4.

Simplicii

testimonium de Xenophane, e Theophrasto.

Comment. in Aristot. Phys. f. 6, A.

α. Μίαν δὲ τὴν ἀρχὴν ἤτοι ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν, καὶ οὔτε πεπερασμένον οὔτε ἄπειρον, οὔτε κινούμενον οὔτε ἠρεμοῦν, Ξενοφάνην τὸν Κολοφώνιον τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον ὑποτίθεσθαί φησιν ὁ Θεόφραστος, ὁμολογῶν ἑτέρας εἶναι μᾶλλον ἢ τῆς περὶ φύσεως ἱστορίας τὴν μνήμην τῆς τούτου δόξης.

μένουσα καὶ κινούμενα ἐν τῷ αὐτῷ συναρμόσειν χώρᾳ κτλ In Pythagoreorum *ἐναντιότησι* apud Aristot. Metaph. I, 5. memoratur *τὸ ἠρεμοῦν* et *τὸ κινούμενον*. Cf. Plato Sophist. p. 248, E. Aristot. Coel. II, 13. Simplic. in § sq. sect. δ. Plutarch. plac. Philos. I, 1.

οὔτε ἠρεμεῖν οὔτε κινητὸν εἶναι.) Ita scripsi e Füllebornii conjectura, quia vulgata lectio *οὔτε ἠρ. οὔτε ἀκίνητον εἶναι* aperte falsa est. Nec tamen satisfacit mihi haec emendatio : nam quamvis *τὸ κινητὸν* absolute positum occurrat apud Aristotelem aliosque, tamen *κινητὸν εἶναι* dici non solet, sed *κινεῖσθαι*. Ergo potius existimo illud *ἀκίνητον εἶναι* mutandum non esse, sed corrigendum alterum *ἠρεμεῖν*, quod errore ex antecedentibus repetitum videtur. Itaque legam, ut initio hujus sectionis : *οὔτε κινεῖσθαι οὔτε ἀκίνητον εἶναι*.

β. Τὸ γὰρ ἓν τοῦτο καὶ πᾶν τὸν θεὸν ἔλεγεν ὁ Ξενοφάνης, ὃν ἕνα μὲν δείκνυσιν ἐκ τοῦ πάντων κράτιστον εἶναι. πλειόνων γάρ φησιν ὄντων, ὁμοίως ἀνάγκη ὑπάρχειν πᾶσι τὸ κρατεῖν· τὸ δὲ πάντων κράτιστον καὶ ἄριστον θεός.

γ. Ἀγένητον δὲ ἐδείκνυεν ἐκ τοῦ δεῖν τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὁμοίου ἢ ἐξ ἀνομοίου γίγνεσθαι· ἀλλὰ τὸ μὲν ὅμοιον ἀπαθές φησιν ὑπὸ τοῦ ὁμοίου· οὐδὲν γὰρ μᾶλλον γεννᾷν ἢ γεννᾶσθαι προσήκει τὸ ὅμοιον ἐκ τοῦ ὁμοίου· εἰ δ' ἐξ ἀνομοίου γίγνοιτο, ἔσται τὸ ὂν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Καὶ οὕτως ἀγένητον καὶ ἀΐδιον ἐδείκνυ.

δ. Καὶ οὔτε δὲ ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον εἶναι· διότι ἄπειρον μὲν τὸ μὴ ὄν, ὡς οὔτε ἀρχὴν ἔχον μήτε μέσον μήτε τέλος, περαίνει δὲ πρὸς ἄλληλα τὰ πλείω. Παραπλησίως δὲ

β. τὸ γὰρ ἓν τοῦτο — ἔλεγεν.) Ne quis propter mutatam orationis formam putet, Simplicium hoc loco jam relinquere Theophrastum: nam saepius hoc facere solet tantummodo ut facilius procedat oratio; et Simplicius ea est fide et diligentia, ut neque silentio fallere studuerit legentes, et si auctorem in his alium sequeretur, nomen ejus certo memorasset. Idem vero comprobat Bessarion adv. Calumniatorem Platonis II, 11. p. 32, b. qui summatim eadem e Theophrasto refert quae plenius a Simplicio exponuntur; verba illius apponam laudata a Brandisio in Comment. Eleat. p. 17 sq. not. *s*.

«Theophrastus Xenophanem, quem Parmenides audivit atque » secutus est, nequaquam inter physicos numerandum, sed alio » loco constituendum censet. Nomine, inquit, unius et universi » Deum appellavit, quod unum ingenitum, inmobile, aeternum, » dixit; ad haec, aliquo quidem modo neque infinitum neque » finitum, alio vero modo etiam finitum, tum etiam conglobatum, » diversa scilicet notitiae ratione; mentem etiam universum hoc » idem (Xenophanes) esse affirmavit. »

δ. περαίνει δέ.) Ita correxi pro περαίνειν; pendet enim a superiore διότι, et opponuntur haec sibi invicem: ἄπειρον μὲν — περαίνει δὲ κτλ.

καὶ κίνησιν ἀφαιρεῖ καὶ τὴν ἠρεμίαν. ἀκίνητον μὲν γὰρ εἶναι τὸ μὴ ὄν· οὔτε γὰρ ἂν εἰς αὐτὸ ἕτερον, οὔτε αὐτὸ πρὸς ἄλλο ἐλθεῖν· κινεῖσθαι δὲ τὰ πλείω τοῦ ἑνός· ἕτερον γὰρ εἰς ἕτερον μεταβάλλειν· ὥςε καὶ ὅταν ἐν ταὐτῷ μένειν λέγῃ καὶ μὴ κινεῖσθαι,

αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδὲν
οὐδὲ μετέρχεσθαί μιν ἐπιπρέπει ἄλλοτε ἄλλῃ,

οὐ κατὰ τὴν ἠρεμίαν τὴν ἀντικειμένην τῇ κινήσει μένειν αὐτόν φησιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀπὸ κινήσεως καὶ ἠρεμίας ἐξῃρημένην.

ε. Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς, ὡς ἄπειρον καὶ ἀκίνητον λέγοντος αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν, ἐν τῇ περὶ θεῶν ἀπομνημονεύει· Ἀλέξανδρος δὲ ὡς πεπερασμένον αὐτὸ καὶ σφαιροειδές. Ἀλλ' ὅτι μὲν οὔτε ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον αὐτὸ δείκνυσιν, ἐκ τῶν προειρημένων δῆλον. Πεπερασμένον δὲ καὶ σφαιροειδὲς αὐτὸ διὰ τὸ πανταχόθεν ὅμοιον λέγει. Καὶ πάντα δὲ νοεῖν φησὶν αὐτὸν λέγων·

ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο νόου φρενὶ πάντα κραδαίνει.

Retuli utriusque scriptoris de Xenophane testimonia, quorum quae sit vis et auctoritas facile intelligitur. Non ipsa Xenophanis verba neque argumentationem referunt : quae enim hic poëtice exposuit placita, illi omni ornatu denudarunt et strictiori ar-

κινεῖσθαι δὲ) Inserui particulam δὲ oppositam praecedenti μὲν; deinde μεταβάλλειν scripsi pro μεταβάλλει.

αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ) De corrupta horum versuum lectione monui supra fragm. IV, p. 38.

μένειν αὐτόν φησιν) Scil. τὸν θεόν; posset etiam legi αὐτὸ, nempe τὸ ὄν.

ε. ἀλλ' ἀπάνευθε πόνοιο) Vid. supra fragm. III. p. 37.

gumentandi ratione coarctarunt, magis ad suam disserendi artem quam ad illius ingenium, ut videtur, accommodate; indicant tamen ejus mentem et argumenta rationesque, quibus in philosophando usus est: habemus igitur summam unde cognoscenda ejus philosophia, et adhibitis aliorum testimoniis, illustranda est.

§ 5.

Primum argumentum hoc est: « Deus, siquidem est, natus esse non potest: nam quod nasci dicimus oriatur necesse est, aut ex simili natura aut ex dissimili: et ex simili quidem simile natum esse nequit, cum idem sit utrumque, neque alterum magis generari ab altero quam generare ipsum oporteat; ex dissimili autem natum esse dissimile non potest, quandoquidem id quod est nasceretur videlicet ex eo quod non est; atqui hoc nullum est: aeternus igitur est Deus. »

Ergo Xenophanes cum *esse* sive *τὸ ὂν* statuat Deum, ingenitum esse demonstrat, quoniam id quod gigni dicimus generis mutatione et vicissitudine cernitur, omnisque vicissitudo naturarum discrimine continetur, ita ut alteram praestantiorem, alteram deteriorem esse oporteat, quarum mutata conditione efficitur id quod nasci et interire dicitur. Clarius hoc exponit Ocellus Lucanus, cujus verba cum his comparanda sunt [13]: *Πᾶν τε τὸ γενέσεως ἀρχὴν εἰληφὸς καὶ διαλύσεως ὀφεῖλον κοινωνῆσαι δύο ἐπιδέχεται μεταβολάς·*

(13) Ocellus Luc. p. 506, sq. in Opusc. Myth. ed. Gale.

μίαν μὲν, τὴν ἀπὸ τοῦ μείονος ἐπὶ τὸ μεῖζον καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ χείρονος ἐπὶ τὸ βέλτιον. καλεῖται δὲ τὸ μὲν ἀφ' οὗπερ ἂν ἄρξηται μεταβάλλειν γένεσις· — δευτέραν δὲ, τὴν ἀπὸ τοῦ μείζονος ἐπὶ τὸ μεῖον καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ βελτίονος ἐπὶ τὸ χεῖρον· τὸ δὲ συμπέρασμα τῆς μεταβολῆς ταύτης ὀνομάζεται φθορὰ καὶ διάλυσις. Ἐὰν οὖν καὶ τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν γεννητόν ἐϛι καὶ φθαρτὸν, γενόμενον ἀπὸ τοῦ μείονος ἐπὶ τὸ μεῖζον μετέβαλε καὶ ἀπὸ τοῦ χείρονος ἐπὶ τὸ βέλτιον.

Eadem notio subjecta est his Xenophanis verbis, εἰ γὰρ γίγνοιτο ἐξ ἀσθενεϛέρου τὸ ἰσχυρότερον, ceteris, quibus Deum aeternum esse probat, quoniam vicissitudo omnis aliena sit ab eo quod *est* tantum, τοῦ ὄντος, cui nihil oppositum nisi τὸ μὴ ὄν, quod nihil est : hoc autem discrimine sublato, nullus relinquitur naturae mutationi locus, neque nasci adeo neque interire ullo modo potest, ex decreto illo : *simile ex simili nasci nequit*, sive ut Simplicius : τὸ ὅμοιον ἀπαθὲς ὑπὸ τοῦ ὁμοίου : quod enim simplex et ab omni diversitate alienum est, idem sit ab omni naturae vicissitudine vacuum necesse est. [14] Iisdem argumentis quamquam alia ratione conclusis utitur Melissus apud Simplic. Phys. f. 22 B.

In referenda autem hac Xenophanis ratione cum

(14) *Brandis* l. l. p. 27, sq. putat, Xenophanis hoc placitum oppositum fuisse Anaximandri sententiae, qui ex infinito, quod fecit rerum principium, omnia ita gigni statuisset, ut similia ex similibus necterentur; placiti hujus testem affert Simplicium in Aristot. Phys. fol. 6. Sed vereor ne, cum haec scriberet vir clarissimus, Simplicii verba minus diligenter explicuerit. Hic enim Anaximandri sententiam referens dicit : ἀρχήν τε καὶ ϛοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον, πρῶτος τοῦτο τοὔνομα κομίσας (f. l. νομίσας) τῆς ἀρχῆς. tum addit : οὗτος δὲ οὐκ ἀλλοιουμένου τοῦ ϛοιχείου τὴν γένεσιν ποιεῖ, ἀλλ' ἀποκρινομένων τῶν ἐναντίων διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως. Explicuit haec Ritterus, Gesch. der Ionischen philos. p. 176-178.

Aristotele et Simplicio concinunt pene omnes, nisi quod plerique falsa decepti interpretatione quaedam mutasse, alia adfinxisse videntur. Audiendus praecipue Plutarchus qui, memoratis aliorum placitis, de illo sic exponit [15]: Ξενοφάνης δὲ ὁ Κολοφώνιος, *ἰδίαν τινὰ ὁδὸν πεπορευμένος καὶ παρηλλαχυῖαν πάντας τοὺς προειρημένους, οὔτε γένεσιν οὔτε φθορὰν ἀπολείπει, ἀλλ' εἶναι λέγει τὸ πᾶν ἀεὶ ὅμοιον· εἰ γὰρ γίγνοιτο τοῦτό φησιν, ἀναγκαῖον πρὸ τούτου μὴ εἶναι· τὸ μὴ ὂν δὲ οὐκ ἂν γένοιτο, οὐδ' ἂν τὸ μὴ ὂν ποιῆσαι τι, οὔτε ὑπὸ τοῦ μὴ ὄντος γένοιτ' ἄν τι.* Primum quod hoc loco Xenophanes τὸ πᾶν, ***omnem rerum universitatem*** sempiternam statuisse dicitur, hoc interpretationis errori tribuendum est, ut mox latius explanabitur; tum quae περὶ τοῦ μὴ ὄντος addita sunt, (τὸ μὴ ὂν δὲ οὐκ ἂν γένοιτο κ. τ. λ.) ea non ex ipsis philosophi dictis expressa, sed potius e sententia ejus collecta videntur. Namque τὸ μὴ ὂν Xenophanem simpliciter rejecisse nulla argumentatione adhibita, probabile est: postea vero, cum Eleaticae philosophiae placita in controversiam vocata subtilius examinari singula coepissent, etiam τὸ μὴ ὂν diligentius explanatum est a Parmenide; quod placitum deinceps studiose a philosophis agitatum magnam tam inter physicos quam dialecticos fecit disceptationum controversiam.

Ipse quidem Aristoteles, auctorem dico commentarii de Xenoph. Zen. Gorg. c. IV initio [16], expo-

(15) Plutarch. Stromat. apud Euseb. Praep. Eu. I, 8. p. 23. Ciceronis, Plutarchi, Sexti Empirici, Diogenis Laërtii, Galeni, Origenis, Stobaei, Theodoreti testimonia infra explicabimus; nunc tantum notamus, idem significari ab his qui Xenophanis τὸ ὂν sive θεὸν appellant *ἀΐδιον, ἀπαθῆ, ἀμετάβλητον.*

(16) Aristotelis verba sic corrigenda puto: *καίτοι τί κωλύει μήτ' ἐξ ὁμοίου μήτ' ἐξ ἀνομοίου τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, ἀλλ' ἐκ*

sitis Xenophanis rationibus, deinceps ei contradicens quaerit, « quae ratio obstet, quominus quod nasci dicimus, id nascatur ex eo quod non est? Tum vero eadem ratione, qua Deum, naturam quoque omnem sempiternam fore, si quidem cuncta aut ex similibus aut ex dissimilibus nata sint. » Atqui in rerum natura valeat illud τὸ γίγνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος, ut continua elementorum motione quasi nova generentur corpora, ex aqua vapor, e vapore ignis, totusque mundus perpetua naturae vicissitudine mutetur; non autem valet de ipsa rerum essentia, quam omnis oportet esse mutationis expertem; neque quae de Deo tamquam τοῦ ὄντος praedicavit Xenophanes, eadem ad rerum naturam, de qua ille non dixit, transferri licet. Hoc praesertim notandum est, quia multos scriptores falsa interpretatione deceptos in errorem duxit.

Caeterum quod ad formam hujus argumentationis attinet, dubitari possit, num plenius a Xenophane fuerit exposita quam Aristoteles et Theophrastus retulerunt. Quum enim ἀΐδιον sempiternum statuit Deum, id duo complectitur argumenta, alterum, non natum esse, alterum, non interiturum: quorum illud ab eo expositum, hoc vero praetermissum est. Utrumque quidem una eademque nititur ratione; quamobrem licuerit Xenophani id tacite intelligere, quamquam a ceteris, ut a Parmenide et a Melisso, additum est. Plerique tamen scriptores commemorant, Xenophanem tam γένεσιν quam φθορὰν sustulisse, atque id quod esse statuit, ἀγένητον καὶ ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον praedicasse. Quorum testimonium confir-

μὴ ὄντος; ἔτι οὐδὲν μᾶλλον ὁ θεὸς ἀγένητος ἢ καὶ τἆλλα πάντα, εἴπερ ἅπαντα ἐξ ὁμοίου ἢ ἀνομοίου γέγονεν· ὅπερ ἀδύνατον.

mari videtur ipsius Xenophanis dicto quod supra ex Aristotele attulimus : Ξενοφάνης ἔλεγεν, ὅτι ὁμοίως ἀσεβοῦσιν οἱ γενέσθαι φάσκοντες τοὺς θεοὺς τοῖς ἀποθανεῖν λέγουσιν· ἀμφοτέρως γὰρ συμβαίνει, μὴ εἶναί ποτε τοὺς θεούς. Unde colligi non temere possit, idem argumentum in ipsius carmine, quum de divina natura ageret, haud plane omissum esse. Cum Xenophanis autem dicto concinit Epicharmi ille versus apud Diog. Laert. III, sect. 10 :

Ἀλλ' ἀεί τοι θεοὶ παρῆσαν καὶ ὑπέλιπον οὐ πώποκα·
Τάδε (τὰ θεῖα) δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.

§ 6.

Altero argumento unum esse Deum demonstrat ex ipsa divini numinis natura. «Talis enim, inquit, natura est Deus, ut sit omnium optimus et praestantissimus : quo constituto, sequitur ut nec quisquam illo superior neque plures inter se pares Dii possint haberi, quoniam hoc modo summa illa praestantiae vis, ipsa adeo Dei natura, tollitur.»

Multos antiquorum locos vidimus, qui testificantur, Xenophanem vulgares de Diis opiniones fictionesque poëtarum vehementer improbasse et studiose refutasse; protulimus ipsius dictum quo unus ille Deus celebratur :

εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος

Huic tamen sententiae contrarium videatur, quod non modo unum, sed interdum plures quoque Deos commemorasse dicitur, et in hoc ipso versu unum quidem omnium praestantissimum facit Deum, nec tamen plures Deos omnino tollere videtur. Sed hu-

jus rei duae afferendae sunt caussae : altera est, quod ille non recondita tantum disputatione de Diis philosophatus est, sed oratione usus plerumque communi hominum sensui accommodata, qua pervagatas imperitorum opiniones corrigeret et ad altiorem verioremque cogitandi rationem erudiret [17]. Altera autem eaque praecipua causa posita videtur in ipsa Graeci sermonis indole, in quo nullum erat vocabulum quo summum illud numen et excellens omni naturae praestantia significaretur. Ubi enim ingens Deorum numerus hominum sententia et religione consecratus erat, θεοῦ nomen non unius proprium sed commune multorum fuit. Quae autem differentia notata est inter appellationem θεοῦ et δαίμονος, haec priscis fere non observata fuit, qui promiscue his nominibus usi sunt. Ita Empedocles, quem nonnulli haec nomina subtilius distinxisse putant, in carmine θεὺς eosdem et δαίμονας appellat; similiter, ut alios omittam, Plato in Timaeo [18], ubi summus Deus omnium parens et auctor τοὺς δαίμονας ita alloquitur : Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιοῦργος πατήρ τε ἔργων!

(17) Monuit hoc Brandis. p. 33 sq. Quod autem hic discrimen statuit inter Xenophanis rationem philosophicam, et alteram popularem, id non nimis urgendum.

(18) Vid. pag. 41, A. Ne quis vero mihi objiciat, veteres jam olim θεοὺς, δαίμονας et ἥρωας distinxisse, novi multis antiquorum locis id probari, veluti Hesiod. ἔργ. vs. 122. Pythag. Aur. carm. princ. Ocell. Lucan. c. 3, p. 529, ed. Galei. Platon. Legg. IV, 8. p. 717. μετὰ θεοὺς δὲ τούσδε καὶ τοῖς δαίμοσιν ὄγ' ἔμφρων ὀργιάζοι τ' ἄν, ἥρωσι δὲ μετὰ τούτους. Cratyl. p. 397, D. Tantum autem dico, hanc nominum differentiam non adeo definitam fuisse, quin ea plerumque tam vulgi quam doctorum usu confunderentur. Subtilius ea distinxerunt posteriores, Stoici, Platonici, alii, quorum commenta in antiquos conferenda non sunt, ut facit Plutarch. plac. philos. I, 8.

Itaque ut ceteri philosophi, licet a vulgari opinione dissentirent, communem sermonis usum servarunt, similiter Xenophanes fecisse putandus est. Quamquam hujus sententiam nonnulli parum diligenter aut perverse interpretati videntur, ut Plutarchus, quum eam sic exponat [19]: ἀποφαίνεται δὲ καὶ περὶ θεῶν, ὡς οὐδεμιᾶς ἡγεμονίας ἐν αὐτοῖς οὔσης· οὐ γὰρ ὅσιον δεσπόζεσθαί τινα θεῶν· ἐπιδεῖσθαί τε μηδενὸς αὐτῶν μηδένα μήδ' ὅλως. Principatum sane inter Deos tollit Xenophanes, ita ut unum modo esse Deum statuat, non tamen plures faciat pares inter ipsos et aequales. Sed Plutarchus Xenophanis sententiam confuderit fortasse cum nobili Euripidis dicto, quod idem alibi laudat [20]:

> οὔτ' ἠξίωσα πώποτ' οὔτε πείσομαι,
> οὐδ' ἄλλον (θεὸν) ἄλλου δεσπότην πεφυκέναι·
> δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἔσ' ὄντως θεὸς,
> οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.

Hos autem versus quamvis facile credam, Euripidem e philosophorum disputationibus, ut multa alia, in scenam protulisse, in his tamen vel alium auctorem secutus videtur vel, si Xenophanem secutus sit (ut *Brandisio* visum), [21] suo arbitrio sententiam finxisse. Liberior hic poëtarum usus interpretibus in explicandis philosophorum placitis fraudi interdum fuit. Euripidis vero dictis paene conveniunt ea quae Xe-

(19) In Strom. apud Euseb. Praep. Eu. I, p. 23 B.

(20) Hercul. fur. v. 1334 sqq. cf. Plutarch. de repugn. Stoic. p. 1052, E. Socrates in Xenoph. Mem. I, 6, § 10: 'γὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δέεσθαι θεῖον εἶναι.

(21) Comment. Eleat. p. 67, qui, notata hac sententiae diversitate, ipsi Xenophani id fortasse tribuendum monet: nam quum multa edidisset carmina, potuisse eum interdum variare sententiam et de eadem re non semper idem dicere.

nophani contradicens Aristoteles [22] profert; cujus verba quoniam graece corrupta sunt, latine interpretabor : « Deum, inquit, potentissimum et optimum esse praedicat, id autem intelligit secus ac plerique existimant : praestantissimus enim plerumque Deus dicitur, non comparatus cum aliis, sed ipsius per se spectata natura. Nam si aliis tantum excelleret, posset quidem non propter suam ipsius virtutem et bonitatem, sed ob illorum imbecillitatem praestare : quo quidem modo praestantissimum Deum audeat dicere nemo; verum ita potius, ut quam optime secundum suam ipsius naturam sit affectus, nec ulla re ad bene beateque degendum indigeat. Neque ratio obstat quominus, etiamsi plures sint, cuncti ea conditione fruantur, ut omnes quam optime sint affecti, et alius quidem alio excellentior, sua autem quisque natura praestantissimus sit. » Haec, quae ille adversus Xenophanem disputat, cum

(22) De Xenoph. caet. c. IV. Graeca, dum integriores codd. desunt, conjectura probabili sic interpolari possint : ἔτι κράτιστον τὸν θεὸν λαμβάνει, τοῦτο δυνατώτατον καὶ βέλτιστον λέγων. οὐ δοκεῖ δὲ τοῦτο κατὰ τὸν νόμον (h. e. vulgari sententia), ἀλλὰ πολλὰ (κατὰ πολλὰ) κρείττους εἶναι ἀλλήλων οἱ θεοὶ (sc. δοκοῦσιν)· οὐκ οὖν ἐκ τοῦ δοκοῦντος εἴληφε ταύτην κατὰ τοῦ θεοῦ ὁμολογίαν. τό τε κράτιστον εἶναι τὸν θεὸν οὐχ οὕτως ὑπολαμβάνεται, ὡς πρὸς ἄλλό τι τοιαύτη ἡ τοῦ θεοῦ φύσις, ἀλλὰ πρὸς τὴν αὐτοῦ διαθέσιν· εἰ γὰρ τοῦτο (sc. λέγοιτο) πρὸς ἕτερον, οὐδὲν ἂν κωλύοι, μὴ τῇ αὐτοῦ ἐπιεικείᾳ καὶ ῥώμῃ ὑπερέχειν, ἀλλὰ διὰ τὴν τῶν ἄλλων ἀσθένειαν. θέλοι δ' ἂν οὐδεὶς οὕτω τὸν θεὸν φάναι κράτιστον εἶναι, ἀλλ' ὅτι αὐτὸς ἔχει ὡς οἷόν τε ἄριστα, καὶ οὐδὲν ἐλλείπει μὴ εὖ καὶ καλῶς ἔχειν αὐτῷ· ἅμα γὰρ ἴσως (i. e. nimirum) τοῦτ' (τὸ εὖ καὶ καλῶς) ἔχοντι κἀκεῖνο (τὸ κράτιστον εἶναι) ἂν συμβαίη. οὕτω δὲ διακεῖσθαι καὶ πλείους αὐτοὺς ὄντας οὐδὲν κωλύει, ἅπαντας ὡς οἷόν τε ἄριστα διακειμένους, καὶ κρείττους τῶν ἄλλων οὐχ αὐτῶν ὄντας.

Euripidis sententia fere congruunt; at quanto excelsior est Xenophanis ille Deus, quem natura talem esse censuit, ut unus dominaretur cunctaque suo nutu gereret : comprobans illud, quod praeclare Callimachus dicit [23] :

εἰ θεὸν οἶσθα,
ἴσθ' ὅτι καὶ ῥέξαι δαίμονι πᾶν δυνατόν.

§ 7.

Agit porro de Dei natura : « Si unus est Deus, una quoque et aequabili est natura : nam si e diversis elementis constaret et diversis partibus esset constitutus, alia sui parte praestantior, alia deterior foret : id autem a Deo alienum, in quo nullum est partium viriumque discrimen, sed una et simplici natura absolute perfectus est, atque adeo sphaerae instar omni ex parte sui similis. »

Sententia haec, *unum esse quiddam natura perfectum et aequabile*, nobilissima fuit in veteri philosophia, eamque cum Pythagorei tum praecipue Eleatici celebrarunt. Laudatur illud placitum a Cicerone in libro de Orat. III, 5, quum haec dicat : « Ac mihi » quidem veteres illi majus quiddam animo com- » plexi multo plus etiam vidisse videntur, quam » quantum nostrorum ingeniorum acies intueri po- » test, qui omnia haec, quae supra et subter, unum » esse et una vi atque una naturae consensione » constricta esse dixerunt. » Hanc naturae aequabi-

(23) In fragm. apud Plutarch. plac. philos. I, 7. in Callimachi ed. Ern. fr. 137. p. 496,

litatem Xenophanem meditatum esse testificatur etiam Timo Phliasius, qui in sillis eum ita facit loquentem [24]:

> ὅππῃ γὰρ ἐμὸν νόον εἰρύσαιμι,
> εἰς ἓν ταὐτό τε πᾶν ἀνελύετο, πᾶν δὲ ὂν αἰεὶ
> πάντῃ ἀνελκόμενον μίαν εἰς φύσιν ἵςαθ᾽ ὁμοίαν.

Quocumque mentem convertam, in unum idemque uni versa resolvuntur, atque universum quod omnino semperque est, in unam suique similem naturam reductum constringitur. Uterque autem hic generatim ad omnem rerum naturam et omnia haec, quae supra et subter, hoc placitum referunt; quo sensu plures etiam veterum usurparunt, in primis Hippocrates, cujus celebris illa vox [25]: ξύῤῥοια γὰρ μία, σύμπνοια μία, πάντα συμπαθέα. Eleatici autem non universum mundum cogitatione complexi, sed intelligibilem naturam a rebus spectabilibus abstractam contemplati sunt et explorarunt. Parmenides quidem τὸ ὂν per se posuit, de quo sic praedicat vs. 74 sqq.

> Οὐδὲ διαιρετόν ἐςιν, ἐπεὶ πᾶν ἐςιν ὁμοῖον,
> οὐδέ τι τῇ μᾶλλον, τό κεν εἴργοι μιν συνέχεσθαι
> οὐδέ τι χειρότερον. —

(24) Apud Sextum Emp. Hypot. Pyrrh. I, 33. sect. 224. Versus hi prius mihi videbantur mutili et turbati propter hiantia illa verba: πᾶν δὲ ὂν αἰεὶ πάντῃ ἀνελκόμενον; itaque participium istud ἀνελκόμενον melius abesse putabam et sic legendum:

> πᾶν δ᾽ ὂν αἰεὶ πάντῃ μίαν εἰς φύσιν ἵςαθ᾽ ὁμοίαν.

ita praecedens versus mancus relinqueretur. Id autem quamvis mihi placeret, mutare tamen nihil volui, praesertim quod Timo in versibus suis elegantiam et concinnitatem parum curare solet. Caeterum quae Fabricius ad h. l. p. 58, not. D. annotat, ea aliud certo agens scripsisse videtur.

(25) Apud Simplic. Phys. III, f. 106, A.

Xenophanes autem, qui τὸ ὂν appellavit *Deum*, de hoc uno perfectum illud et aequabile dixisse videtur. Idque probant veterum testimonia, ut ejusdem illud Timonis [26]:

— — Θεὸν ἐπλάσατ' ἶσον ἁπάντη
ἀσκηθῆ —

Deum omni ex parte aequalem statuit et integrum. Haec autem aequalitas illud est quod de Deo solebat praedicare, *totum omnino cernere ipsum, totum audire, totum cogitare;* ut una sit in eo et perfecta naturae consensio. Eadem vis significatur sphaerae similitudine, quae forma multum a veteribus celebrata et a philosophis perfectissima semper est habita. Pythagorae hoc placitum tribuunt veteres [27]: τῶν σχημάτων τὸ κάλλιστον σφαῖραν εἶναι τῶν στερεῶν, τῶν δὲ ἐπιπέδων κύκλον, idque uno ore plerique philosophi et mathematici comprobarunt: huic enim formae contigisse ut sola omnes alias figuras contineat, ipsaque omnino sui similis sit et aequalis (παντόθεν ἴσος καὶ ὅμοιος), quum omnis ejus extremitas paribus radiis a medio attingatur [28]. Hac ratione adducti sunt philosophi, ut hac forma pulcriorem nullam, nullam rerum universitati aptiorem dicerent: quae sententia Pythagoreis cum Platone et Aristotele communis deinceps etiam a posterioribus, praesertim Stoicis, aliisque adscita est [29]. Italici autem philosophi,

(26) Apud Sext. Emp. l. l. ἀσκηθής Vocabulum rarius est Hesychius et Eustathius interpretantur ἀβλαβής.

(27) Diog. Laërt. VIII, 35.

(28) Cicero de Nat. D, II, 18. cum not. Davisii; de Universo cap. 6, Ern.

(29) Vid. Ocellus Lucan. cap. I, p. 514. et Timaeus Locr. p. 547 sq. (ed. Gal.) Plato in Timaeo p. 33, B. coll. Wyttenb.

qui adspectabilium rerum formas ad intelligibilia retulerunt, eadem figura usi sunt ad summam naturae perfectionem exprimendam Ergo Deum non *sphaeram* finxit Xenophanes, sed *sphaerae similem*, prorsus ut Parmenides celebratissimis versibus 104 sqq. τὸ ὄν dicit:

> πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ
> μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ· —
> ἢ γὰρ πάντοθεν ἶσον ὁμῶς ἐν πείρασι κυρεῖ.

Etiam Plato in dialogo Timaeo, in quo priscorum physicorum opiniones sua ratione ornavit, mundum hunc in sphaerae modum a Deo formatum dicit, eundemque appellat simulacrum divinae mentis (ἀγάλμα τοῦ θεοῦ) : ipsam adeo mentis vim nulla alia imagine putat aptius posse repraesentari [30]. Neque vero est quod hanc similitudinem miremur: reputemus tantum, ipsum nomen ἰδέαν a corporis habitu ad mentis cogitationes esse translatum; similiter ergo sphaerae imago, quam Xenophanes ad Deum transtulit, nihil aliud significat nisi unum illud et aequabile atque perfectum, quo divina natura cernitur [31].

ad Phaedon. p. 304. Aristoteles infra laudabitur. De Stoicis Diog. Laërt, VII, 140. coll. Menag. Obss. Plutarch. plac. Philos. I, 6, cujus haec sunt verba : σφαιροειδὴς δὲ ὁ κόσμος, ὃ πάντων τῶν σχημάτων πρωτεύει· μόνον γὰρ τοῦτο τοῖς ἑαυτοῦ μέρεσιν ὁμοιοῦται. In quibus verbis nihil est, quod cum Corsino dissert. I, p. V, sq. impeditum aut vitiosum aliquis putaverit, qui locos modo laudatos inspexerit.

(30) Tim. p. 34-37. Legg. X, 8. p. 897 C. 898 A.

(31) Recte hoc intellexit Cudworthius Syst. Intell. p. 454. quem parum juste reprehendunt Moshemius ibid. not. p. 585. et Brucker Hist. Crit. Phil. p. 1150. Cf. Cl. Cousin. p. 78 qui comparat similem metaphoram, qua bonum et fortem virum adpellabant τετράγωνον. Aristot. Rhet. III, 11. princ.

§ 8.

Tali igitur natura cum sit Deus, eundem neque infinitum neque finibus terminatum dixit : « Namque infinitum, inquit, ejusmodi est, quod nec initium neque medium neque extremum neque ullos omnino habet fines ; id autem nihil est : quod vero his finibus terminatur, id non unum est, sed pluribus constat : ergo cum unus sit Deus, neutra harum definitionum ejus naturae congruit. »

Pari ratione Deum nec inmobilem esse neque moveri demonstrat : « Inmobile enim cum ejusmodi sit, quod nec ipsum alterius motu afficiatur nec suo alterum afficiat motu, id quidem nihil est : quod autem movetur, id mutationis patitur vicissitudinem, atque adeo non unum est sed multa : ergo etiam harum affectionum neutra in Deum convenit. »

Quo rectius haec Xenophanis ratio judicari et perspici possit, contendenda est cum aliorum placitis veterum, qui jam inde a principio has quaestiones tractarunt, certe attigerunt. Ionici enim philosophi in quaerenda rerum origine infinitum plerique statuebant principium, quod omnia contineret ipsumque divinum esset : quod nominatim Anaximandro placuisse testificatur Aristoteles Phys. III, 4 : *ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥσπερ φησιν ὁ Ἀναξίμανδρος, καὶ αἱ πλεῖςαι τῶν φυσιολόγων*. Ex hoc autem principio cum omnia nata dicerent, motum quoque ei tribuerunt sive in eadem natura inhaerentem seu genere distinctum et extrinsecus ei allatum. Hi tamen philosophi, quum dialectica arte parum uterentur, nec infinitum ipsum quale esset, neque motus naturam studiosius explorarunt et definiverunt. Italicorum fuit haec in-

quisitio, qui ut pleraque alia sic etiam τὸ ἄπειρον καθ' αὑτὸ, οὐχ ὥς τινι ἑτέρῳ συμβεβηκὸς, ut ait ibidem Aristoteles, considerarunt. Atque horum placita indagantibus facile apparebit, Xenophanis rationem a Ionicis diversam, cum Pythagoricis ita congruere, ut communem stirpem agnoscas. Hi enim omnis naturae elementa statuerunt esse contraria, eaque in certas generum formas descripserunt, vulgo τὰς κατὰ συςοιχίαν ἀρχὰς appellatas; in quibus praesertim haec sibi paria opponuntur : πέρας (sive περαῖνον) et ἄπειρον, ἠρεμοῦν et κινούμενον. Haec autem Pythagoricorum ratio non multò ante Xenophanem in Italia videtur esse reperta, sive ipsum Pythagoram habuerit auctorem sive aequalem ejus Alcmaeonem Crotoniatem, qui docuit, δύο εἶναι τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων, h. e. res humanas totumque mundum ex oppositis elementis constare [32].

Ex hoc igitur fonte profecta videtur Xenophanis sententia : namque quum unum esse Deum statueret, ista, quae in rebus humanis habentur contraria, aliena a divina natura censuit : quo pertinet fortasse etiam id quod apud Laërtium legimus, Xenophanis sententiam Pythagorae fuisse oppositam [33]. Haec universe; jam singula attendamus.

Primum quod ad ἄπειρον et πεπερασμένον attinet, Pythagoreorum fuit haec definitio, perfectum omne totumque mundum tribus his terminis contineri, initio, medio, extremo [34] : τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός. Huic congruum

(32) Arist. Metaph. I, 5. cf. Ritter. Gesch. d. Pythag. Philos. p. 124.

(33) Aliter haec explicat Cousin l. l. p. 80.

(34) Aristot. Coel. I, 1.

est quod Xenophanes *τὸ ἄπειρον* dicit *οὔτε ἀρχὴν οὔτε μέσον οὔτε τέλος ἔχειν.* Eandem definitionem tamquam notam usurpat Plato in Philebo, Pythagoreorum exemplo *τὸ ἄπειρον* statuens *τοῦ μήτε ἀρχὴν μήτε μέσα μήτε τέλος ἀφ' ἑαυτοῦ ἐν ἑαυτῷ ἔχοντος γένους.* In Parmenide quoque Eleaticorum vestigia legens eadem utitur descriptione [35]; unde satis apparet, Xenophanis illam argumentationem antiquitatis auctoritate niti. Igitur *τὸ ἄπειρον*, quod nullas habeat partes, esse omnino negat; contrarium autem *τὸ πεπερασμένον* non unum esse sed multa, si quidem tribus illis constet, quorum aliud ex alio extrinsecus cerni necesse sit: *ἀεὶ περαίνειν ἀναγκὴ ἕτερον πρὸς ἕτερον*, ut Aristoteles dicit [36]. Harum igitur affectionum neutram censet cum Dei natura congruere, quod unus sit omnique humanarum rerum contagione vacans. Cum quo comparari potest celebratissimum illud antiquitatis effatum in Orphicis proditum, quo Jupiter unus ipse cuncta tenere praedicatur [37]:

ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων καὶ μέσσατον ἠδὲ τελευτήν.

Deinde quod Deum nec inmobilem esse neque moveri censet, hoc placitum a Xenophane ex ipsa motus natura probatur. Quae quaestio, multum inter

(35) Plato Phileb. p. 31 A. Parmen. p. 145 A.

(36) Aristot. Phys. III, 4. p. 275 A. Unde Plato in Philebo 25 D. *τὴν τοῦ περατοειδοῦς φύσιν* interpretatur *τὴν τοῦ ἴσου καὶ διπλασίου καὶ ὁπόση παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα.*

(37) Vid Orphica Herm. p. 451, vs. 35. quem locum plurimi scriptores inde a Platone laudarunt: cf. Wyttenb. ad Plutarch. S. N. V. p. 73.

antiquos philosophos agitata, tamen satis dilucide explicita non est anteaquam rerum formae sive categoriae ab Archyta et deinceps a Platone et Aristotele diligentius essent investigatae. Prisci illi tantum viderunt, motum per se solum non posse intelligi, sed cum altero, veluti loco, tempore, inani, cohaerere, omnemque motum esse mutationem, et haec ambo, κίνησιν et μεταβολὴν, genere inter se esse conjuncta [38]. Hoc modo etiam Xenophanes argumentatur statuens: κινεῖσθαι τὰ πλείω ὄντα ἑνός· ἕτερον γὰρ εἰς ἕτερον δεῖν κινεῖσθαι. Porro: εἰ δὲ εἰς ἄλληλα μεταβάλλοι, πλείω αὐτὸ εἶναι ἑνός. Eadem fere ratione Parmenides usus est et Melissus, cujus verba cum Xenophane paene congruere videntur: τὸ γὰρ ἥντινα οὖν κίνησιν κινεόμενον ἔκ τινος καὶ εἰς ἕτερόν τι μεταβάλλει· οὐδὲν δὲ ἦν ἕτερον παρὰ τὸ ἐόν· οὐκ ἄρα τοῦτο κινήσεται [39]. Atque haec antiquorum vestigia Plato secutus duo praesertim motus genera distinxit, φορὰν et ἀλλοίωσιν, ut in Parmenide dicit, ὅτι κινούμενόν γε ἢ φέροιτο ἢ ἀλλοιοῖτο ἄν· αὗται γὰρ μόναι κινήσεις [40]; in quibus definiendis eadem ille distincte explicuisse videtur, quae superiores confusius disputaverant. Jam vero hoc argumento Xenophanes conclusit, nec inmobilem esse Deum neque moveri: quod enim immobile est quum nullo in loco sit, nec ipsum quidem esse; si autem movetur, non unum esse sed multa: ergo neutram harum affectionum in id quod unum est convenire [41].

Sic igitur ille, quam mente conceperat perfectam absolutamque naturam, ab hac disjunxit contraria

(38) Aristot. Phys. III, capp. 1 et 2.
(39) ap. Simplic. Phys. f. 22 B.
(40) Plato Parm. p. 138 C. Theaet. p. 181 C.
(41) Cf. Plato Parm. p. 138 E. 139 A.

omnia quae in rebus humanis cernuntur. Praeclarum sane illud et excelsum; attamen non sensit, his sublatis, talem se fecisse Deum, quem nulla liceat humanae mentis cogitatione complecti, de quo adeo definiri nihil nec praedicari posset. Unde ei accidit ut in iis quae de Deo ratiocinaretur non satis sibi ipse constaret, et eundem quem inmobilem esse et finibus contineri negaret, tamen et quiescere [42] et forma comprehendi praedicaret. Huc spectare videtur reprehensio illa Aristotelis, quum dicat, Xenophanem nihil diserte explicuisse (οὐδὲν διεσαφήνισε) [43]. Idem posterioribus, qui Eleaticam rationem secuti sunt, variarum ansam praebuit disputationum, quum eadem, quae ille obscurius enuntiaverat, a sequentibus, Melisso, Parmenide aliisque, in diversas explicarentur sententias.

Sed non minus varie ipsius etiam Xenophanis sententia ab interpretibus exposita est atque ita erroribus implicita, ut plane contraria sibi statuisse videatur. Apud Ciceronem de Nat. Deor. Vellejus ut in ceterorum sententiis referendis parum diligens, sic etiam in Xenophane labitur, quum dicit [44]: «Xenophanes, mente adjuncta, omne praeterea, quod » esset infinitum, Deum voluit esse. » Quod mentem dicit adjunctam infra explicabitur; nunc *infinitum* illud notandum est. Similiter erravit Nicolaus Damascenus, qui in libro de diis retulit Xenophanem principium fecisse ἄπειρον καὶ ἀκίνητον, quem Simplicius verbis supra memoratis reprehendit. Contra Alexan-

(42) Vid. fragm. IV.

(43) Aristot Metaph. I, 5. quem attuli supra § 1.

(44) Cicero N. D. I, 11, quem sequitur Minuc. Felix Octav. cap. XIX, p. 179. ed. Gron.

der, ut idem memorat, *πεπερασμένον καὶ σφαιροειδὲς* statuisse Xenophanem prodidit, quod alii quoque retulerunt [45]. Joannes Philoponus denique Xenophani eandem ac Parmenidi tribuit sententiam : *μίαν μὲν ὂν* (*ἀρχὴν εἶναι*) *καὶ πεπερασμένην καὶ ἀκίνητον Παρμενίδης ἔλεγε καὶ Ξενοφάνης* [46]. Horum testimonia inter se comparata quantopere sibi adversentur apparet; neque tamen multum nos turbant, siquidem omnis illa discrepantia inde explicanda videtur, quod Xenophanis placita ab ipso non satis definita posteriores sua quisque ratione interpretati sunt. Id etiam ostendit Theophrastus apud Bessarionem [47], qui Xenophanis principium dicit « aliquo quidem modo neque infinitum » neque finitum, alio vero modo finitum, tum etiam » conglobatum. » Ab hac opinionis inconstantia ut Xenophanem liberarent, sententiam ejus ad certam rationem revocare studuerunt; inde omnis illa dissensio orta est [48]. Simplicius ipse, qui ejus sententiam e Theophrasto perspicue cognovit planeque explicuit, interpretandi tamen studio deceptus videtur, quum incertum illud *μήτε ἄπειρον μήτε πεπερασμένον* definire studens, idem quodammodo faciat quod *τὸ πεπερασμένον* [49].

Intelligitur quam sedulo caveri oporteat hunc errorem, quo plurima veterum placita ab interpretibus

(45) Vid. supra p. 108. Origenes Philos. cap. 14. Theodoret. Therap. IV. Galen. c. III. p. 24 F. quos infra citabo. cf. Davis. ad. Cicer. N. D. I, 11.

(46) Philopon. Phys. Litt. A, fol. 5, adv.

(47) Vid supra. p. 107 not.

(48) Cf. Cousin, p. 80 sq.

(49) Simplic. Phys. fol. 7 A, ubi Parmenidis eandem atque Xenophanis facit sententiam, (*ὡς*) *ἓν καὶ ἀκίνητον καὶ ἀγένητον καὶ πεπερασμένον ποιούντων τὸ πᾶν* cf. ejusdem verba quae statim § sq. afferam.

confusa et obscurata sunt; quod ut in singulis partibus apparuit, similiter ad totam pertinere Xenophanis philosophiam mox indicabimus; sed prius omne hoc argumentum paucis comprehendamus.

§ 9.

Propositum ergo Xenophani fuit de Deo quaerere, sive de vi illa quam esse et quam excellere omnibus atque dominari statuit. Et esse quidem hanc naturam simpliciter postulat nulla usus argumentatione: esse enim, quoniam eo excepto nihil habetur omnino; dominari autem, quoniam haec vis est divini numinis. Ex his autem duobus omnis ejus de Deo argumentatio apta est: si enim est, ingenitus idem et aeternus sit necesse est; si dominatur, unum omnino esse Deum oportet, non multos; si unus est, omni ex parte eundem esse suique similem. Haec de Deo censuit; caetera autem quae praedicari solent, tum infinitum et inmobile, tum terminatum et mobile, ea aut non esse aut multa dixit; ergo a divina natura abjudicavit. Tota haec ratio breviter ita possit describi:

(τὰ ἐναντία)	ὁ Θεός		(τὰ ἐναντία)
μὴ ὄν.	ἔςι	κράτιςος	πλείω.
	ἀγένητος	εἷς	
	ἀθάνατος	ὁμοῖος πάντῃ	
	ἀΐδιος.	σφαιροειδής.	
ἄπειρον			πεπερασμένον
ἀκίνητον.			κινούμενον.

Cernimus in his initia ejus rationis, quae a veteribus eximie Philosophia item Metaphysica appellata

est, cujus proprium est, ut Aristoteles dicit [50], indagare τὸ ὂν ᾗ ὄν, καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ ᾗ ὄν. Sed animadvertendum, Xenophanem non τὸ ὂν ipsum per se indagasse, sed retulisse hoc ad divinam naturam, quam menti objectam intuens esse omnino praedicavit; qui vero post eum hanc rationem persecuti sunt, Dei notione relicta, ipsum τὸ ὂν considerarunt. In hac autem inquisitione cum omnia, (verbis utor Aristotelis) reducantur εἰς τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὄν, καὶ εἰς ἓν καὶ πλῆθος, et haec quamquam opposita et distincta, natura tamen connexa inter se et colligata sint, Xenophanes id quod unum est mente tenens, quaecumque ab hac simplici Dei natura essent diversa rejecit, contraria omnia sustulit. Hanc ejus rationem Simplicius sic interpretatur [51]: Ὁ μὲν Ξενοφάνης (τὸ ὂν) ὡς πάντων αἴτιον καὶ πάντων ὑπερανέχον καὶ κινήσεως αὐτὸ καὶ ἠρεμίας καὶ πάσης ἀντιστοιχίας ἐπέκεινα τίθησιν, ὥσπερ καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῇ πρώτῃ ὑποθέσει τοῦ Παρμενίδου. *Xenophanes essentiam ut caussam omnium prae omnibus excellentem supra motum et quietem et omnia contraria hujusmodi genera extollit atque in superiore loco collocat, ut in primo Parmenidis argumento Plato.* At Platonis disputationem legentibus apparebit magnum esse inter utrumque discrimen, atque id ab illo argumentando probari, unum esse si per se ponatur ab omni diverso atque contrario disjunctum, de eo nihil posse praedicari, neque ὅλον neque ὅμοιον neque ἴσον, ipsumque nulla forma posse comprehendi, denique hujusmodi illud esse ut non magis εἶναι quam μὴ εἶναι videatur [52]. Idem

(50) Metaph. III, § 2, p. 665 sq.
(51) Simplic. Phys. fol. 7 A.
(52) Platon. Parm. p. 137 C — p. 142 B.

in toto hoc dialogo Eleaticorum argumenta premens, disputando arguit, haec genera τὸ ὂν et τὸ μὴ ὄν, τὸ ἓν et τὰ πολλὰ, quamquam ratione discernantur, ita tamen inter se cohaerere ut aliud absque alio mente comprehendi nequeat, et multa esse ipsis inter se communia [53]. Similia Xenophani Aristoteles objicit, praecipue vero hoc urget, quod (ut modo dixi) idem πεπερασμένον, *finibus terminatum*, esse negat, et σφαιροειδὲς praedicat : quae ambo sibi repugnare, si quidem id quod infinitum est nulla forma possit comprehendi [54]. Ex his intelligimus, Xenophanes licet penitus rerum naturam veritatemque indagaret, quantum tamen abesset ab illa disserendi ἀκριβείᾳ, quae sola ad interiora philosophiae penetralia dux est. Inchoavit tantum; nihil amplius : neque ergo mirandum, ipsum sibi in philosophando non plane constitisse, atque interdum adeo de cognitionis veritate dubitasse [55].

Quod autem supra vidimus, Xenophanis quaedam

(53) Eadem ratione in Sophista disserit, praesertim p. 253 D, p. 259 A.

(54) Aristoteles de Xenoph. cap. IV, p. 943 D E. cujus verba levi emendatione sic corrigenda videntur : ἔτι τοιοῦτος ὢν (πάντῃ ὅμοιος) διὰ τί σφαιροειδὴς ἂν εἴη, ἀλλ᾽ οὐχ ἑτέραν τινὰ μᾶλλον ἔχων ἰδέαν λέγοιτο, ὅτι πάντῃ ἀκούει καὶ πάντῃ κρατεῖ; . . . . . . ἔτι μήτε ἄπειρον εἶναι μήτε πεπεράνθαι, σῶμά γε ὂν καὶ ἔχον μέγεθος, πῶς οἷόν τε; εἴπερ τοῦτ᾽ ἔστιν ἄπειρον, ὃ ἂν μὴ ἔχοι πέρας, δεκτικὸν ὂν πέρατος· πέρας δ᾽ ἐν μεγέθει καὶ πλήθει ἐγγίγνεται καὶ ἐν ἅπαντι τῷ ποσῷ· ὥστε ἂν μὴ ἔχῃ πέρας, μέγεθος ὅσον ἄπειρόν ἐστιν. ἔτι δὲ σφαιροειδῆ ὄντα ἀνάγκη πέρας ἔχειν· ἔσχατα γὰρ ἔχει, εἴπερ μέσον ἔχει, τὰ αὐτοῦ πλεῖστον ἀπέχοντα· μέσον δ᾽ ἔχει σφαιροειδὲς ὄν· τοῦτο γάρ ἐστι σφαιροειδὲς, ὃ ἐκ τοῦ μέσου ὁμοίως πρὸς τὰ ἔσχατα ἢ πέρατα σῶμα ἔχει. Cf. Fülleborn. in lib. de X. Z. et G. Brandis Comment. Eleat. p. 80.

(55) De hoc agemus infra sub finem disputationis.

placita cum Pythagoricis esse conjuncta, id etiam universe explicandum est, quo facilius, utrisque inter se comparatis, quae propria illius fuerit ratio et quam vim in Graecorum philosophia habuerit, perspiciatur. Ut Eleatici rerum veritatem indagantes unum esse statuerunt, sic Pythagoreis placuit rerum principia generatim unum esse et multa, sive, ut cum Platone dicam [56], ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων. Totam naturam animo contemplati in duo genera distribuerunt diversa inter se et contraria, veluti quae modo memoravimus τὸ πέρας et τὸ ἄπειρον, eaque una quadam vi ita esse constricta et consociata, ut pulcerrimus inde exstiteret rerum ordo et totius naturae concentus, qui ideo a Pythagora κόσμου nomine celebratus est.

Illa autem vis sive unum illud quale intelligendum sit, varie est a veteribus expositum. Antiquiores Pythagorei, in contrariis generibus indagandis maxime intenti, parum subtiliter definiisse videntur, utrum unum hoc intelligerent alterum rerum elementum (tanquam περαῖνον oppositum τὸ ἀπείρῳ), an vero superiorem vim quandam, quae diversa contineret jungeretque contraria. Sed utramque naturam veteriores illi parum distinxisse videntur, et ut physicorum plerique ante Anaxagoram caussam moventem cum ipsa rerum materie confuderunt, similiter illi quoque τὸ ἓν idem et summum fecisse videntur naturae principium, et ad alterum retulisse rerum genus quod tanquam πέρας τῷ ἀπείρῳ esset oppositum [57]. His vero

(56) Phileb. p. 16 C.

(57) Longum foret haec veterum testimoniis explicare; consulatur autem Ritter Gesch. d. Pythag. Philos. praecipue p. 114 sqq. et quos hic laudat auctores.

cum repugnare videretur id quod Xenophanes statuit, unum esse ab omni contrario disjunctum et alienum, facile orta est quorundam opinio, quam modo memoravi, illum τῷ Πυθαγόρᾳ ἀντιδοξάσαι [58]. Quae autem primi Pythagoreorum confudissent, ea distincte explicuerunt posteriores, praesertim Philolaus et post eum Archytas qui docuerunt, universum mundum constare e diversis generibus, altero infinito, altero terminato, mundi autem principem et auctorem esse Deum, qui unus contraria illa conjungeret. Eandem rationem in Philebo secutus Plato praeclare ad hominum mores, ad bonum malumque retulit. Cujus sententiam breviter his Procli verbis referam [59]: Λέγει τοίνυν ὁ ἐν Φιλήβῳ Σωκράτης, ὡς ἄρα θεὸς πέρατός ἐστι καὶ ἀπειρίας ὑποστάτης καὶ διὰ τούτων ἅπαντα τὰ ὄντα μιγνὺς παρήγαγε, κατὰ τὸν Φιλόλαον ἐκ περαινόντων καὶ ἀπείρων τῆς τῶν ὄντων φύσεως συμπεπλεγμένης. Similiter in libris de legibus, quum totius mundi caussam et originem indagat, caetera quidem omnia dicit vel quiescere natura vel moveri, unam vero esse caussam quae contineat illa et gubernet [60]. Hunc illi dixerunt θεὸν atque νοῦν, quem Philolaus ita describit [61]: ἐντὶ γάρ φησιν ὁ ἀγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντων θεὸς, εἷς ἀεὶ ὢν, μόνιμος, ἀκίνατος, αὐτὸς αὑτῷ ὅμοιος, ἄτερος τῶν ἄλλων. Haec cum Xenophanis placitis comparata quamquam ma-

(58) Diogenes L. IX, 18.

(59) Proclus Plat. Theol. III, 7. p. 132. Philolai doctrinam explicat Boeckh. in Philolao II, 1. et 2. p. 45 sqq. Archytae fragm. est apud Stobaeum Eclogg. I, 43. p. 710 sqq. ed. Heeren. Cf. classicus locus apud Philoponum in Phys. III, 4. litt. K. p. 11. Platonis sententiam exposuit Stalbaum Prolegg. ad Phileb. p. LVII sqq.

(60) Legg. X, c. 6-8, p. 893 — p. 898.

(61) Apud Philon. de M. Opif. in Boeckh. Philol. p. 151.

turioris ingenii et eruditioris doctrinae studium referunt, agnoscimus tamen in iis Eleaticae philosophiae semina, agnoscimus unum illud et summum omnium rerum principium: tantum praecipue interest, quod Eleatici, in unam hanc naturam mentis acie intenti, praeter eam esse nihil censuerunt; illi autem cum divinis humana conjungentes, ambo quaerendi studio et ratione amplexi sunt.

§ 10.

Priusquam vero absoluta habeatur haec disputatio, aliorum quoque veterum de Xenophane testimonia et judicia exponenda sunt. Plerique tam diverse tradiderunt et admiscendis alienis opinionibus ita corruperunt ejus placita, ut prorsus tanquam marinum quendam Glaucum sic illius formam obscuraverint. Quod a primis inde temporibus, quae Xenophanis aetati proxima fuere, repetendum. Supra jam vidimus Eleaticum illum hospitem apud Platonem Xenophanis sententiam referre ad communem illam Eleaticae disciplinae formulam, ἓν πάντα; cujus placiti haec praecipue vis est: Quaecumque mundo rerumque universitate contineantur, ea omnia esse praedicantur: ergo ipsum illud esse sive essentia per universam rerum naturam intenta sola constans est; singulae vero res, si ab hoc uno discedas, nihil habent constans aut stabile, non sunt, sed videntur tantum. Hoc placitum, cujus auctor praesertim Parmenides fuit, in Eleatica disciplina dominatum est; hinc ad ipsum hujus scholae auctorem vulgo coepit referri: immerito: namque et scriptorum testimonia docent et ratio probat, Xenophanem τὸ ὂν non ipsum per

se posuisse, sed conjunxisse cum Dei notione, in qua totam mentem habebat infixam : τὸ ἓν εἶναί φησι τὸν θεὸν, ut ait Aristoteles; idemque e Theophrasto affirmat Simplicius : τὸ ἓν τοῦτο καὶ πᾶν τὸν Θεὸν ἔλεγεν ὁ Ξενοφάνης [62] : cum quibus plerique consentiunt.

Ista autem sententia variae locum dedit interpretationi. Fuerunt qui illud ἓν πάντα sic intelligerent: totius rerum universitatis unam esse materiem sive στοιχεῖον, omni naturae subjectam (ὑποκείμενον), eumque Deum esse. Nonnullorum quidem haec sententia fuit philosophorum, in primis Jonicorum, qui rerum naturam perscrutati ad unum elementum cuncta reducere studebant, veluti Thales omnium principium aquam posuit; quos plures secuti sunt, qui in rebus corporeis haerentes omniaque, ut Plato dicit [63], de coelo in terram devocantes contendebant, τοῦτο εἶναι μόνον ὃ παρέχει προσβολὴν καὶ ἐπαφήν τινα, ταὐτὸν σῶμα καὶ οὐσίαν ὁριζόμενοι, h. e. nihil esse, nisi quod manibus tractare et oculis intueri possent. Eleatici quamvis ab hac opinione longissime essent remoti, et contra potius terrena omnia et concreta contemnentes, unum illud quod simplex et aeternum esset mente anquirerent, fuerunt tamen qui illorum τὸ ὂν corpoream intelligerent naturam. Hujus interpretationis auctor in primis habendus videtur Aristoteles, qui antiquorum generatim tam Jonicorum quam Italicorum unam philosophiae regulam statuens, quaerendi principium idem plerisque facit τὸ τῆς ὕλης εἶδος : hoc summum esse a quo omnia repetere et quo referre omnia

(62) Laudati supra p. 95, 105, 107. Galenus Hist. Phil. c. III. p. 24 F. εἶναι πάντα ἕν, καὶ τοῦτο ὑπάρχειν Θεὸν, πεπερασμένον, λογικὸν, ἀμετάβλητον.

(63) Sophist. p. 246 A.

solerent [64]; et quaerens, cur multi illorum, in quibus etiam Parmenides et Xenophanes, de veritatis agnitione dubitassent, hanc rationem affert : *αἴτιον δὲ τῆς δόξης τούτοις, ὅτι περὶ τῶν ὄντων μὲν τὴν ἀλήθειαν ἐσκοποῦν, τὰ δὲ ὄντα ὑπέλαβον εἶναι τὰ αἰσθητὰ μόνον· ἐν δὲ τούτοις πολλὴ ἡ τοῦ ἀορίστου φύσις ἐνυπάρχει* [65]. Ille igitur Eleaticorum et Xenophanis principium corpoream interpretatur naturam; hanc autem naturam qualem intelligat explicandum est. Non intellexit sane crassum illud et concretum corporum genus quae sensibus usurpantur, sed aliud quoddam puriore et praestantiore natura : censuit enim, (ut ipsius verbis utar), *ὅτι πέφυκέ τις οὐσία σώματος ἄλλη παρὰ τὰς ἐνταῦθα συστάσεις, θειότερα καὶ πρότερα τούτων πάντων.* Hoc genus statuit omnis corporeae naturae principium atque exemplum, idque praedicat *ἀΐδιον καὶ οὔτε αὔξησιν ἔχον οὔτε φθίσιν, ἀλλ' ἀγήρατον καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἀπαθές*; eidem praestantissimum quoque motum et figuram tribuit, quum et in orbem moveri et sphaerae instar conglobatum esse dicit; denique hoc corpus esse omnis naturae praestantissimum, eoque ultimum coeli orbem contineri [66].

Talem igitur universitatis naturam quum mente informasset, ad eandem formam (ut plerumque facit) etiam antiquiorum placita de mundo et rebus divinis Aristoteles retulit. Sic in metaphysicis, ubi ostendit unum esse mundum pluribus globis connexum, in eandem sententiam priscorum fabulas in-

(64) Aristot. Metaph. I, 3. p. 645 sq.

(65) Id. Metaph. III, 5. p. 672 A.

(66) Aristot. de Coelo, passim : loca citata reperiuntur L. I, c. 2, p. 338 F. c. 3, p. 339 H. c. 9, p. 348, A, G.

terpretatur [67] : παραδέδοται δὲ, inquit, ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καὶ παλαιῶν ἐν μύθου σχήματι καταλελειμμένα τοῖς ὕστερον, ὅτι θεοί τέ εἰσιν οὗτοι καὶ περιέχει τὸ θεῖον τὴν ὅλην φύσιν. Eodem modo intelligendum, quod *Deum* a Xenophane *universum coelum* sive *mundum* appellatum dicit; in quam sententiam eo maxime inductus videtur, quod Deum Xenophanes praedicaverat σφαιροειδῆ, quam figuram mundo tribuit Aristoteles. In quo falsum esse quis non videt, quod in veterum sententiis explicandis ille omnia ad suae rationis normam revocat? Quomodo vero hujus ratio congruere potuit veterum illorum placitis, qui in philosophando nec generum distributionem nec formarum definitiones, quibus ille naturam omnem descripsit, cognoverant? Sic, ut unum afferam, quod Aristoteles de corporea illa natura praedicat, τὸ ἁπλοῦν σῶμα tribus his terminis definiri, initio, medio, extremo, hoc a Xenophanis Deo prorsus alienum est. Itaque merito videtur haec interpretatio refutata a Simplicio, ut in Parmenide notabimus.

Aristotelis autem judicium plerique posteriores, qui Xenophanis sententiam retulerunt, secuti videntur ita, ut pro suo quisque arbitrio explicarent varie et interpolarent. Cicero ita tradit [68] : « Xenophanes unum esse omnia (dixit), neque id esse mutabile, et id esse Deum, neque natum umquam et sempiternum, conglobata figura. » Idem alio loco sic, ut ante memoravimus [69] : « Xenophanes, mente

(67) Metaph. XII, 8. p. 744 E. Miror eruditissimum Bode de Orpheo, p. 164, (Gotting. 1824.) arbitratum esse, Aristotelem his verbis mysticos antiquissimae religionis Deos significare; totum enim locum legenti apparebit, eum ad vulgares spectare poëtarum fabulas, quibus praeclariorem hanc sententiam subesse dicit, fictionum tegumentis involutam.

(68) Qu. Acad. II, cap. 37.

(69) De Nat. Deor. I, cap. 11.

adjuncta, omne praeterea, quod esset infinitum, Deum voluit esse » : loquitur haec Vellejus, in referendis veterum sententiis parum diligens : quod *infinitum* dicit, supra jam improbavimus; quod autem *omne* discernit a *mente*, quam *adjunctam* facit, id a Xenophane alienum est, qui naturam quidem intelligentem voluit esse, non autem ipsam per se intelligentiam s. mentem consideravit. In quo similiter peccavit atque in Thaletis sententia, quam ita refert : « Thales aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam mentem quae ex aqua cuncta fingeret. » Quamquam certum est Thaletem *rerum initium* a *Deo* non distinxisse [70].

Eodem sensu Xenophanis Deum intellexisse videtur Timo Phliasius, Ptolemaei Philadelphi aequalis, cujus verba supra § 7 attulimus, quum dicat : εἰς ἓν ταὐτό τε πᾶν ἀνελύετο; *unum* intelligit naturae initium sive τὸ στοιχεῖον in quod *omnia resolvuntur*. Hujus versus laudans Sextus Empiricus, Eleatici sententiam ita exponit [71] : ἐδογμάτιζε δὲ ὁ Ξενοφάνης παρὰ τὰς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων προλήψεις, ἓν εἶναι τὸ πᾶν, καὶ τὸν Θεὸν συμφυῆ τοῖς πᾶσι· εἶναι δὲ σφαιροειδῆ καὶ ἀπαθῆ καὶ ἀμετάβλητον καὶ λογικόν. Pleraque haec Xenophanis sententiae congrua, praeter unum, ἓν τὸ πᾶν καὶ Θεὸν συμφυῆ τοῖς πᾶσι; quod ille non magis dixisse quam sensisse videtur. Deum enim quamvis totius mundi principem et rectorem faceret, segregavit tamen ab omni naturae concretione. Stoicorum vero hoc fuit placitum, qui cum totum mundum animatum dicerent, Deum voluerunt esse naturam eam quae omnes mundi partes tranaret,

(70) Ibid. cap. 10. cf. haec illustrantem Boeckh. Studiën von Daub u. Creuzer. (a. 1807.) n. 1, p. 3.

(71) Pyrrhon. Hypot. I, s. 225. cf. ibid. III, s. 218 : Ξενοφάνης δὲ (Θεὸν εἶπε) σφαῖραν ἀπαθῆ.

cunctaque vi sua aleret et sustentaret[72]. Ex horum ratione ducta videtur illa explicatio, quae nihil aliud est quam interpretatio ejus quod apud Aristotelem vidimus, Xenophanem *unum* dixisse *Deum*, eoque *universum mundum* significasse. Itaque seriores scriptores alii, ut Origenes et Theodoretus, simpliciter τὸ πᾶν, alii, ut Plutarchus et Stobaeus, τὸν κόσμον memorant[73], quam Stoici praesertim appellabant rerum universitatem tam divina quam humana complectentem, σύϛημα ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων καὶ τῶν ἕνεκα τούτων γεγονότων [74].

(72) Cicero in libro II de Nat. Deor. passim.

(73) Ipsius Plutarchi locum e Stromatis laudavimus supra p. 111. Stobaeus Eclogg. I, c. 21, Part. I, Tom. I, p. 416 ed. Heer. sic refert: Xenophani, Parmenidi, Melisso commune fuisse placitum, ἀγέννητον εἶναι, ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον τὸν κόσμον. Plutarch. de plac. Phil. II, 4, de uno Xenophane: Ξ. ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον τὸν κόσμον. Cf. Chalcid. in Tim. sect. 279. p. 382. ed. Fabr. Origenes Philos. cap. XIV: λέγει δὲ, ὅτι οὐδὲν γίνεται οὐδὲ φθείρεται οὐδὲ κινεῖται· καὶ ὅτι ἓν τὸ πᾶν ἐϛιν ἔξω μεταβολῆς· φησὶ δὲ καὶ τὸν θεὸν εἶναι ἀΐδιον καὶ ἕνα καὶ ὅμοιον πάντῃ καὶ πεπερασμένον καὶ σφαιροειδῆ καὶ πᾶσι τοῖς μορίοις αἰσθητικόν. Haec parum distincte; nam postquam dixit ἓν τὸ πᾶν, subjicit idem καὶ τὸν θεὸν, quae sane inter se pugnant: quasi Xenophanes et unum esse omnia dixerit, et praeter unum illud Deum quoque esse. Nisi fortasse sic corrigendum sit, ἓν τὸ πᾶν — φησὶ δὲ τοῦτο θεὸν-εἶναι. Theodoretus Θεραπευτ. Serm. IV, princ. p. 57 Sylb. Ξενοφάνης μὲν οὖν ὁ Ὀρθομένους ὁ Κολοφώνιος, ὁ τῆς Ἐλεατικῆς αἱρέσεως ἡγησάμενος, ἓν εἶναι τὸ πᾶν ἔφησε σφαιροειδὲς καὶ πεπερασμένον, οὐ γεννητὸν ἀλλ' ἀΐδιον καὶ πάμπαν ἀκίνητον. His apponam judicium Clar. Cousin l. l. p. 76. « Faute de bien » entendre les passages d'Aristote, et attribuant à Xénophane » une opinion exclusive pour le comprendre plus aisément, — » des écrivains postérieurs, dépourvus de toute critique, ont fait » dire du *monde* et du *tout* à Xénophane ce qu'Aristote et Simplicius lui font dire de *Dieu* et de l'*Unité*. »

(74) Diog. Laërt. VII, sect. 138.

Haec autem interpretatio alium quoque errorem peperit. Nam si unum modo statuitur naturae initium sive ϛαχεῖον, nulla vi adjuncta, intelligitur, id quod jam olim Hippocrates ostendit [75], nullum esse motui neque mutationi locum. Itaque cum Xenophanis decretum ad omnem naturam referri putarent, orta est pervulgata illa interpretum opinio, eum rerum mutationem et ortum et interitum omnem omnino sustulisse, mundumque statuisse inmobilem et sempiternum. Quasi ex iis quae de divina absoluteque perfecta natura ille praedicavit, similiter de mundo rebusque humanis eum censuisse, effici liceat? Potius ex eo, quod Deum esse, ideoque aeternum statuit, colligi potest eum humana omnia, ut quae nata sint, caduca fecisse et mortalia; idque ab eo probatum esse tradit Diogenes Laërtius [76]: *πρῶτος τ' ἀπεφήνατο, ὅτι πᾶν τὸ γιγνόμενον φθαρτόν ἐϛι.* Hoc tamen quamquam Xenophanis menti congruum sit, num diserte expliciteque ab ipso sit demonstratum, unius Diogenis auctoritate affirmare non ausim: siquidem ille in divinam naturam mente defixus, res humanas eaque omnia quae sensibus percipiuntur ratione comprehendisse non videtur: inchoata enim et imperfecta fuerunt prima philosophiae studia; una aliqua parte diligentius explicita, cetera aut neglecta

(75) Hippocrates hoc placitum refellit de Nat. Hom. I, s. 9. sqq. t. III, p. 105, ubi cf. Galen. Eundem testem laudat Proclus in Timaeum L. III, p. 147, ed. Basil. *εἰ τοίνυν δεῖ γένεσιν εἶναι, δεῖ μὴ ἓν εἶναι τὸ ϛοιχεῖον· ὥσπερ γὰρ φησὶν Ἱπποκράτης, εἰ ἓν ἦν ϛοιχεῖον, οὐκ ἂν τὰ πράγματα μετέβαλλεν· οὐ γὰρ ἐϛὶν εἰς τὸ ὅμοιον ἡ μεταβολὴ καὶ ἡ κίνησις, ἀλλ' εἰς τὸ ἐναντίον.*

(76) L. IX, sect. 19. Hesych. Mil. l. l. cf. Cousin p. 64 sq. Ritter Gesch. d. Philos. T. I, p. 447.

aut leviter tantum tractata sunt: itaque Xenophanes ut de Deo studiose philosophatus est, ita in rerum natura praedicanda vulgarem fere secutus est poëtarum opinionem, ut infra videbimus. Nunc alia adhuc exponenda est de Xenophanis Deo sententia.

Diogenes, qui illius placita nullo ordine et confuse refert, ita eum sensisse ait [77]: οὐσίαν θεῦ σφαιροειδῆ, μηδὲν ὅμοιον ἔχουσαν ἀνθρώπῳ· ὅλον δὲ (τὸν θεὸν) ὁρᾶν καὶ ὅλον ἀκούειν, μὴ μέντοι ἀναπνεῖν· σύμπαντά τε εἶναι νῦν καὶ φρόνησιν, καὶ ἀΐδιον. Haec partim concinunt cum iis quae ab aliis relata vidimus; etiam hoc, quod *Deum spirare* negat, potest a Xenophane profectum videri, quo significaret, Deo nihil esse commune cum animantium natura, quae spiritu potissimum contineatur. Haec enim opinio non tantum vulgo sed a nonnullis etiam philosophis erat celebrata, praesertim ab Anaximene qui rerum omnium principium idque divinum aërem esse censuit, mundumque omnem spiritu contineri. Quam opinionem a Xenophane improbatam esse, consentaneum est [78]. Quod autem adjungit Deum totum esse νῦν καὶ φρόνησιν, hoc quamvis antiquiorum auctoritate retulerit [79], tamen parum

(77) Ibid. Diogenis testimonium, ut plerumque, exscripsit Hesych. Miles. p. 31, ed. Meurs.

(78) Plutarch. Plac. phil. I, 3. sect. 7, cf. Ritter l. l. p. 453.

(79) Cicero, quem modo laudavimus, *mentem* adjunctam facit. Bessarion (qui utrum ex' Theophrasto tantum hauserit an alia admiscuerit non constat) dicit: « mentem etiam universum hoc idem esse adfirmavit. » Vid supra p. 107. Tzetzes Chiliad. VII, 519 sqq. ed. Kiesling. obscurius:

Νοῦν ἐπὶ θείας φύσεως κυρίως φαμὲν μόνον,
ἐπὶ θεοῦ ἀγγέλων τε καὶ τῶν ὁμοιοτρόπων,
ὡς Ξενοφάνης ἔγραψε τοῦτο καὶ Παρμενίδης.

recte ei tributum videtur. Namque si ita plane statuisset, quî potuissent veteres tam varie ejus sententiam interpretari? Nimirum intelligere quidem Deum et sapere dixit; non autem ipsam mentem esse eaque vi divinam naturam omnino contineri.. Ita tamen Diogenes aliique videntur intellexisse, atque huic sententiae congruum est illud quod idem deinceps refert: ἔφη δὲ καὶ τὰ πολλὰ ἥττω νοῦ εἶναι [80]. Haec verba legens de Platone potius quam de Xenophane agi putes: nam congruunt fere cum his, quae ille in Timaeo dicit: μεμιγμένη ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννήθη· νοῦ δὲ ἀνάγκης ἄρχοντος τῷ πείθειν αὐτὴν τῶν γιγνομένων τὰ πλεῖστα ἐπὶ τὸ βέλτιστον ἄγειν, ταύτῃ κατὰ ταῦτά τε δι' (δι' del. videtur) ἀνάγκης ἡττωμένης ὑπὸ πειθοῦς ἐμφρονος οὕτω κατ' ἀρχὰς ξυνίστατο τόδε τὸ πᾶν [81]. Sic Plato: Xenophani autem hoc placitum affinxisse videntur ex illo quod supra memoravimus argumento, Deum, si esset omnium praestantissimus, unum esse oportere, non multos. Itaque si apud Diogenem legeretur, τὰ πολλὰ ἥττω τοῦ ἑνὸς εἶναι, posset omnino probari; nunc

Hinc Fabricius ad Sextum Emp. p. 59, censet, « Xenophanem Deum dixisse mentem aeternam, unam et inmutabilem, rationeque ac sensu pollentem, caet. » At Xenophanes de Deo tantummodo praedicasse videtur, ut Simplicius dicit, πάντα νοεῖν αὐτὸν, unde Sextus Empiricus et Galenus λογικὸν appellant Xenophanis Deum; verumtamen τὸν νοῦν a sensuum perceptione non fecit distinctam. cf. Ritter p. 453.

(80) Diogen. l. l. Non possum probare Brandisii interpretationem in Comment. p. 57, quam infra etiam tangemus. Ab eo discedit quoque Ritter p. 453.

(81) Plato Tim. p. 48 A. Eandem fere Xenophanis mentem fuisse censet Cousin p. 83. cum Casaubono ad Diogen. Laërt. cf. Bayle Diction. *Xenoph.* not. D.

autem pro Deo subjecit τὸν νοῦν, eique adeo tribuit notionem ab ipsius mente alienam. Namque (ut veterum testimoniis constat) primus hanc nominis notationem usurpavit Anaxagoras, quum caussam, quae omnia moveret, *mentem* appellaret: ὅσα γε ψυχὴν ἔχει καὶ μείζω καὶ ἐλάττω, πάντων νοῦς κρατεῖ [82]. Ab hoc igitur tanquam capite profecta haec sententia est. Iste autem error natus est ex sequentium philosophorum doctrina, qui diversa superiorum placita cogitatione complexi, quod statuerent esse rerum principium, idem et *unum* et *mentem* praedicarunt, ambasque illas notiones ut connexas inter se et cognatas una conjunxerunt. Sic Plato praesertim multis locis disserit, quod unum pleneque esse (τὸ ἕν, τὸ παντελῶς ὄν) dicatur, non posse illud a mente segregari, sed hunc Deum esse omnis naturae caussam et rectorem [83].

Ad eandem ergo rationem Eleaticorum et antiquiorum etiam dicta et placita conformarunt interpretes, praesertim Neo-Platonici, uti Proclus Orphei illo dicto, ἓν ἐγένετο, significari ait τὴν ὁλότητα τοῦ δημιουργικοῦ νοῦ. In quam interpretationem inducti sunt sphaerae illa imagine, quam ab antiquioribus desumtam deinde ad mentis vim exprimendam transtulerunt; ita Plato de Legg. L. X, p. 898, A: λέγοντες νοῦν τήν τε ἐν ἑνὶ φερομένην κίνησιν σφαίρας ἐντόρνου ἀπεικασμένα φοραῖς, οὐκ ἄν ποτε φανεῖμεν φαῦλοι δημιουργοὶ λόγῳ καλῶν εἰκόνων. Eadem comparatione Plotinus [84] utitur,

(82) Anaxagorae verba apud Simplic. Phys. fol. 33, B.

(83) Sophist. p. 248, E. Phileb. p. 28. sqq. ad q. l. cf. Stalbaum in Philebi edit. p. 76 sq.

(84) Ennead. VI, 7, 15. p. 708 D. Jo. Grammaticus in Meteor. I, fol. 78 B. (ad calcem Olympiod. in Meteor. Venet. 1551.) διὰ

νοῦν similem perhibens σφαίρᾳ ζώσῃ ποικίλῃ; quae notio quum apud plerosque invaluisset, idem quoque priscos philosophos et vates hac imagine intellexisse et significasse crediderunt: quod imprimis Proclo placuit [85]. Sic veteribus tribuerunt sententiam quae nec ingenio nec doctrinae eorum congrueret.

Recentiores Aristotelem plerique interpretem secuti existimarunt illum, quum τὸ ἓν diceret Deum, ad mundum (τὸν οὐρανὸν) respexisse, et intellexisse quasi animam (quam substantiam appellant) per universum diffusam, essentiam rerum omnium materiem omnisque naturae fundamentum: hunc Deum appellasse, quem totum cernere, totum audire, totum cogitare dixerit [86]. Hinc multi Xenophanis rationem pantheismi nomine designarunt. Sed quum satis probatum nobis videatur, illum τὸ ὂν ad Deum modo retulisse, de mundo non cogitasse, ista opinio corruit [87]. Etiam Xenophanis rationem cum Spinozae doctrina compararunt [88]. De cujus sententia ut omittam

τί δὲ κύκλῳ κινεῖται (ὁ οὐρανὸς); φησὶν ὁ Πλωτῖνος· ὅτι νοῦν μιμεῖται· ὡς γὰρ ὁ θεῖος νοῦς καὶ δημιουργικὸς εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρεφόμενος θεωρεῖ πάντα καὶ ἑαυτὸν ἐν ἐκείνοις, οὕτω κατὰ τὸ δυνατόν φησι μιμούμενα τοῦτον τὰ κατ' οὐρανὸν, εἰς ἑαυτὰ τὴν ἐπιστροφὴν ποιεῖται. Plotini sententia expressa e Platonis Timaeo, supra p. 120 laudato.

(85) Procl. in Plat. Theol. IV, c. 38, p. 239.

(86) Bayle Diction. *Xenoph.* not. B; hunc multi secuti sunt, contra quos jam Moshemius ad Cuthworthi Syst. Int. IV, 20. p. 583, et Bruckerus Hist. Phil. t. I, p. 1149 disputarunt, sua uterque ratione; varie de hac quaestione disserit Brandis l. l. p. 20 sqq. Ritterus Gesch. d. Phil. t. I, p. 449 Aristotelem sequitur.

(87) Vid. uberius de hoc disserentem Cousin l. l. p. 75 sqq.

(88) In primis Bayle l. l. Diligentius de hoc quaerere instituit Fülleborn, Beytraege z. Gesch. d. Phil. T. I, Part. I.

quaerere, tamen teneamus, quantum inter utrumque interfuerit aetatum intervallum, tantum fere ingenii doctrinaeque fuisse discrimen. Xenophanes eam philosophiam, quam idealem appellant, inchoavit tantum: in divina natura essentiaque contemplanda unice intentus, nihil aut non nisi confuse docuit de vi divina, mente et cogitatione, nihil de naturae progressione et explicatione, nihil de rerum omnium ordine et vinculo quo divina humanaque contineantur : sic in Xenophane initia modo adspicimus ejus philosophiae, quam paullatim auctam et explicatam recentior aetas et majore doctrinae copia et maturiore ingenio et diligentiore disserendi ratione ad quandam disciplinae summam perducere studuit.

II.

PHYSICA.

§ 1.

Absoluta Xenophanis sententia de Deo, jam deinceps ad placita ejus de mundi origine et rerum natura veniamus. Haec autem priusquam ordiamur, praecipiendum videtur, ne in Xenophane exspectetur continuata quaedam disputatio, qua rerum omnium naturam et elementa ad summum illud principium tanquam fontem retulerit, rationesque explicuerit quibus humana cum divinis constringantur unaque vi omnia contineantur. Majus est hoc quiddam, quam a Xenophane ejusque aetate possit exspectari. Veteres illi quamquam multa praeclare sentiebant multaque diligenter perscrutabantur, tamen universae naturae vinculum caussarumque seriem vix mente suspicati sunt, nedum ratione explicuerunt. Eleatici praesertim in rebus divinis considerandis mentem a sensibus avocantes, quo altius de Deo cogitarunt, eo magis eum a rerum natura segregarunt et quasi e mundo sustulerunt : hinc multorum reprehensio quod et principium rerum sustulissent nec ullum reliquissent generationis locum. Ergo non mirum si physica eorum placita a metaphysicis plane fuerunt diversa : apud Xenophanem certe tantum est inter utraque discrimen ut, his confusis, omnis perturbetur ejus sententia, neque mirandum sit nonnullos, qui haec non discernerent, contraria plane et absurda eum statuisse arbitratos esse; veluti Theodore-

tus, in veteribus judicandis iniquior, postquam dixit Xenophanem principium fecisse unum et aeternum, subjungit : πάλιν δὲ τούτων ἐπιλαθόμενος ἐκ τῆς γῆς φῦναι ἅπαντα εἴρηκεν [1]. Haec merito ut ἀξύμφωνα reprehendit; quid enim absurdius quam aeternum statuere universum idemque e tellure natum dicere ? Non tamen vidit, istius culpae, quam in Xenophanem transfert, se esse auctorem et male interpretando mentem ejus plane obscurasse. Errorem istum jam Simplicius refellit, recteque docuit et Pythagoreos et Xenophanem, Parmenidem, aliosque τὰ φυσικὰ ἀπὸ τῶν ὑπὲρ φύσιν separasse, si non plane et distincte, at confuse tamen et tacite, quo multorum intelligentiam fugerent, τῇ ἀσαφείᾳ λανθάνοντες τοὺς πολλούς [2]. Itaque nemisceamus ea inter quae nulla sit rationis necessitudo, Xenophanis opinionem de rerum natura seorsim explicaturi sumus.

§ 2.

Rerum principia quaerentes unde naturae originem Xenophanes duxerit, in magnam statim offendimus

(1) Theodor. Therap. Serm. IV. Reliqua verba superius attuli not. 73.) Idem Serm. II, p. 22 dicit : Ξενοφάνης δὲ ὁ Κολοφώνιος τὸ πᾶν ἀΐδιον, ἐκ δὲ τῆς γῆς τὰ πάντα. In simili errore versabatur Wolfius ad Origen. Phil. not. 6 et 9.

(2) Simplic. in Phys. fol. 5 B. Ultima haec verba ad meam sententiam accommodavi; ipse enim aliter intellexisse videtur, si comparemus quae paullo ante dicit : Ξενοφάνης, — Παρμενίδης καὶ οἱ Πυθαγόρειοι τελειοτάτην μὲν περί τε τῶν φυσικῶν καὶ τῶν ὑπὲρ φύσιν ἀλλ' αἰνιγματώδη τὴν ἑαυτῶν φιλοσοφίαν παραδεδώκασι. Xenophanis philosophia, quantum et nobis et ipsi Simplicio innotuit, neque τελειοτάτη neque αἰνιγματώδης dici potest.

difficultatem, quod scriptorum, qui de eo prodiderunt, cum magna est inter ipsos dissensio tum etiam plerorumque parum probata auctoritas. Quos enim in tractanda quaestione de Deo secuti sumus auctores, Aristotelem, Theophrastum, Simplicium, hi omnes de naturae elementis nihil memorant; qui autem de his retulerunt ita inter se dissident, ut facile appareat, plerosque opinionis conjectura magis quam argumentorum auctoritate usos incerta et commentitia pro veris ratisque tradidisse.

Ac veterem quidem fuisse hanc interpretum disceptationem Sextus Empiricus docet, quum referat, alios contendere Xenophanem unum omnis naturae principium statuisse terram, alios duo ei elementa, terram et aquam, tribuere, quarum sententiarum utramque ipsius versibus firmari [3]. Posterior opinio Sexto ipsi probabilior visa, et sic Xenophani placuisse non semel sine cunctatione affirmat [4]; alii alteram opinionem laudarunt, solam terram esse rerum principium [5]. Unus Diogenes Laërtius pervulgatam illam plerorumque sententiam, quatuor esse naturae elementa, etiam in Xenophanem confert [6]. Harum opi-

(3) Adv. Mathem. X, 313 sq.

(4) Ibid. IX, 361. Pyrrhon. III, 30. Similiter Porphyrius, Eustathius, quos fragm. IX et X attulimus; Galenus Philos. p. 27 D; Epiphanius adv. Haeres. L. III, p. 1087 : Ξενοφάνης ὁ τοῦ Ὀρθομένου Κολοφώνιος ἐκ γῆς καὶ ὕδατος ἔφη τὰ πάντα γίνεσθαι.

(5) Plutarch. in Strom. apud Euseb. Praep. Eu. I, p. 23 : γίνεσθαι δὲ ἅπαντα ἐκ γῆς. Plutarch. plac. phil. Ξ. (γῆν λέγει) πρώτην, εἰς ἄπειρον ἐῤῥιζῶσθαι. Galen. XXI. Origenes l. l. τὰ δὲ πάντα εἶναι ἐκ γῆς. Theodoretus modo laudatus; Sabinus, cujus verba mox apponam; Stobaeus supra ad fragm. VIII.

(6) Diogenes L. IX, 19 : φησὶ δὲ τέτταρα εἶναι τῶν ὄντων στοιχεῖα. quae descripsit Hesychius Mil.

nionum quanta sit diversitas apparet; eadem est in tota omnino illa quaestione de veterum elementis discrepantia : cujus rei culpam non ipsis auctoribus tribuendam esse, sed posteriorum scriptorum inscitiae qui illorum dicta atque placita perversâ interpretatione confuderunt, explorandis horum testimoniis probabitur.

Primum quod Diogenes Laërtius refert, Xenophanem quatuor statuisse rerum elementa, placiti hujus auctorem Empedoclem fuisse Aristoteles [7] et plerique veteres testificantur. Unde tantum certe colligi potest, eadem principia licet dudum antea ab aliis essent memorata, Empedoclem tamen primum fuisse qui haec genera clarius discerneret aptaque eorum compositione et ordine mundum formaret. Quamquam Diogenes aliique studio quodam antiquitatis ducti hoc placitum multo superioribus, praesertim Pythagoreis, acceptum retulerunt [8], eo fortasse inducti, quod Empedocles Pythagoreae disciplinae aemulus est habitus; unde sane non mirum Xenophani, Italico philosopho, eandem a nonnullis tributam esse sententiam. Horum autem qualis fuerit interpretandi et judicandi ratio, ex Homeri interprete Eustathio intelligi potest, qui ad versum illum poëtae [9], πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε, annotat, hoc dictum a nonnullis sic explicari, ut *terrae* et *aquae* duo etiam reliqua elementa suggerenda censeant, pariter ut apud Hesiodum et Xenophanem : συνεπινοητέον τοῖς δυσὶ τούτοις στοιχείοις καὶ τὰ λοιπὰ δύο, καθὰ εὕρηται καὶ παρ᾽ Ἡσιόδῳ,

(7) Aristot. Metaph. I, 4. p. 647 A.

(8) Diogen. L. VIII, sect. 25. Chaldaeis tribuit Proclus in Timaeum p. 154. ed. Bas.

(9) Il. η, 99. Cf. supra fragm. IX.

ἐν ᾧς γαῖαν ὕδει φύρων Ἥφαιστος τὴν γυναῖκα πλάττει· οὕτω δὲ καὶ Ξενοφάνης που λέγεται εἰπεῖν·

πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα.

Isti in interpretando hanc sibi concedebant licentiam ut, si quae ipsis auctorum verbis prodita non essent, ea cogitatione supplerent. Quod si in poëtis fortasse liceat, at philosophorum placita hoc modo interpolari quis probet? Diogenis testimonium hoc argumento satis refutatum videtur; restant duo, quae exploranda sunt: quorum quamvis utrumque ipsius auctoris versibus nitatur, quis tamen credat hunc in philosophando tam diversa placita secutum esse? Hinc ergo colligi licet, vel horum versuum alterutrum falsum esse, vel talem fuisse Xenophanis sententiam, qua ambo illa placita explicari atque inter se conciliari possint. Utriusque igitur opinionis auctoritas examinanda est.

Primum opinionis ejus, qua *terra* et *aqua* Xenophani tribuuntur principia, si fontem indagamus, de eo quam parum perspectum et exploratum ipsis veteribus fuerit, patet ex iis quae doctissimi interpretes Jo. Philoponus et Simplicius in commentariis ad Aristotelis physica retulerunt. Hic enim cum dicat, physicorum plerosque contraria fecisse naturae principia, inter quos nonnullis τὸ ὑγρὸν καὶ ξηρὸν placuisse [10], isti quinam intelligendi essent multum quaesiverunt et disceptarunt interpretes: alii Parmenidem, alii Empedoclem significari putaverunt; Porphyrius Xenophanem intellexit, ut supra Jo. Philo-

(10) Aristot. Phys. I, 5. p. 258, E. cf. ad h. l. Simplicius fol. 41, A.

poni verbis memoravimus [11]. Cujus interpretatio licet multis probabilis visa sit, hic tamen, qui in referendis veterum dictis et placitis saepe parum diligens est, satis locuples testis haberi non potest, praesertim cum non omnino appareat qua auctoritate ejus testimonium nitatur. Si Theophrastum, Eudemum aut alium quendam veterum secutus esset auctores, id profecto Jo. Philoponum et Simplicium non fugisset. Aristotelis autem locus quam parum valeat ad confirmandum aut illustrandum hanc Xenophanis sententiam facile patet : nam primum ille non dicit veteres ita plane atque distincte statuisse, sed hoc potius demonstare studet, quaecunque illorum de naturae initiis fuerit sententia (ne iis quidem exceptis, qui unum modo ponerent principium), reapse tamen contraria fecisse, licet etiam ab ipsis non perspectum neque ratione explicitum esset. Deinde quo jure Aristotelis dictum ad Xenophanem potius referri oportet, cujus ille in explicandis physicorum placitis nullam habet rationem, quam ad multos alios quos nominatim memorare nihil opus erat, siquidem sententia illa qua τὸ ξηρὸν καὶ ὑγρὸν, tellus et mare, vel ut alii, tellus et aether omnis naturae haberentur principia, non singularis sed admodum pervagata atque ante Aristotelem etiam a poëtis in scena esset celebrata [12]. Haec igitur quam infirma sint ad Xenophanis placitum illud probandum satis intelligitur.

Quod ad alterum attinet, principium omnis naturae terram esse, idem sensisse Pherecydem [13] qui

(11) Vid. Fragm. X. Adde, quod idem placitum Anaxagorae tributum est ab Heraclide Allegor. p. 439 ed. Gal.

(12) Valckenaer, Diatr. Eurip. cap. V et VI.

(13) Sturzii Fragm. Pherecyd. p. 39 sqq.

multis annis Xenophane superior fuit, quidam retulerunt, quamquam immerito; de Xenophane autem praeter alios prodidit Sabinus sophista qui sub Hadriano Caesare vixit, memorans, ut aërem Anaximeni, Thaleti aquam, sic Xenophani terram habitum esse initium unde omnia omnino, ipsi etiam homines, exstitissent. At hujus testimonium refellit Galenus dicens, si Xenophanes ita statuisset, id a Theophrasto in physicorum placitis praeteritum certo non fuisse. Ipsius Galeni verba adscribam [14]: Κακῶς δὲ καὶ τῶν ἐξηγητῶν ἔνιοι κατεψεύσαντο Ξενοφάνους, ὥσπερ καὶ Σαβῖνος, ὡδί πως γράψας αὐτοῖς ὀνόμασιν· οὔτε γὰρ πάμπαν ἀέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον, ὥσπερ Ἀναξιμένης, οὔτε ὕδωρ, ὡς Θάλης, οὔτε γῆν, ὡς ἔν τινι Ξενοφάνης· οὐδαμόθεν γὰρ εὑρίσκεται ὁ Ξενοφάνης ἀποφηνάμενος οὕτως· ἀλλὰ καὶ ὁ Σαβῖνος αὐτὸς εὔδηλός ἐστιν ἐκ τῶν αὐτοῦ καταψευδόμενος οὐχ ὑπ' ἀγνοίας ἐσφαλμένος· ἢ πάντως ἂν ὀνόμασι προσέγραψε τὸ βιβλίον, ἐν ᾧ ταῦτα ἀπεφήνατο· νῦν δὲ οὕτως ἔγραψεν· οὔτε γῆν, ὡς ἔν τινι Ξενοφάνης. Καὶ Θεόφραστος δ' ἂν ἐν ταῖς τῶν φυσικῶν δόξων ἐπιτομαῖς τὴν Ξενοφάνους δόξαν, εἴπερ οὕτως εἶχεν, ἐγέγραφει. In his licet Sabinus facile excusandus sit, qui vel ab aliis hoc dictum acceperit vel in versiculo quodam, quem et alii laudarunt, scriptum legerit, apparet tamen Theophrastum hujus placiti nullam fecisse mentionem. Omnino vero obstat Aristoteles [15], quum dicat, cetera elementa omnia, aërem, ignem, aquam, singula a singulis usurpata esse auctoribus, solam

(14) Galen. in Hippocrat. de Nat. hom. I, sect. 1. T. III. p. 98 F. ad quem Hippocratis locum ipsa Sabini verba spectant.

(15) Metaph. I, 7 init. Quo jure Wolfius ad Origenis Phil. not. 9, aliique plures hoc Aristotelis testimonium seriorum scriptorum auctoritate redargui putaverint, ipsi viderint.

vero terram a nemine; hujus dictum comprobant Philoponus et Simplicius : hi ergo omnes Xenophanis illud decretum aut ignorarunt aut intellexerunt aliter. Sic omnia illa quae de elementis ei adscribuntur placita quam parum explorata sint et quam infirma nitantur auctoritate, satis manifesto patere arbitror. Xenophanem praeter unum illud atque summum principium, in quo tota mente erat defixus, etiam naturae principia investigasse ad quae tanquam elementa res omnes reduceret, non est probabile. Cujus opinionis argumento nobis est Aristotelis etiam auctoritas, qui dicit, *τῶν ἓν φασκόντων εἶναι τὸ πᾶν* h. e. Eleaticorum, excepto Parmenide, nullum in naturae generandae caussam, sive rerum elementa, inquisivisse [16]. Num credamus, si Xenophanes ea statuisset quae posteriores illi attribuunt, a veteribus adeo neglectam aut ignoratam ejus sententiam fuisse, ut Aristotelem et Theophrastum fugisset? Quid ergo? Abjicienda est nimirum ista elementorum ratio, quae non a Xenophane profecta, sed postea demum explicata est; recentiores omnia veterum dicta suae sententiae accommodantes, etiam haec placita non modo Xenophani aliisque hujus aetatis philosophis, sed antiquissimis quoque vatibus, Homero et Hesiodo, affinxerunt, quamquam elementa (*στοιχεῖα*) his non magis nomine usurpata quam cognitione perspecta essent. Qui primi physica tractarunt quamquam nonnulla subtilius et doctius explicarent, universe tamen poëtico studio imbuti et poëtico colore tincti erant : vaticinari potius de rerumnatura quam philosophari videbantur. Hujusmodi ratio cum aliorum tum praesertim Xenophanis fuisse videtur, quae facile

(16) Metaph. I, 3. p. 646, A, B.

caussa fuerit quod Aristoteles et Theophrastus in aliorum placitis referendis hujus mentionem raro fecerunt. Recentiores autem quum haec ad physicorum quandam artem redigere studerent, non mirum tantam exstitisse de eorum placitis controversiam, qua nubem antiquitati offuderunt. Detractis igitur horum commentis, ex veteris aevi ingenio Xenophanis opiniones et dicta explicanda sunt; qua interpretatione tolletur ista controversia et multo clarius patebit ejus sententia.

§ 3.

Quaerentibus, quae Xenophanes de mundi origine senserit, hujus quaestionis fundamentum nobis sit Aristotelis locus, ubi commemorans qua ratione et qua vi ingentem illam terrae molem veteres consistere et quiescere dixerint, Nonnulli, inquit, *ἄπειρον τὸ κάτω τῆς γῆς εἶναί φασιν, ἐπ' ἄπειρον αὐτὴν ἐῤῥιζῶσθαι λέγοντες, ὥσπερ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος, ἵνα μὴ πράγματ' ἔχωσι ζητοῦντες τὴν αἰτίαν· διὸ καὶ Ἐμπεδοκλῆς οὕτως ἐπέπληξεν εἰπὼν ὡς* (potius leg. *αὐτοῖς ἐπέπληξεν εἰπὼν ὧδε*)·

εἴπερ ἀπείρονα γῆς τε βάθη καὶ δαψιλὸς αἰθὴρ,
ὡς διὰ πολλῶν δὴ γλώσσης ῥηθέντα ματαίως
ἐκκέχυται στομάτων, ὀλίγον τοῦ παντὸς ἰδόντων [17].

Xenophanes igitur caussam hujus rei non quaesivit; tantum dixit, imam terrae partem infinitam esse. Dictio *ἐπ' ἄπειρον τὴν γῆν ἐῤῥιζῶσθαι* poëtica est et ip-

(17) Aristot. de Coelo II, 13. p. 364, D. Iidem versus levi lectionis varietate leguntur in libello de Xenoph. Zen. Gorg. cap. 2.

sius Xenophanis vestigia videtur referre [18]. Simplicius cum ipsius versus se non legisse fatetur, haeret in explicando, utrum inferiorem terrae partem infinitam esse ideoque consistere dicat, an sub terra infinitum esse aetheris spatium, quo ipsa perpetuo deorsum lata non quiescat sed quiescere videatur [19]. At Simplicius nimia interpretandi religione deceptus est, cum Aristotelis et Empedoclis verba sensum satis manifesto declarent. Nam quod dicitur ἐπ' ἄπειρον ἐρρίζῶσθαι, *terrae radices in infinitum tendere*, quid valeat perspicuum est: neque quod Aristoteles appellat τὸ κάτω τῆς γῆς, Empedocles autem τὰ βάθη τῆς γῆς, aliud quid significat, quam terrae profunda atque ima, quae eadem κεύθεα γαίης atque τάρταρα a priscis poëtis appellata sunt [20]. Xenophanis igitur sententiam recte intellexerunt veteres qui referunt, eum neque sphaericam finxisse terram neque coelo suspensam, sed suis nixam radicibus atque fundamentis deorsum in infinitum pertinere;

(18) Sic πόντου et γῆς ῥίζαι appellantur poëtis, ut Aeschyl. Prometh. vs. 1048 sq. ed. Wellauer. Orph. hymn. in Nerea XXIII. 1. Aristot. Meteorol. II, 1. init. p. 426. de maris ortu loquens: οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι καὶ διατρίβοντες περὶ τὰς θεολογίας ποιοῦσιν αὐτῆς πηγάς, ἵνα αὐτῆς (f. αὗται) ὦσιν ἀρχαὶ καὶ ῥίζαι γῆς καὶ θαλάττης.

(19) In Aristot. de Coelo l. l. f. 127 A, quem attigi supra p. 30 not. ἀγνοῶ δὲ ...... πότερον τὸ κατώτερον μέρος τῆς γῆς ἄπειρον εἶναι λέγων διὰ τοῦτο μένειν αὐτήν φησιν, ἢ τὸν ὑποκάτω τῆς γῆς τόπον καὶ τὸν αἰθέρα ἄπειρον, καὶ διὰ τοῦτο εἰς ἄπειρον ἐπὶ τὸ κάτω φερομένην τὴν γῆν δοκεῖν ἠρεμεῖν· οὔτε γὰρ Ἀριστοτέλης διεσαφήνισεν οὔθ' οἱ τοῦ Ἐμπεδοκλέους στιχοὶ διορίζονται διαῤῥήδην· τῆς γῆς γὰρ βάθη λέγοιτ' ἂν καὶ εἰς ἃ κάτεισιν.

(20) Hesiodus Theogon. vss. 119, 841, 334.

quod placitum ipsius quoque versiculo probant [21]. Haec de terrae natura.

Mare autem dixisse fertur omnis fontem humoris, ut ipsius testimonio Stobaeus affirmat. Communis haec opinio etiam aliorum veterum fuit, quo sensu mare intellexerunt τὸ πρῶτον ὑγρὸν, quod adeo a mundi initio fuisset [22]. Jam vero ex his, qualem principio rerum fecerit naturae conditionem, cum conjectura paene colligi possit, tum etiam Plutarchi et Origenis testimoniis explicatur [23]. Finxisse eum dicunt, terram paullatim desidentem aliquando maris illuvie obrutum iri, eo usum argumento, quod et olim hunc naturae statum fuisse e multis pateret indiciis, veluti ex piscium aliarumque rerum vestigiis quae in metallis et montibus reperirentur. Unde colligebat uti olim fuisset, sic et aliquando fore, ut terra mari submersa in lutum verteretur, quo mundus omnis periret; dein vero ex hac submersione terram

(21) Veterum testimonia haec sunt : Plutarchus plac. phil. III, 9, et Galenus XXI : Ξεν. (τὴν γῆν λέγει) ἐκ τοῦ κατωτέρου μέρους εἰς ἄπειρον βάθος ἐῤῥιζῶσθαι. Achilles Tatius ad Aratum (quem citavimus Fragm. XII.) : Ξ. δὲ οὐκ οἴεται μετέωρον εἶναι τὴν γῆν, ἀλλὰ κάτω εἰς ἄπειρον καθήκειν. deinceps versum profert quem supra memoravimus. Plutarchus in Strom. apud Euseb. Praep. Eu. I, p. 23 C: ἀποφαίνεται δὲ καὶ τὴν γῆν ἄπειρον εἶναι, καὶ μὴ κατὰ πᾶν μέρος περιέχεσθαι ὑπὸ ἀέρος. Vulgo hic legitur καὶ κατὰ πᾶν μέρος μὴ κτλ. Sed particulam μὴ transponendam esse recte animadvertit Brandisius. Origenes Philos. l. l. τὴν δὲ γῆν ἄπειρον εἶναι, καὶ μήτε ὑπ' ἀέρος μήτε ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ περιέχεσθαι. Cosmas Indopleust. p. 149: ἄπειρον ὑποτιθέμενος τὴν γῆν εἶναι, πρόδηλός ἐστι μὴ δεχόμενος τὴν σφαῖραν. Georg. Pachymer. p. 118. cf. Brandis. p. 48.

(22) Vid. supra fr. XI.

(23) Plutarch. ap. Euseb. Praep. Eu. I, p. 23. Origen. Philos. p. 99, quae infra latius explicabimus.

paullatim denuo eductum iri atque ita novum mundum, novum rerum ordinem oriturum : hanc naturae vicissitudinem fore perpetuam. De mundi illa conversione mox agemus; nunc notemus quale voluerit esse naturae initium : praecipuum omnino locum terrae dedit, quum et infinitam eam faceret et hujus submersione totius mundi interitum effici diceret; cum tellure autem conjunxit humorem sive mare, quo illam initio permixtam et obrutam, deinde vero, decurrentibus aquis, ab humida conjunctione liberatam esse putavit, ita ut terra et mare secernerentur. In hanc sententiam congruit quod Diogenes Laërtius refert, Xenophanem Thaleti statuisse contraria; hic enim ex aqua orta esse omnia ipsamque terram aquae innatare putabat [24].

Haec autem placita quo magis illustrentur, comparanda sunt cum veterum poëtarum opinionibus, quas ille in rerum origine celebranda potissimum secutus videtur. Similiter enim apud Hesiodum [25] post Chaos primum exstitisse praedicatur

Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ,
Τάρταρα τ' ἠερόεντα μύχῳ χθονὸς εὐρυοδείης.

Tellurem dicit totius mundi fundamentum; imas terrae partes atque abditas tartara vocat. Cum quo con-

(24) Diog. Laërt. IX, 18. Aristot. Metaph. I, 3. p. 645 D. de Coel. II, 13. p. 364 E.

(25) Hesiod. Theogon. vss. 117 et 119; qui interpositus est versus,

Ἀθανάτων οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,

jam ab antiquis spurius habitus est; vid. Schol. Hesiodi laudatus a Wyttenbachio ad Phaedon. p. 298. — Τάρταρα autem terrae viscera dicuntur, veluti Theogon. vs. 841. Virgil. Georg. II, 291.

cinunt quae in vetusti carminis Orphici fragmento habentur [26] :

πυμάτη δὲ βάσις χθονὸς ἔνδοθι ῥίζαι
Τάρταρα δ' εὐρώεντα καὶ ἔσχατα πείρατα γαίης.

Nec poëtae tantum, sed etiam philosophi, quamquam mundi figuram aliter informarent, praecipuum tamen inter corpora coelestia locum dederunt telluri; quam Plato in Timaeo [27], veteriorum physicorum placita secutus, appellat πρώτην καὶ πρεσβυτάτην θεῶν ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γεγόνασι.

Jam vero in hanc terrae marisque descriptionem quam parum congruat elementorum notio, cuivis appareat, neque mirandum, recentiores qui hac interpretatione uterentur parum sibi constitisse, et modo terram modo terram et aquam Xenophani attribuisse: quorum utrumque pariter ejus sententiae congruum, vel potius alienum erat.

Retulerunt etiam nonnulli [28], Xenophani placuisse ἐξ ἀέρος καὶ πυρὸς συμπαγῆναι τὴν γῆν, quod dictum si, ut illi tradiderunt, sic proprie accipiendum esset, terram ex aëris ignisque elementis concretam et ortam esse, sanequam maxime a tota ejus ratione abhorret, et Xenocrati potius quam Xenophani tribuen-

(26) Orphei fragm. VI, vs. 39 sq. p. 458 ed. Herm. in quo carmine plura occurrunt si non a germano illo Orpheo profecta, tamen ex Orphica quadam vel theogonia vel cosmogonia ducta et perantiqua; veluti versus quos memorat Aristoteles s. auctor libri de Mundo c. 7. T. I, p. 475 F. In his autem Orphicis plura ferebantur placita Homeri et Hesiodi fabulis similia. cf. G. H. Bode, Orpheus p. 148.

(27) Plato Tim. p. 40 C. Cf. Galen. Hist. Phil. XI. p. 34 D.

(28) Plutarch. plac. Phil. III, 9. Galen. ibid. c. XXI.

dum videretur, quorum nomina vidimus interdum esse confusa [29]. Sed nulla adhibita emendatione, e Xenophanis mente sic potius explicandum est : tellurem ignis aërisque semina gremio suo continere, et hinc vaporem caloremque exstitisse. Haec sententia convenit cum iis quae de rerum coelestium origine et natura praedicasse dicitur, quae mox exponemus; eademque concinit cum priscorum vatum et theologorum fabulis, qui (ut praeter alios Hesiodus) coelum, sidera, pontum telluris tanquam almae parentis sinu exorta ferebant [30] :

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀςερόενθ᾽, ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτοι, — —
ἡ δὲ καὶ ἀτρύγετον πέλαγος τέκεν οἴδματι θῦον,
πόντον, ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου.

Eadem, quae finxerunt poëtae, etiam a physicis qui dicuntur philosophis probata et explicata sunt, ut in Timaei Locri, qui fertur, libro, ubi quod modo e Platonis Timaeo attulimus sic uberius exponitur [31] :

(29) Plutarch. de facie Lun. p. 943 F. *τὴν δὲ γῆν ἐξ ὕδατος καὶ πυρὸς καὶ τοῦ τρίτου τῶν πυκνῶν (Ξενοκράτης φησὶ συγκεῖσθαι.)* Quem locum tangit Van de Wynpersse de Xenocrate Chalcedonio (Lugd. Bat. 1822.) p. 102.

(30) Hesiodus Theogon. 126 sq. et 131 sq.

(31) Opusc. Myth. Phys. etc. Th. Gale. p. 552. Eundem Timaei locum laudat Simplicius de Coelo III, f. 158 A. his verbis: *ὁ δὲ Τίμαιος αὐτὸς ἐν τῷ βιβλίῳ, ὅπερ ὁ Πλάτων μετέλαβεν, οὕτως ἔγραψε περὶ τῆς γῆς· Πρεσβυτάτη δὲ ἐςὶ τῶν ἐντὸς οὐρανοῦ σωμάτων· οὐδέποτε γὰρ ὕδωρ γίγνεται χωρὶς γῆς, οὐδ᾽ ἔτι τις ἀὴρ χωρὶς ὑγροῦ· τό τε πῦρ ἐρημωθὲν τοῦ ὑγροῦ καὶ τῆς ὕλης, ἣν ἔκαιεν, οὐκ ἂν διαμείνειαν* (corr. *διαμείνειεν*)*· ὥςε ῥίζα πάντων καὶ βάσις τῶν ἄλλων ἡ γῆ· ἐν δὲ τοῖς κόλποις τῆς γῆς ἀὴρ καὶ πῦρ ἵδρυται, οὐ τὰ καθαρὰ ἀλλὰ τὰ λιμνάζοντα.* Extrema verba *οὐ*

πρεσβύϛα δ᾽ ἐντὶ (Γᾶ) τῶν ἐντὸς ὠρανῶ σωμάτων· οὐδέποκα ὕδωρ ἐγεννάθη δίχα γᾶς, οὐδὲ μάντοι ἀὴρ χωρὶς ὑγρῶ· πῦρ τε ἔρημον ὑγρῶ καὶ ὕλας ἇς ἐξάπτοι, οὐκ ἂν διαμένοι· ὥϛε ῥίζα πάντων καὶ βάσις ἁ γᾶ ἐρήρειϛαι ἐπὶ τᾶς αὐτᾶς ῥοπᾶς (h. e. ἰσόῤῥοπός ἐϛιν). Praecipue vero hanc sententiam illustrat Lucretius, qui ut magister Epicurus, in physicis veteres studiose aemulatur [32] :

Principio tellus habet in se corpora prima,
Unde mare immensum volventes frigora funtes
Assidue renovent; habet, ignes unde oriantur:
Nam multis subcensa locis ardent sola terrae;
Eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae.

Hujusmodi fuit multorum veterum opinio, in quam Xenophanes non minus quam Empedocles [33] aliique physici, qui naturam studiosius observarunt, praesertim inducti videntur propter calidarum aquarum igniumque impetum, quae e terra orirentur. Ignium certe eruptio, quae in Lipara insula frequenter apparuit, investigationem ejus non fugit, quam interdum per sedecim annos sedari, septimo decimo rursus exoriri dixit [34].

τὰ καθαρὰ ἀλλὰ τὰ λιμνάζοντα videntur esse Simplicii. Ex eodem Timaei loco etiam Platonis dicta in Phaedone expressa judicavit Simplicius de Coelo II, p. 125, ut Wyttenb. ad hunc dialogum in annot. p. 296 sq. monuit.

(32) Lucretius II, 589 sqq.

(33) Seneca Nat. Qu. III, 24. Plutarch. de primo frig. T. II, p. 953 E. Plato Phaedon. p. 87 sq. ed. Wytt. in describendis interioribus terrae partibus superiorum physicorum commenta secutus memorat καὶ ἀενάων ποταμῶν ἀμήχανα μεγέθη ὑπὸ τὴν γῆν καὶ πυρὸς μεγάλους ποταμὺς· — ὥσπερ ἐν Σικελίᾳ οἱ πρὸ τοῦ ῥύακος πηλοῦ ῥέοντες ποταμοὶ καὶ αὐτὸς ὁ ῥύαξ.

(34) Aristot. Mirab. Auscult. T. I, p. 876 E.

De telluris autem amplitudine sic credidisse videtur, vastas esse immensasque terrarum plagas a se invicem finibus et temperie discretas, quarum nonnullae ab hominibus non incolantur [35].

Ut terram subtus infinitam, sic super terra aetherem sive coelum item infinitum dixit, ut Aristoteles [36] memorat et Empedoclis versus, quibus illius opinionem perstringit, significant : hic enim ambo simul memorat et refellit, ἀπείρονα γῆς τε βάθη καὶ δαψιλὸς αἰθήρ. Quod autem ita quasi duo infinita poni videntur, in eo non haerendum est : infinitum enim hic appellari patet non subtili ratione, sed vulgari sensu, id quod nullius rei terminis saeptum latissime pateat. Hoc ergo subtilius interpretandum non est. [37].

§ 4.

De mari, quem omnis fontem humoris dixit, modo vidimus eum sic praedicasse : principio rerum fluctibus inundata fuisse omnia, deinde autem defluentibus aquis terram a mari discretam esse. Hac terrena conjunctione factum putavit, ut aqua marina salsiore esset sapore. De quo sic refert Origenes p. 99 : Οὗτος (ὁ Ξενοφάνης) τὴν θάλασσαν ἁλμυρὰν ἔφη, διὰ τὸ πολλὰ

(35) In Stobaei loco, qui infra laudabitur, memorantur τὰ κλίματα τῆς γῆς καὶ ἀποτομαὶ καὶ ζῶναι; tum etiam τις ἀποτομὴ τῆς γῆς οὐκ οἰκουμένη ὑφ' ἡμῶν. Vox ἀποτομὴ significat *abscissionem*; deinde *oram*, *terminum*, ut apud Timaeum Locr. p. 552; ed. Gal. hoc loco terrae *plagam* notat.

(36) De Xenoph. Zen. Gorg. c. II, p. 941 E. Ξ. ἄπειρον τό τι βάθος τῆς γῆς καὶ τοῦ ἀέρος φησὶν εἶναι.

(37) Ut monet Victor Cousin l. l. p. 50.

μίγματα συῤῥέειν ἐν αὐτῇ· ὁ δὲ Μητρόδωρος, διὰ τὸ ἐν τῇ γῇ διηθεῖσθαι, τούτου χάριν γίγνεσθαι ἁλμυράν. Utramque sententiam, quam distinguit Origenes, unam atque eandem facit Aristoteles [38], quum in antiquorum de ea re opinionibus referendis haec memorat : οἱ δὲ τῆς ἁλμυρότητος αἰτίαν τὴν γῆν εἶναί φασιν· καθάπερ γὰρ τὸ διὰ τῆς τέφρας ἠθούμενον ἁλμυρὸν γίγνεται, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ταύτην ἁλμυρὰν εἶναι, μιχθείσης αὐτῆς (leg. αὐτῇ, h. e. τῇ θαλάττῃ) τοιαύτης γῆς. *Nonnulli amaritudinis sive salsilaginis caussam ajunt terram esse : nam veluti humor per cinerem percolatus fit amarus, sic etiam marinam aquam esse salsam propter terrenam admixtionem.* Itaque quod terrena admiscentur mari, id propterea fit quod humores, in mare effluentes, per terram percolantur. Metrodorus Epicureus, cujus haec fuit sententia, haud dubie (ut plerumque in physicis solebant Epicurei) antiquiorum placita aemulatus est ; atque Alexander Aphrodisius [39] e Theophrasto, ut videtur, refert Metrodoro hanc opinionem cum Anaxagora, fortasse etiam aliis veterum, fuisse communem : idem ergo Xenophani placuisse non est quod miremur.

(38) Aristot. Meteor. L. II, 1. p. 426 D. cf. p. 430 A.

(39) Alexander Aphrod. εἰς τὰ μετεωρολογικὰ (una cum Jo. Philopono εἰς τὸ περὶ γενέσ. καὶ φθορᾶς editus apud Ald. 1527.) fol. 91 A. τρίτη δὲ δόξα περὶ θαλάττης ἐστὶν, ὡς ἄρα τὸ ὕδωρ τὸ διὰ τῆς γῆς διηθούμενον καὶ διαπλύνον αὐτὴν ἁλμυρὸν γίγνεται τῷ ἔχειν τὴν γῆν τοσούτους χυμοὺς ἐν αὐτῇ· οὗ σημεῖον ἐποιοῦντο τὸ καὶ ἅλας ὀρύττεσθαι ἐν αὐτῇ καὶ νίτρα· εἶναι δὲ καὶ ὀξεῖς χυμοὺς πολλαχοῦ τῆς γῆς· ταύτης πάλιν τῆς δόξης ἐγένοντο Ἀναξαγόρας τε καὶ Μητρόδωρος. Paullo ante Alexander Theophrastum laudavit auctorem. Locus hic fugit Schaubach. in Anaxagorae fragm. p. 178. Caeterum a plerisque haec placita parum distincte relata sunt, nimirum quod eadem pluribus veterum essent communia.

§ 5.

E terra et mari, ut mundi primordiis, ceterarum rerum natura repetenda est, quas deinceps explicabimus. Praecipuum inter corpora coelestia locum sol et luna tenent, de quorum origine quae senserit, Theophrasto auctore relata legimus apud Stobaeum[40]: Θεόφραστος ἐν τοῖς φυσικοῖς γέγραφεν, (εἶναι τὸν ἥλιον) ἐκ πυριδίων μὲν τῶν συναθροιζόμενων ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, συναθροιζόντων δὲ τὸν ἥλιον. Ne quis putet, hoc loco ipsius Theophrasti memorari sententiam, tenendum apud Stobaeum de Xenophane hic agi, eidemque hoc placitum a multis aliis tribui[41], veluti a Plutarcho in Stromatis, et auctore libri de placitis philosophorum, quorum hic in memoranda Xenophanis sententia iisdem verbis utitur atque Stobaeus; Galenus autem his verbis refert[42]: Ξενοφάνης ἐκ τῶν ξηρῶν ἄτμων [τὰ] πυρίδιά τινα συνέρχεσθαι, ἃ εἰς [τὸ] ἓν σῶμα καθεστηκότα τὸν ἥλιον συνιστῶσι· ἢ τὸν ἥλιον ἀναπτομένην νεφέλην. Hic a Stobaeo eatenus differt, quod alter ἐξ ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, alter ἐκ τῶν ξηρῶν ἄτμων solis igniculos colligi dicit: quae ut verbis discrepant, ita re prorsus conveniunt. Nam ἄτμος sive ἀτμὶς et ἀναθυμίασις ita differunt physicis, ut in altero humoris, in altero ignis vis excellat[43]. Nihil igitur interest, utrum *calidum*

(40) Stob. I, 26. T. II, p. 522. Heeren.

(41) Plutarch. in Strom. apud Euseb. Praep. Eu. I, 8. p. 23. φησὶ δὲ καὶ τὸν ἥλιον ἐκ μικρῶν καὶ πλειόνων πυρίων (l. πυριδίων) ἀθροίζεσθαι. Plut. de plac. phil. II, 20. apud Euseb. XV, 23. p. 836, B. Origenes, cujus verba mox afferentur.

(42) Galen. cap. XIV. Articulum uncis inclusi, quia rectius abesset.

(43) Aristot. Meteor. I, 3. p. 412. Casaub. δεῖ νοῆσαι, τοῦ

humorem, an *humidum vaporem* dicas. Idem quoque valet id quod addit Galenus, ἢ ἀναπτομένην νεφέλην; quod Plutarchus quoque et Stobaeus [44] ei placuisse dicunt, solem *candentibus nubilis* constare; pariter lunam esse *nubem conglobatam*. Quod si constat versiculi auctoritas, quo Iris νεφέλη appellatur, probabile videatur, etiam solem et lunam vulgari appellatione νέφη seu νεφέλας a Xenophane dicta esse [45]. Quae autem fuerit ejus sententia satis patet: intellexit

λεγομένου καὶ καλουμένου ὑφ᾽ ἡμῶν ἀέρος τὸ μὲν περὶ τὴν γῆν οἷον ὑγρὸν καὶ θερμὸν εἶναι, διὰ τὸ ἀτμίζειν τε καὶ ἀναθυμίασιν ἔχειν γῆς, τὸ δ᾽ ὑπὲρ τοῦτο θερμὸν ἤδη (l. εἶναι) καὶ ξηρόν· καί ἐστιν ἀτμὶς μὲν δυνάμει οἷον ὕδωρ, ἀναθυμίασις δὲ δυνάμει οἷον πῦρ. Olympiod. in Meteor. f. 5. A. Jo. Philoponus Meteor. f. 99. (ad calcem Olympiodori in Meteorol. apud Ald. 1551 fol.): ἔστι γὰρ δύο εἴδη τῆς ἀναθυμιάσεως, ὥς φαμεν, ἡ μὲν ὑγρὰ, ἡ δὲ ξηρά. καλεῖται δὲ ἡ μὲν ἀτμὶς, ἡ δὲ τὸ μὲν ὅλον ἀνώνυμος. quae autem κατ᾽ ἐξοχὴν appellata est ἀναθυμίασις. Hesychius: ἀτμός. ἡ ἐκ τοῦ ὑγροῦ ἀνάδοσις. Sic sublata est difficultas, quam in interpretando fecerat Brandis l. l. p. 56, not.

(44) Plutarch. in Strom. ap. Euseb. l. l. τὸν δὲ ἥλιόν φησι καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα ἐκ τῶν νεφῶν γίγνεσθαι. Stobaeus I, 26: ἐκ νεφῶν πεπυρωμένων εἶναι τὸν ἥλιον. Plutarch. plac. phil. II, 20. De Luna item Stobaeus I, 27. p. 550. Ξενοφ. νέφος εἶναι τὴν σελήνην πεπιλημένον. Plutarch. l. l. II, 25. Galen. XV. Theodoret. Θεραπ. IV, p. 59: καὶ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην Ξ. νέφη εἶναι πεπυρωμένα φησίν.

(45) Xenophanis vs. exposui Fr. XIII. Idem probabile videtur Brandisio l. l. Etenim quod modo notavi discrimen inter ἀτμίδα et ἀναθυμίασιν, ab Aristotele inductum est; νέφος autem hac vi veteribus usurpatum esse, patet etiam e recentioribus qui hanc opinionem refutandam putarunt: Alexand. Aphrod. in Meteor. f. 81, A. οἱ δὲ λέγοντες, νέφος εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις τὸ εἰς τὴν ἄνω χώραν ἀνασπώμενον καὶ ἐξαπτόμενον, οὐκ εὖ λέγουσι. Τὸ γὰρ νέφος ὑγρὸν καὶ ἀνεπιτήδειον πρὸς ἔξαψιν· εἰ δὲ λέγουσιν αὐτὸ εἰς ξηρότητα μεταβάλλειν, πόσῳ μᾶλλον ἄμεινον, μὴ νέφος λέγειν ἀλλ᾽ ἐξ ἀρχῆς πυκνὴν καὶ ξηρὰν ἀναθυμίασιν εἶναι τῶν τοιούτων ὕλην.

vapores terra marique exhalantes qui sublime tolluntur, unde ignis seminibus expressis et inter se conciliatis coelestia corpora efficiantur. Eadem aliorum antiquitus fuit sententia, quam in primis illustrat Lucretius, de aetheris et siderum origine ita canens [46]:

Per rara foramina terrae
Partubus erumpens primus se substulit aether
Ignifer, et multos secum levis abstulit igneis:
Non alia longe ratione ac saepe videmus,
Aurea quom primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis,
Exhalantque lacus nebulam fluvieique perennes,
Ipsaque et interdum tellus fumare videtur:
Sic igitur tum se levis ac diffusilis aether,
Corpore concreto circumdatus undique, saepsit;
Hunc exordia sunt solis lunaeque secuta.

Lucretius Epicurum sequitur, qui in physicis plerumque veteriorum commenta et placita expressit. Eodem pertinet pervagata illa veterum opinio, tam a poëtis quam philosophis prodita, solem et reliqua sidera terrenis marinisque vaporibus ali et sustentari [47]: non mirum adeo si iisdem, quibus sustantur, initiis etiam exstitisse quondam illa putaverint. Eadem natura, qua solem, lunam quoque Xenophanes et sidera et cometas et quaecumque in coelo apparent corpora, esse voluit; appellavit globos can-

(46) Lucret. V, 458 sqq.

(47) Vid. Cicero Nat. D. II, 15. ubi multos auctores alios laudat Creuzer. p. 265. Anacreont. od. 19: ἡ γῆ μέλαινα πίνει — ὁ δ' ἥλιος θαλάσσαν. ubi veterum placiti meminit etiam Mehlhorn. p. 96.

dentibus nubilis concretos, ut Plutarchus, Stobaeus, ceteri tradunt [48]. De Iride feruntur ejus versiculi; de Dioscuris, quae in tempestate in navibus appareant, idem traditur censuisse. Stobaeus [49]: τοὺς δ' ἐπὶ τῶν πλοίων φαινομένους οἷον ἀςέρας, οὓς καὶ Διοσκούρους καλοῦσί τινες, νεφέλια εἶναι κατὰ τὴν ποιὰν κίνησιν παραλάμποντα. Ultima verba sic fortasse legenda: κατὰ τὴν πλοίων κίνησιν πυρὶ λάμποντα, i. e. nubeculas quae, motis navibus, fulgore splendeant [50]. Idem refert, de fulgure Xenophani visum esse, ἀςραπὰς γίγνεσθαι λαμπρυνομένων τῶν νεφῶν κατὰ τὴν κίνησιν, fulgura eo fieri quod nubes motu agitatae et incensae splendescant [51].

Omnia denique meteora e Xenophanis sententia ait esse νεφῶν πεπυρωμένων συςήματα ἢ καὶ κινήματα [52]. In quibus omnibus patet, eum in explicanda rerum natura ex oculorum sensu esse profectum.

§ 6.

Cum his quae de corporum coelestium origine et natura traduntur, reliqua item congruunt placita, quae de solis, lunae, siderumque conditione et motu

(48) Plutarch. apud Euseb. modo laud. Stobaeus, Achilles Tatius, caeteri laudati ad § sq.

(49) Stobaeus I, 25. p. 514. Idem tradit Plutarchus, plac. phil. II, 18. Galen. XIII. Omnes servant ποιάν. Galenus pro παραλάμποντα habet νεφέλην .... περιλαμπούσαν.

(50) De Dioscuris vid. quae laudat Mitscherl. ad Horat. Od. I, 3. vs. 2.

(51) Stobaeus I, 30. p. 592. ad q. l. Heeren laudat Diogen. Laërt. IX, 10. qui autem non ad Xenophanem, sed ad Heracli tum spectat.

(52) Stob. I, 29. p. 580.

censuisse dicitur. Lunam non, ut Thaleti visum erat, a sole illustrari, sed cum Anaximandro putavit, proprio lumine nitere [53], quippe lunae eandem atque soli tribuens originem. Astrorum autem quem vulgo appellarent ortum et occasum, ille nihil aliud esse dixit quam exstinctionem lucis et renovationem, ut novo semper lumine appareant. Disertis verbis hanc sententiam prodit non indiligens testis, Achilles Tatius [54]: Ξενοφάνης δὲ λέγει τοὺς ἀςέρας ἐκ νεφῶν συνεςάναι ἐμπύρων, καὶ σβέννυσθαι καὶ ἀνάπτεσθαι ὡσανεὶ ἄνθρακας· καὶ ὅτε μὲν ἅπτονται, φαντασίαν ἡμᾶς ἔχειν ἀνατολῆς, ὅτε δὲ σβέννυνται, δύσεως. Similiter Stobaeus [55]: Ξεν. ἐκ νεφῶν μὲν πεπυρωμένων (εἶναι τοὺς ἀςέρας)· σβεννυμένους δὲ καθ' ἑκάςην ἡμέραν ἀναζωπυρεῖν νύκτωρ, καθάπερ τοὺς ἄνθρακας· τὰς γὰρ ἀνατολὰς καὶ δύσεις ἐξάψεις εἶναι καὶ σβέσεις. Hi verbis ita conveniunt, ut ab eodem auctore profecti videantur; fortasse Theophrastum secuti sunt, quem supra etiam laudatum vidimus apud Stobaeum. Comparatio qua utuntur, *carbonum* instar astra accendi, ab ipso Xenophane petita videri possit: poëtica certe est et illius aetati congrua. Similiter quidam veterum stellas dixerunt *lapides ignitos* [56].

(53) Stobaeus I, 27. p. 556.

(54) Vid. Isagoge in Aratum cap. XI.

(55) Stob. I, 25. p. 512 sq. add. Plutarch. plac. phil. II, 13. Galen. XIII. Theodor. Serm. IV, p. 59.

(56) Notum est, Anaxagorae crimini datum esse quod *solem* dixisset μύδρον sive λίθον διάπυρον. Xenophon Memor. IV, 7. Valckenaer Diatr. Eurip. cap. IV, p. 30 sq. Schaubach. Anaxag. fragm. p. 139 sqq. Similiter de *luna* et *sideribus* dixit; eademque opinio Diogeni Apolloniatae, Democrito, Archelao placuisse fertur. Vid. Stobaeus Part. I, T. II, p. 508. Plutarch. plac. phil. II, 13.

Quae de astris dicta sunt, item de sole et luna intelligenda, quorum lucem occasu exstinctam evanescere, ortu autem confluentibus ignis seminibus denuo accendi putavit; eademque caussa et lunae menstruas et subitas solis fieri defectiones [57]. Xenophanis sententia a Stobaeo, Plutarcho, ceteris prodita, similibus aliorum veterum placitis comprobatur. De solis ortu et occasu eadem fuit Heracliti opinio, a cujus nomine ὁ Ἡρακλείτειος ἥλιος dictus et celebratus est [58]. Epicuro, qui in rebus naturalibus plerumque non quid esset statuebat, sed quid esse vel fieri posset docebat, haec quoque veterum opinio probabilis visa est, praedicata a Lucretio [59]: Nox, inquit, certo tempore terras obruit,

ubi de longo cursu sol ultima coeli
Impulit, atque suos ecflavit languidus igneis,
Concussos itere et labefactos aëre multo.

Certo item tempore aurora surgit:

quia conveniunt ignes, et semina multa
Confluere ardoris consuerunt tempore certo,
Quae faciunt solis nova semper lumina gigni.

(57) Stobaeus, I, 26. p. 522: Ξεν. ἐκ νέφων πεπυρωμένων εἶναι τὸν ἥλιον· ἔκλειψιν δὲ γίγνεσθαι κατὰ σβέσιν· ἕτερον δὲ πάλιν (πρὸς) ταῖς ἀνατολαῖς γίγνεσθαι. Id. I, 27. p. 560. καὶ τὴν μηνιαίαν ἀπόκρυψιν κατάσβεσιν. Plutarch. plac. phil. II, 24. Euseb. Praep. Eu. XV, 50. Galen. XIV. Origenes: τὸν δὲ ἥλιον ἐκ μικρῶν πυριδίων ἀθροιζομένων γίγνεσθαι καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν.

(58) Plato Rep. VI, c. 11, p. 498, ad q. l. Scholiastes Ruhnken. p. 172, annotat, eandem haberi utriusque sententiam: ἀλλὰ μὴν καὶ Ξενοφάνη τὸν Κολοφώνιον κατὰ σβέσιν τὴν ἡλιακὴν ἔκλειψιν λέγειν γίγνεσθαί φασι, καὶ πάλιν πρὸς ταῖς ἀνατολαῖς ἀνίσχειν.

(59) Lucret. V; 649-750 passim. cf. Diogenes Laërt. X, 92.

Similiter de luna :

Quur, inquit, *nequeat semper nova luna creari,*
Ordine formarum certo certisque figuris,
Inque dies privos aborisci quaeque creata.

Hujusmodi ergo Xenophanis de astrorum ortu et occasu fuisse videtur opinio : quod autem eorum lucem interstingui dixit, non ita intelligendum quasi ipsa prorsus evanescere voluerit et deleri, sed potius, ut veterum comparatione utar, veluti carbonum exstincto candore, sic horum luce dissipata, corpora tamen et globos relinqui, quae nova deinceps luce accendi novisque radiis illustrari queant.

Cum hoc placito facile conciliatur quod Stobaeus aliique tradunt, Xenophanem multos atque adeo infinitos statuisse soles et lunas, pro variis terrarum regionibus variisque zonis [60]. Quod si intelligamus soles lunasque numero complures aut infinitos, ut plerique interpretantur, merito absurda habeatur haec opinio, eoque magis, quod aliis locis unum modo solem unamque lunam agnoscit. Magis est Xenophanis menti consentaneum soles lunasque intelligere renovatas solis lunaeque formas, quippe quos quotidie nova luce accendi, vel ut Lucretius ait, nova semper lumina gigni arbitrabatur; eosdemque pro coeli terrarumque diversitate modo ardentiores modo languidiores putasse probabile est. Cum qua sententia convenit etiam communis loquendi usus : sic Latini, poëtae praesertim, *soles* appellant diversas terrarum

(60) Stobaeus I, 26. p. 534 : Ξενόφ. πολλοὺς εἶναι ἡλίους καὶ σελήνας κατὰ τὰ κλίματα τῆς γῆς καὶ ἀποτομὰς καὶ ζώνας. quem locum supra p. 159 attigi. Plutarch. plac. phil. II, 24. Galen. XIV. Origenes l. l. ἀπείρους ἡλίους εἶναι καὶ σελήνας.

regiones et coeli tractus variasque tempestates, ut *soles aestivi* et *hiberni* dicuntur; eadem dictio Graecis, licet minus frequentata, haud tamen incognita fuit [61]. Itaque hoc placitum, infinita esse sidera solesque infinitos, geminum est alteri placito, quod modo vidimus, solem et sidera quotidie renovari, sive, ut ab Origene l. l. relatum est, τὸν ἥλιον ἐκ μικρῶν πυριδίων ἀθροιζομένων γίγνεσθαι καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν. Heracliti quoque dictum memoratur ab Aristotele [62]: ὁ ἥλιος, inquit, νέος ἐφ᾽ ἡμέρῃ, quod Xenophanis sententiae videtur simillimum.

De solis autem defectione explicanda sunt quae a Stobaeo aliisque interpretibus referuntur: κατὰ δέ τινα καιρὸν ἐκπίπτειν τὸν δίσκον εἴς τινα ἀποτομὴν τῆς γῆς οὐκ οἰκουμένην ὑφ᾽ ἡμῶν, καὶ οὕτως ὡσπερεὶ κενεμβατοῦντα ἔκλειψιν ὑποφαίνειν. Horum verborum sensus est: putabat, aliquando solis rotam sive orbem lucis dissolutum abscindi et in remotam aliquam terrarum oram delabi; quo facto, solem non amplius patenti luce sed cassum lumine progredi et obscurari. Mira licet videatur haec sententia, non tamen statim repellenda est: mirabilia enim multa hujusmodi ferebat antiquitas, praesertim in explicandis rebus naturalibus quarum caussas rationesque non perspicerent. Quod hic Xenophanes de solis defectione existimasse fertur, idem e vulgari loquendi more dicitur ab Herodoto [64], cum solis defectionem, quae Xerxe in Grae-

(61) Vid. exempli gratia Mitscherl. ad Horat. Od. II, 16, vs. 18. Duker. ad Thucyd. VII, extr. p. 504.

(62) Meteor. II, 2. T. I, p. 427 H.

(63) Stob. Plutarch. Galen. l. l.

(64) Herodot. VII, 37.

ciam invadente facta est, his verbis memorat: ὁ ἥλιος ἐκλιπὼν τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἕδρην ἀφανὴς ἦν. Quod hic dicit ἐκλιπεῖν τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἕδρην, concinit Xenophanis dicto, ἐκπίπτειν τὸν τοῦ ἡλίου δίσκον καὶ οὕτως ὡσπερεὶ κενεμβατεῖν [65]. Haec autem non subtilius videtur inquisivisse, sed rationes attulisse sensibus accommodatas nec a communi intelligentia abhorrentes. Alia quoque feruntur physicorum veterum placita cum hoc comparanda: veluti, cum lapides interdum coelo delapsi ferrentur, quidam stellas esse putarunt lapideas aut ferreas [66]; unde etiam Anaxagoras arbitrabatur, ingentem aliquando siderum ruinam fore, cum globi coelo infixi subito quodam motu concussi et labefactati deorsum ferrentur [67]. Quid mirum ergo, si Xenophanes simili modo solis defectionem fieri putaverit aut finxerit? Dicitur quoque memorasse solis quandam defectionem, quae mensem duravisset, item alteram qua lux interdiu ita prorsus obscuraretur, quasi nox esset, ut refert Stobaeus [68]: παριςόρηκε δὲ καὶ ἔκλειψιν ἡλίου ἐφ᾽ ὅλον μῆνα, καὶ πάλιν (ἔκλειψιν) ἐντελῆ, ὥςε τὴν ἡμέραν νύκτα φανῆναι.

(65) Κενεμβατεῖν. Hesychius: κενεμβατεῖ· ματαίως πατεῖ. Suidas: κενεμβατεῖν· εἰς κενὰ βαίνειν, κενὰ ἐπιχειρεῖν. Cf. Photius, Etymol. M. et Etymol. Gudian. Occurrit apud Olympiod. in Meteor. IV, f. 68, A: ἵνα μὴ κενεμβατῇ ὁ λόγος. Apud veteres quidem non reperi; tamen usitatum quondam fuisse, grammaticorum quae attuli testimonia dubitare non sinunt.

(66) Ita Diogenes Apolloniates apud Stob. Eclogg. Phys. I, 25. p. 508.

(67) Plutarch. Lysandr. cap. 12. Diogen. Laërt. II, 12. cf. Schaubach. Anaxagor. p. 159.

(68) Stob. I, 26. p. 522. Plutarchus plac. phil. II, 24. Galenus cap. XIV. Vocem ἔκλειψιν, quae apud Stobaeum intelligenda est, rectius addit Galenus.

De solis autem motu memoratur hoc tradidisse : [69] τὸν ἥλιον εἰς ἄπειρον μὲν προϊέναι, δοκεῖν δὲ κυκλεῖσθαι διὰ τὴν ἀπόςασιν. Ergo solis cursum non certis finibus terminari, neque ipsum circum terram agi, sed recto itinere per coelum ferri putavit. Utrumque opinioni ejus tam de coelestium corporum natura, quam de terrae statu congruum est.

Minus probabile est quod de siderum motu apud Galenum Phil. cap. 13 legitur : Ξενοφάνης κατ' ἐπιφάνειαν οἴεται κινεῖσθαι τὺς ἀςέρας. Si significent haec verba, Xenophanem dixisse sidera specie quidem moveri, reapse autem consistere, abhorret hoc a tota Xenophanis judicandi ratione et ab iis ipsis quae modo de sideribus relata sunt. Praeter Galenum nullus hoc Xenophanis placitum prodit; at Stobaeus et Plutarchus idem Xenocrati tribuunt [70] : Ξενοκράτης κατὰ μίαν ἐπιφάνειαν οἴεται κινεῖσθαι τοὺς ἀςέρας· οἱ δὲ ἄλλοι πρὸ τῶν ἑτέρων τοὺς ἑτέρους ἐν ὕψει καὶ βάθει. Spectat hoc placitum ad veterum nonnullorum disputationem, qui coelum in multos orbes sive sphaeras describebant, in quibus stellae et sidera variis ordinibus essent disposita. Haec autem nihil ad Xenophanem videntur pertinere.

Neque magis probari potest quod Cicero retulit [71] : « habitari ait Xenophanes in luna, eamque » esse terram multarum urbium et montium. » Ciceronis quidem testimonium secutus est et amplificavit Lactantius [72], ita prodens : « Xenophanes di-

(69) Stobaeus l. l. p. 534. Galen. et Plutarch. ibid.

(70) Plutarch. II, 15. Stobaeus I, 25, qui pro κινεῖσθαι, habet κεῖσθαι.

(71) Quaest. Acad. IV, 39.

(72) Instit. Div. III, 23.

» centibus mathematicis orbem lunae duodeviginti » partibus majorem esse quam terram stultissime cre- » didit et, quod huic levitati fuit consentaneum, » dixit intra concavum lunae sinum esse aliam ter- » ram, et ibi aliud genus hominum simili modo vi- » vere, quo nos in hac terra vivimus. » Lunae orbem duodeviginti partibus majorem esse quam terram, tradidisse dicitur Anaximander [73], cujus placitum cum Ciceronis de Xenophane testimonio confudit Lactantius. Hujus autem opinionis quamvis varii habiti sint auctores, (alii enim ad Pythagoreos, quidam etiam ad Orpheum referunt [74]) de ceteris tamen parum probata exstant testimonia, unus, cui veteres inde a Platone hanc sententiam nominatim tribuunt, Anaxagoras fuit; de Xenophane ceteri omnes silent. Num igitur contra communem veterum auctoritatem Ciceroni fidem habeamus, an credamus potius illum, quod interdum ei accidit in veterum placitis tradendis, incuria quadam deceptum nomina confudisse : praesertim cum tota Xenophanis de corporibus coelestibus sententia, de eorum origine, figura, conditione, ab hujusmodi placito aliena sit [75].

(73) Plutarch. de plac. philos. II, 25. Stobaeus et Galen. ibi laudati.

(74) De Orpheo et Pythagoreis Fabric. Bibl. Gr. I, p. 132. Brucker. Histor. Philos. I, 398. Boeckh. Philol. p. 130. Apud Pythagoreos saepius τὴν ἀντίχθονα cum luna confusam esse a serioribus interpretibus, alibi explicatius ostendam. Quamvis autem nonnullorum, ut Philolai, fuerit haec sententia, non ideo Pythagorei universe ejus auctores dici possunt. Anaxagorae praeter alios meminit Plato Apolog. Socr. p. 36 D. Schaubach Anaxag. fragm. p. 161 sq.

(75) Ciceronis testimonium repudiatum est a Brandisio comment. Eleat. p. 56 sq. Schaubachio l. l. p. 162; laudatum a Boeckhio l. l. credo, propter Pythagoreorum adsensionem, quorum

§ 7.

Lunae in rerum natura vim nullam esse dixit, τὴν σελήνην παρέλκειν, ut ait Stobaeus; maximam contra vim soli tribuit, quem voluit praecipuam esse caussam ventorum, imbrium, omniumque quae in coelo fiant. Primarius locus est Stobaei, qui haec prodit [76]: Ξενοφάνης ὑπὸ τῆς τοῦ ἡλίου θερμότητος, ὡς ἀρκτικῆς αἰτίας τὰ ἐν τοῖς μεταρσίοις συμβαίνειν· ἀνελκομένου γὰρ ἐκ τῆς θαλάττης τοῦ ὑγροῦ, τὸ γλυκὺ διὰ τὴν λεπτομερείαν διακρινόμενον νέφη τε συνιστάνειν ὀμιχλούμενον, καὶ καταςάζειν ὄμβρους ὑπὸ πιλήσεως, καὶ διατμίζειν τὰ πνεύματα· γράφει γὰρ διαῤῥήδην· πήγη δ' ἔςι θάλασσα ὕδατος. Statuit igitur solis fervore et vi dulces aquae partes, utpote levissimas, e mari sursum tolli; quem humorem diffusum et tenuatum nubes efficere, compressum et condensatum pluviae guttas demittere; ejusdemque evaporatione et spiritu auras ventosque effici. Quae Stobaeus refert, conveniunt Xenophanis sententiae, si

licet etiam constet sententia, in physicis tamen Xenophanes cum Pythagoreis parum concinit. Victor Cousin, Nouveax fragm. p. 44, efficere studet Ciceronis testimonium non esse Xenophanis menti contrarium; quod tamen vereor, ut possit probari : quomodo enim hoc placitum ei congruum videri potest qui in explicanda natura omnia ad rerum speciem sensuumque judicium referret. Brandis vero et Schaubach conjecerunt apud Ciceronem Xenophanis nomen confusum esse cum Xenocrate : at Xenocrati hoc decretum placuisse non constat; idque etiamsi probasset, non tamen auctor hujus sententiae fuit, de quo apud Ciceronem agitur.

(76) In Stobaei appendice e Cod. Flor. excerpta, ad calcem editionis Gaisfordt. vol. IV, p. 6. — τὰ ἐν τοῖς μεταρσίοις scripsi pro καὶ τοῖς μετ. deinde διακρινόμ. νέφη τε συνιςάνειν pro διακριν. νέφη, τὸ συνιςάνειν — Cf. supra fragm. XI.

quidem plurima in rerum natura fieri caloris et humoris exhalatione statuit. Accedit Diogenis Laërtii testimonium [77] : τὰ νέφη συνίστασθαι ὑφ' ἡλίου, τῆς ἀτμίδος ἀναφερομένης καὶ αἰρούσης αὐτὰ εἰς τὸ περιέχον. h. e. *nubes effici a sole eductis vaporibus, qui eas in coelum cogunt.* Itaque satis probata mihi videtur haec sententia ; neque ceterorum scriptorum silentio Stobaei et Diogenis auctoritas elevatur : potius inde colligi potest, communia Xenophani haec placita fuisse cum aliis veterum a quibus eadem vel inventa essent vel diligentius explicita. Etenim quamvis Xenophanes non nominetur , ipsa tamen haec placita olim jam inter doctos innotuisse constat. Primum, quod humores e mari sursum sublatos dulces esse propter tenuitatem dixit, idem non modo postea Aristoteli, sed Diogeni etiam Apolloniatae, qui aetate Xenophani proximus erat, placuisse, Theophrasti, ut videtur, testimonio prodit Alexander Aphrodisius. Aristotelis haec sunt [78] : a sole, inquit, qui est naturae princeps, τὸ λεπτότατόν τε καὶ γλυκύτατον ἀνάγεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ φέρεται διακρινόμενον καὶ ἀτμίζον εἰς τὸν ἄνω τόπον· ἐκεῖ δὲ πάλιν συστὰν διὰ τὴν ψύξιν, κάτω φέρεται πάλιν πρὸς τὴν γῆν.

Alexander [79] ubi Diogenis opinionem de mari e

(77) Diogenes L. IX, sect. 19, ubi vulgo sic legitur : τὰ νέφη συνίστ. τῆς ἀφ' ἡλίου ἀτμίδος ἀναφ. καὶ αἰρούσης αὐτὰ ἐ. τ. π., quae corrigenda putavimus. Diogenem exscripsit Hesychius Miles. p. 31. Haec autem sententia non est contraria superiori, qua sol ipse dicitur candentibus nubilis concretus. Ibi nubila intelliguntur vapores ardentes et conglobati igniculi; hic autem nubila dicuntur humida, quae ignis fervore educuntur et siccantur.

(78) Meteor. II, 2. T. I, p. 427 F.

(79) In Aristot. Meteorol. II, f. 91 A.

Theophrasto (ipse dicit : ὡς ἱστορεῖ ὁ Θεόφραστος) retulit, haec deinceps addit : Διογένης δὲ καὶ τῆς ἁλμυρότητος ταύτην αἰτίαν λέγει, ὅτι ἀνάγοντος τοῦ ἡλίου τὸ γλυκὺ, τὸ καταλειπόμενον καὶ ὑπομένον ἁλμυρὸν εἶναι συμβαίνει. Hic ergo dulces aquae partes a sole educi sursumque ferri dixit. Quod autem his vaporibus non modo nubes et pluvias, sed ventos etiam et spiritus gigni putavit Xenophanes, idem et aliis placuisse physiologis memorat Aristoteles, dicentibus humorem quondam solis fervore ustum in vaporem conversum esse, inde spiritus aurasque exstitisse : quam opinionem Anaximandri et Diogenis fuisse annotat Alexander [80]. Hi igitur pluviarum eandem ac ventorum fecerunt originem, quam opinionem disertis verbis Aristoteles refert [81] : εἰσὶ δέ τινες οἵ φασι, τὸν καλούμενον ἀέρα κινούμενον μὲν καὶ ῥέοντα ἄνεμον εἶναι, συνιστάμενον δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον πάλιν νέφος καὶ ὕδωρ, ὡς τῆς αὐτῆς φύσεως οὔσης ὕδατος καὶ πνεύματος· καὶ τὸν ἄνεμον εἶναι κίνησιν ἀέρος. Inter auctores hujus placiti celeberrimus est Hippocrates, quem laudat Olympiodorus statuentem [82], τὸν ἄνεμον ἠέρος εἶναι ῥεῦμα καὶ χεῦμα· τούτου γὰρ κινουμένου, τοὺς ἀνέμους ἔλεγε γίγνεσθαι, ἱσταμένου δὲ τὸ ὕδωρ. Ex his testimoniis patet quod demonstrare studui, placita illa, quae Xenophani Stobaeus tribuit, nec a veterum opinione nec ab illius aetate esse aliena.

(80) Aristot. Meteor. II, 1. p. 426 C. ibid. II, 2. p. 428 A. ad q. l. Alexand. Aphrod. II, 4. p. 433 A.

(81) Aristot. Ibid. II, 13. princ. p. 421.

(82) Olympiod. schol. in Meteor. L. I, cap. 15, fol. 22 A. ex Hippocrate περὶ φυσῶν. Praecipue comparanda haec Ennii apud Varron. L. L. V, 19 : « Istic est is Jupiter quem dico, quem Graeci » vocant aërem, qui ventus est et nubes, imber postea, atque ex » imbre frigus, ventus post fit, aër denuo. »

Quum autem mare omnis fontem humoris dixerit, probabile videatur, ad eundem pertinere opinionem illam, flumina quoque e mari duxisse originem. Etsi enim non nominatim illi hoc a veteribus tributum sit, tamen ita nonnullos quondam putasse qui mare omnium aquarum fontem dicerent, perhibet Aristoteles [83]: Propter maris, inquit, vastitatem veteribus ἀρχὴ τῶν ὑγρῶν ἔδοξεν εἶναι καὶ τοῦ παντὸς ὕδατος ἡ θάλαττα· διὸ καὶ τοὺς ποταμοὺς οὐ μόνον εἰς ταύτην, ἀλλὰ καὶ ἐκ ταύτης φασί τινες ῥεῖν. Idem ab aliis alio modo probatum est, qui de fluminum origine sic existimabant [84]: τὸ ἀναχθὲν ὑπὸ τοῦ ἡλίου ὕδωρ πάλιν ὑόμενον, ἀθροισθὲν ὑπὸ γῆν, ῥεῖν ἐκ κοιλίας μεγάλης, ἢ πάντας ἐκ μιᾶς, ἢ ἄλλον ἄλλης. Duplex ergo fuit opinio: alii maris aquam foraminibus subterraneis intrare, atque ita percolatam, amissa amaritudine, fluviorum fontes efficere putabant; alii, cadentibus pluviis, aquas in terrae cavernis colligi, unde fontes et flumina scaterent. Hae opiniones cum aliis veterum placuerunt, tum etiam Anaximandri et Xenophanis sententiae de rebus naturalibus optime videntur congruere. Id tamen, si conjectura fortasse sit probabile, antiquorum auctoritate affirmari non potest.

§ 8.

Inter Xenophanis placita etiam hoc fertur, infinitos mundos esse, quod ex ejus sententia difficilius est explicatu. Qui enim tellurem principium omnis

(83) Meteor. II, 2. p. 427 E.

(84) Ibid. I, 13. p. 422 A.

naturae eandemque infinitam faceret, quomodo is infinitam esse mundorum multitudinem potuit arbitrari? Quos vero intellexerit mundos? An solem et sidera? Ea scilicet quae terrae marisque halitu procreata, neque stabili firmaque natura constare putabat? An infinitum mundorum numerum mente finxit, quos oculis non adspectaremus? At id a Xenophanis ratione abhorret, qui terram totius mundi omniumque rerum genitricem faciebat, et in quaerenda natura ad oculorum sensum omnia referebat.

Si placiti hujus auctoritas quaeratur ea, seriorum testimonio nititur, veluti Stobaei, qui sententiae ejus auctores enumerans, Anaximandrum, Anaximenem, Archelaum, Xenophanem, Diogenem (Apolloniatem), Leucippum, Democritum, Epicurum, hi omnes, inquit, statuunt ἀπείρους κόσμους ἐν τῷ ἀπείρῳ κατὰ πᾶσαν περιαγωγὴν [85]. Quam negligenter haec a Stobaeo relata sint, jam ex eo patet, quod illud κατὰ περιαγωγὴν unice conveniat in Democritum ejusque doctrinae aemulos, qui atomorum circumactu mundos effici censebant; a Xenophanis opinione, qui mundum stabili fundamento constitutum nec globosum putabat, prorsus alienum est. Accedit, quod in auctoribus hujus placiti memorandis non conveniunt. Cum Stobaeo concinit Theodoretus; dissentiunt Galenus et Plutarchus, qui Xenophanis nullam faciunt mentionem [86]. Diogenes Laërtius tamen idem placitum ei tribuit.

(85) Stobaeus I, cap. 23, p. 496. Pro περιαγωγὴν Plutarchus et Stobaeus habent περίστασιν, quod praefert Heerenus.

(86) Theodoret. Therap. serm. IV, p. 58, qui haec ab aliis compilatoribus, iisdem quos Stobaeus secutus videtur, desumsit, veluti Porphyrio, Aëtio, aliove, quos ipse nominat auctores. Galen. cap. XI. init. Plütarch. plac. phil. II, 1.

Nimirum orta videtur haec opinio posteriorum scriptorum interpretatione, qui ex aetatis suae rationibus priscorum opiniones interpretantes, mentem eorum perverterunt. Memorata supra nobis est Xenophanis sententia qua censebat, naturae rerumque omnium fundamentum tellurem non perpetuo in eodem statu permansuram, sed paullatim desidentem tandem profundo submersum iri, et terram mundumque omnem collapsurum; tum vero eandem aquis denuo emersum iri, atque ita novum rerum principium fore. Hanc autem ortus et interitus vicissitudinem perpetuam, atque ita infinitum mundorum saeculorumque ordinem fore putabat. Has ergo mutatas naturae formas κόσμους appellaverit, quo sensu nomen illud usurpatum est a veteribus;[87] posteriores vero inde effinxerint infinitam mundorum multitudinem, eodem modo quo, ut superius vidimus, propter perpetuam solis lunaeque vicissitudinem et lucis renovationem, multos soles multasque lunas ei tribuerunt [88]. Neque nostrae interpretationi obstat Diogenes Laërtius, si, ut mihi corrigendum videtur, legamus eum statuisse κόσμους ἀπείρους, οὐκ ἀπαραλλάκτους δέ, *mundos infinitos quidem numero, sed ordine et figura mutabiles* [89]. Quae Xenophanis

(87) Empedocles vs. 97:

ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἕνα κόσμον
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα κτλ.

Eodem sensu occurrit in loco Origenis quem mox explicabo. Κόσμος respondet vocabulo τάξις. Serius demum Socratis aetate ad mundum universum translatum est. Vid. Xenophon. Memor. I, 1, 11. cf. Carus de Anaxag. Cosmo-Theolog. in Ideën z. Gesch. d. Philos. p. 737 not.

(88) Vide superius p. 167.

(89) Diogen. Laërt. IX, 19. ubi vulgo sic legitur: κόσμους

videtur de mundi mutationibus fuisse opinio, eadem aliis veterum physicorum probata fuit: unum memorem Diogenem Apolloniatem, quem sic censuisse Simplicius, diligens auctor, testatur, etsi plerique, pari interpretationis errore, huic quoque mundos numero infinitos attribuunt [90].

Quibus rationibus Xenophanes in hanc opinionem de terrae totiusque mundi vicissitudine inductus sit, diligenter proditum est ab Origene, qui de eo haec memorat [91]: Δοκεῖ (τὴν γῆν) ὑπὸ τοῦ ὑγροῦ λύεσθαι, φάσκων τοιαύτας ἔχειν ἀποδείξεις, ὅτι ἐν μέσῃ γῇ καὶ ὄρεσιν εὑρίσκονται κόγχαι· καὶ ἐν Συρακούσαις δὲ ἐν ταῖς λατομίαις

ἀπείρους, ἀπαραλλάκτους δέ. Sed haec lectio parum probabilis est. Si enim hoc dicere voluisset Diogenes, scripsisset certe κόσμους ἀπείρους καὶ ἀπαραλλάκτους. Nunc particula δὲ indicat legendum esse κόσμους ἀπείρους, οὐκ ἀπαραλλάκτους δέ. Huc quoque facit complurium codd. lectio, exhibentium οὐ παραλλάκτους, quod etiam in Diogenis compilatore Hesychio Mil. p. 31 scriptum est. Error facile oriri potuit e librariorum inscitia, qui ante α negans negantem particulam οὐκ, ut supervacaneam, tollendam putaverint. Hujusmodi errores saepius occurrunt, veluti in Parmenide vs. 76 pro οὐδὲ διαίρετον alii καὶ ἀδιαίρετον, alii denique διαιρετὸν scripserunt. Difficultatem hanc vidit jam Brandis p. 50, qui legendum conjecit εὐπαραλλάκτους, eadem sententia, quam ipse proposui. Vulgatae tamen lectionis sententiam defendere studuit Cousin p. 48: « La » chose s'explique encore naturellement et sans aucun changement: » si l'on entend par κόσμους ἀπείρους καὶ ἀπαραλλάκτους (Diogenes, » ἀπαραλλάκτους δὲ) la partie inférieure de la terre qui se déroule » en régions infinies et immobiles. » *At mundos subterraneos* eosque *infinitos* an non modo Xenophanes, sed ullus veterum cogitaverit, vehementer dubito.

(90) Ritter. Gesch. d. Jon. Philos. p. 65.

(91) Origen. Philos. l. l. ἀφύης correxit Gronovius pro δάφνης. Μελίτῃ scripsi pro Μελίτη. Pro ἐπηλώθησαν libri nonnulli ἐπειλάθησαν vel ἀπηλάθησαν. Sed ducitur a πηλόω. Postrema verba, τοῦτο γίνεσθαι μεταβάλλειν, turbata sunt; melius foret οὕτω κτλ.

λέγει εὑρῆσθαι τύπον ἰχθύος καὶ φωκῶν, ἐν δὲ Πάρῳ τύπον ἀφύης ἐν τῷ βαθεῖ τοῦ λίθου, ἐν δὲ Μελίτῳ πλάκας συμπάντων θαλασσίων· ταῦτα δέ φησι γενέσθαι, ὅτε πάντα ἐπηλώθησαν πάλαι, τὸν δὲ τύπον ἐν τῷ πηλῷ ξηρανθῆναι· ἀναιρεῖσθαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους πάντας, ὅταν ἡ γῆ κατενεχθεῖσα εἰς τὴν θάλασσαν πηλὸς γένηται, εἶτα πάλιν ἄρχεσθαι τῆς γενέσεως· καὶ τοῦτο πᾶσι τοῖς κόσμοις γίνεσθαι μεταβάλλειν. «Censet tellurem humore paullatim solvi, talia afferens indicia, quod in terrae visceribus montibusque reperiantur conchae; et Syracusis in lapidicinis narrat reperta esse piscis et phocarum vestigia, in Paro aphyae formam in profundo saxo impressam; in Melite omnium marinorum generum crustas: haec ergo quondam facta esse quum omnia in limum essent conversa, deinde vestigia in luto indurata esse. Dicit quoque homines omnes perire, quum tellus demersa in lutum vertatur, deinde vero renasci omnia, et hac vicissitudine mundos omnes mutari.» Haec Origenes, cujus testimonium firmatur auctoritate Plutarchi, qui idem placitum tangit in Stromatis dicens [92]: *ἀποφαίνεται δὲ καὶ τῷ χρόνῳ καταφερομένην τὴν γῆν εἰς τὴν θάλασσαν χωρεῖν.* «Docet terram continenter et paullatim desidentem aliquando submersum iri.» Ita ergo Xenophanes levioribus indiciis ductus eadem jam de terrae ortu praeceperat, quae recentiores, terrae viscera altius perscrutati, certissimis signis confirmarunt. Sed ille quod in terra fieri videbat, idem ad totius mundi naturam retulit; eadem ratio aliorum veterum fuit, quam tangit Aristoteles, cujus verba hoc placitum egregie illustrant [93]:

(92) Apud Eusebium Praep. Eu. I, 8. p. 23.

(93) Aristot. Meteor. I, 14. p. 424 H. *οἱ μὲν οὖν βλέποντες ἐπὶ μικρὸν αἰτίαν οἴονται τῶν τοιούτων παθημάτων τὴν τοῦ ὅλου με-*

« Quum multis locis, inquit, apparerent magnae terrarum mariumque mutationes [94], veteres, quorum angustior erat acies, putarunt *easdem ad universum mundum pertinere.* Etsi autem verum est, multas nunc terras esse ubi olim mare fuit, tamen *caussa hujus rei non ad mundi naturam referenda est :* ridiculum est enim propter exiguas brevesque mutationes universum hoc moveri putare, siquidem terrae magnitudo et moles ad totum mundum puncti instar est. » Haec quae ille in veteres physicos dicit, conveniunt prorsus in Xenophanem, qui quum terram faceret praecipuam universi partem, hujus quoque mutationibus totius mundi faciem naturamque immutari censebat.

§ 9.

Jam explicuimus ea quae de Xenophanis physicis apud veteres memorata reperiuntur. In singulis horum testimoniis explorandis multa offendimus incerta et obscura, multa etiam confusa et contraria, quae non facile in ejusdem hominis mentem cadere viderentur : quo factum est ut viri docti existimaverint, aut ficta esse pleraque haec et a Xenophanis mente aliena, aut ipsum in quaerendo nulla ratione usum

ταβολὴν, ὡς γινομένου τοῦ οὐρανοῦ· . . . . ἀλλὰ τούτου τὴν αἰτίαν οὐ τὴν τοῦ κόσμου γένεσιν οἴεσθαι χρή· γελοῖον γὰρ διὰ μικρὰς καὶ ἀκαριαίας μεταβολὰς κινεῖν τὸ πᾶν· ὁ δὲ τῆς γῆς ὄγκος καὶ τὸ μέγεθος οὐδέν ἐστι δήπου πρὸς τὸν ὅλον οὐρανόν.

(94) De his mutationibus multa ex Herodoto aliisque veteribus refert Jo. Camiotes ad Theophrasti Metaph. f. 61 sq. (Ald. 1551.) Locus item insignis est apud Theophrastum de Ventis p. 233. (edit. Basil. 1541.)

conjecturas tantum protulisse parum aut nihil inter se cohaerentes [95]. Diligentius vero considerantibus apparuit, multa horum, etiam quae recentiores prodiderunt, antiquitatis fide non prorsus esse destituta, et in plerisque quae memorantur ejus placitis, quamvis multa sint recentiorum opinionibus obscurata et confusa, latere tamen vetustatis vestigia, quae comparata inter se et ex veterum mente illustrata illius sententiam quodammodo nobis repraesentent. Itaque doctorum virorum, praesertim Brandisii et Cousinii opera adjuti id jam consecuti videmur, ut et singula Xenophanis et aliorum physicorum placita sint illustriora, et universa illius quaerendi cogitandique ratio clarius pateat. Fateor quidem nonnulla Xenophani tribui, quorum fides non satis constet; sed in his ad liquidum perduci non possunt omnia; eo debemus esse contenti si probaverimus, quae illius nomine prodita sint, nec ipsius rationi nec antiquitatis ingenio repugnare.

Haec autem universe contemplantes, videmus in rebus naturalibus explicandis Xenophanem longe aliam viam atque in rebus divinis esse secutum. In his omnia ad mentem retulit, qua sola duce ad divinae naturae cognitionem tetendit; in illis ad oculos refert omnia, omnia sensuum judicio explicat. Poëtarum et vulgi fictiones ac fabulas omnia Diis plena fingentium rejecit; propius accessit ad antiquissimorum physicorum simplicitatem, qui res tales fere esse censerent, quales oculis cernerentur. Itaque licet in explicanda rerum natura multa ipse finxerit eaque absurda, talia tamen sunt quae

(95) Vid. Meiners Gesch. d. Wissensch. p. 618. Heeren ad Stobaeum, Part. I, T. II, p. 513, *q*. et p. 522, *b*.

naturae veritati magis videantur congruere. Terram facit totius mundi principium et fundamentum; quaecumque in coelo gignantur, exhalationibus et concretionibus fieri censet, omnia denique fluxa esse et mutabilia. Multa placita cum aliis veterum praesertim Ionicis habuit communia, qui plura etiam acutius et diligentius perscrutati sunt : unde non mirum eum in physicis non magnam nobilitatem esse adeptum, et Aristotelem in ceterorum placitis memorandis hujus nullam paene fecisse mentionem.

Qui autem talem informaret rerum naturam, hunc non mirum est etiam vulgares superstitiones contemsisse et divinationem sustulisse. Hanc ei sententiam tribuit Cicero Divin. I, 3 : E philosophis, inquit, « ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenopha- » nes, unus qui Deos esse diceret, divinationem » funditus sustulit; reliqui vero omnes praeter Epi- » curum . . . . divinationem probaverunt. » Quamvis vero Xenophanis menti convenire videatur haec opinio, tamen non satis certa est Ciceronis auctoritas. Si tantum diceret Xenophanem ita sensisse, posset probari; quum vero praeter Epicurum hunc unum inter antiquissimos fuisse dicit qui divinationem tolleret, quamquam idem a Plutarcho et Galeno proditum est [96], tamen antiquitatis testimonio repugnare videtur. Unus enim, cujus celebris fertur haec sententia, non Xenophanes sed Anaxagoras fuisse dicitur, qui rerum omnium rationes e naturalibus caussis repetere solebat et cujus dictum quoque hoc memoratur :

(96) Plutarch. Plac. phil. I, 5. Ξενοφάνης καὶ Ἐπίκουρος ἀναιροῦσι τὴν μαντικήν. Galenus c. XXX.

μηδὲν εἶναι τὴν εἱμαρμένην ὅλως, ἀλλ᾽ εἶναι κενὸν τοῦτο τοὔνομα.[97] Quam ob caussam ille a veteribus ἄθεος judicatus est. At, objiciat aliquis, propter hoc ipsum, quod Anaxagoras ἄθεος dictus esset, Cicero mentionem ejus non fecit, et Xenophanem memorat ut unum qui Deos esse diceret, divinationem tolleret. At quos Deos dixit Xenophanes? non eos certo quos vulgus coleret, sed unum Deum praestantiore natura. Talem vero divinam naturam etiam Anaxagoras esse voluit, mentem praedicans totius mundi principem et gubernatorem. Quamobrem si hic Deos negasse dicatur, idem de illo esset dicendum; neque vero Xenophanes, si divinationem sustulisset, ἀθέου cognomen facile effugisset. Itaque probabile est, Ciceronem amborum nomina inter se confudisse, uti modo etiam in placito de luna referendo eum fecisse vidimus [98]. Xenophani certe haec sententia, quamvis ab ejus mente non aliena fuerit, idoneis tamen testimoniis tribui non potest.

(97) Vid. Alex. Aphrod. in Aristot. de An. II, f. 161. de Fato, f. 163 A. qui loci omnes fugerunt interpretes, ipsum etiam Schaubachium in Anaxagorae Fragm. de hoc disserentem p. 38 sqq. et p. 151 sqq.

(98) Vid. supra p. 170. sq.

III.

DE RERUM COGNITIONE.

§ 1.

Postquam Xenophanis de rebus divinis et naturalibus sententiam exposuimus, restat ut de humana natura quid senserit videamus. Haec quaestio, ut est omnis philosophiae maxima, ita sero demum tractàri coepit : etenim jam dudum veteres de Deo et rerum natura multa mirabiliter senserant et praedicaverant, prius quam in ipsum hominem inquirerent. Socratis ejusque aetatis fuit haec quaestio; superiorum vero quae feruntur placita infantiam philosophiae referunt, qua veluti primum dispicientes non nisi confuse obscureque cernerent. De Xenophane ex iis, quae quamvis pauca ad nostram memoriam pervenerunt, idem existimandum est.

Diogenes L. IX, 19, memorat eum statuisse, ὅτι ἡ ψυχὴ πνεῦμα. Antiquissima et pervulgata fuit haec opinio, quam homines jam pridem communi sensu conceperant, ut ipsa nomina, tam *anima* et *animus* Latinis, quam ψυχὴ Graecis, ostendunt : significant enim spiritum, quem prisci dicebant universe vim illam qua vivimus, sentimus, agimus, cogitamus [1]. Ex communi opinione effloruit antiquissimorum vatum sententia idem probantium. Sic in Orphicis ferebatur, τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰςιέναι, ἀναπνεόντων φε-

(1) Cicero, Tusc. Qu. I, 9. Lennepius Lex. Etymol. in v. ψύχω.

ῥομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων, *e mundo intrare animam aurarum spiritu vectam*[2]; h. e. eodem spiritu, qui per universum mundum diffusus est, etiam homines animari. Primi quoque philosophi et physici eandem sententiam celebrarunt, quum animam subtilissima materie, eadem qua mundum, constare dicerent, sive ignea illa sive aetherea[3]: unde patet hoc placitum non tam Xenophani proprium, quam aetati ejus commune fuisse. Idem fere Diogeni Apolloniatae aliisque tribuit Aristoteles[4]: Διογένης δὲ, ὥσπερ καὶ ἕτεροί τινες, ἀέρα τοῦτον οἰηθεὶς πάντων λεπτομερέστατον εἶναι καὶ ἀρχὴν, καὶ διὰ τοῦτο γιγνώσκειν τε καὶ κινεῖν τὴν ψυχὴν (ἔλεγεν)· Hoc autem placitum magis ad rerum naturam et elementa quam ad animum pertinet, et physici seu physiologi potius quam philosophi habendum est.

Ad animum autem, h. e. ad vim animi et cognitionem, indagandum primum facta est progressio, cum de cognoscendi veritate coepisset dubitari. Nam ut omnis philosophiae sic hujus etiam quaestionis principium fuit dubitatio, quae et ex naturae rerumque varietate et ex opinionum inconstantia nata est: haec animo reputantibus orta est cogitatio, nihil certo scire homines, tantum de rebus opinari. Memorabile ergo in historia philosophiae hoc placitum, cu-

(2) Aristot. de Anima I, p. 485 B. Tiedemanno (Griechenl. Erste Philos. p. 54.) haec sententia doctior videbatur quam pro Orphei aetate; in quo reprehensus est a Wyttenbachio Bibl. Crit. T. II, Part. II, p. 87. Etiam Lobeckius et Bodius, qui de Orphicis diligentius et eruditius disputarunt, hanc sententiam ab istius aetatis simplicitate non judicant abhorrere. Vid. Bode, Orpheus, p. 98 et p. 153 not.

(3) Aristot. An. I, 2, p. 478 sqq. Plutarch. plac. Phil. IV, 3. alii.

(4) Aristot. l. l. p. 479 E.

jus auctorem praesertim Xenophanem fuisse veteres testantur. Ipsius servantur versus, quibus hanc sententiam prodidit : « Quaecumque, inquit, de » Diis totoque mundo a me dicta sunt, de his nemo » unquam certum sciat; ac licet etiam verum as» sequatur, ipsum tamen hoc nescit; namque in » omnibus rebus opinamur tantum : δόκος ἐπὶ πᾶσι » τέτυκται » [5]. Hoc dictum multi veterum memorarunt, sensum varie interpretati sunt : alii ad res fluxas quae sensibus percipiuntur, alii ad omnem omnis naturae cognitionem dicunt pertinere; alii in eo dubitationis modestiam laudant, alii principem faciunt scepticorum. Quod ut judicetur, ipsius verba diligentius declaranda sunt. Nihil ait manifestum esse ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων; Deos dicit non ex sua sententia (nam unum modo statuebat Deum) sed ex vulgari opinione; τὰ πάντα universam rerum naturam significant. Haec vulgo tam a poëtis quam physicis celebrabantur, qui Deos et rerum naturam suo quisque modo fingebant, et quales ipsi finxissent, tales esse affirmabant. Ista autem opinionum varietas et licentia Xenophani videtur hanc dubitationem fecisse qua judicaret, quaecumque de his praedicentur, obscura esse et incerta, eorumque increparet arrogantiam qui se haec scire profiterentur [6].

(5) Vid. fragm. XIV, supra p. 51.

(6) Ad hunc locum pertinere videntur duo Aristotelis loci, quorum utriusque non satis explicata est sententia. Alter est Metaph. III, 5. p. 672 A. ubi commemoratis iis veterum qui occultam rerum veritatem, sensus fallaces existimarent, accedit deinceps ad eos qui veritatem omnino tollerent. Superiores illi, inquit, εἰκότως μὲν λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσιν· οὕτω γὰρ ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος ἢ Ξενοφάνης. ἔτι δὲ πᾶσαν

Non alienum est cum hoc comparare Pythagorae illam et Pythagoreorum sententiam qui se non *σοφούς*,

ὁρῶντες ταύτην κινουμένην τὴν φύσιν, κατὰ δὲ τοῦ μεταβάλλοντος οὐδὲν ἀληθευόμενον, περί γε τὸ πάντῃ πάντως μεταβάλλον οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν. Primum lectio non constat. Veteres quidem interpretes legunt ὥσπερ Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνην, ut editum est a Brandisio p. 79; sed quodnam Epicharmi dictum significetur non memorant : ex ipsis igitur Aristotelis verbis eliciendum esset, sic ut opinatur Cousin, de hoc loco ita commemorans : « Nous trouvons » aussi dans la métaphysique d'Aristote un passage, duquel il re» sulterait qu'Epicharme avait dit de Xénophane : *Il a l'air d'a» voir raison, mais il a tort.* » Hic ergo Aristotelis illa, εἰκότως μὲν λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσιν, ex Epicharmi in Xenophanem dicto expressa putavit; quod vereor an sit probabile. Equidem in his nullum agnosco poëticum vestigium; videtur vero tangi ab Aristotele nota illa utriusque sententia, qua de rerum sensuumque obscuritate et inconstantia questi sunt. Xenophanis dicta memoravimus; Epicharmi versiculi exstant apud Diog. Laërt. III, 11, ubi dicit :

ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον.

Non igitur erat quod Epicharmus hac in re Xenophanem reprehenderet. Idcirco in Aristotele nescio an sic legendum sit : οὕτω γε (nempe ὥσπερ ἐκεῖνοι) ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος ἢ Ξενοφάνης εἶπον, πᾶσαν ὁρῶντες ———— ἀληθευόμενον, περί γε τὸ πάντῃ πάντως μεταβάλλον οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν. Cf. Platon. Theaet. p. 152, D. E. Haec autem sententia, quae tam Xenophani quam Epicharmo placuit, pertinet tantum ad res quae sensibus percipiuntur, non ad divinae naturae notionem quam uterque mente conceperat. Aristotelis locum tangit Grysar, de Epicharmo disputans in Quaestt. de Doriens. Comoed. p. 115. (Colon. 1828), etsi parum recte explicare videtur.

Alter autem locus, de quo monendum est, exstat de Art. poët. cap. XXV. Graefenh. ubi agitur περὶ λύσεων, s. de solutionum fontibus in artificum et poëtarum operibus aestimandis. In quibus, inquit, *si reprehendatur, quod vera non sint, respondendum, esse talia qualia debent esse* (ἐὰν ἐπιτιμᾶται ὅτι οὐκ ἀληθῆ, ἀλλ' οἷα δεῖ); *si horum neutrum, at talia esse qualia vulgo opinantur* (εἰ δὲ μηδετέρως, ὅτι οὕτω φασίν), *veluti quae de Diis fin-*

sed φιλοσόφους, non sapientes, sed studiosos sapientiae appellari voluerunt. Utrumque et superiorum sapientiae reprehensionem et novae philosophandi rationis initium continet. Hoc etiam veterum quidam animadverterunt, ut patet ex Stobaeo qui ita de Xenophane commemorat [7] : Ξενοφάνους πρώτου λόγος ἦλθεν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἄξιος γραφῆς, ἅμα παιδιᾷ τάς γε τῶν ἄλλων τολ-

gunt ; tum autem addit : ἴσως γὰρ οὔτε βέλτιον οὕτω λέγειν (τὰ περὶ θεῶν) οὔτε ἀληθῆ, ἀλλ' ἔτυχεν ὥσπερ Ξενοφάνης· ἀλλ' οὔ φασι τάδε. Ita vulgo legitur, etsi parum recte : alterutrum ἀλλ' certe vitiosum est ; pro οὔ φασι corrigendum vel οὖν vel ὅτι φ. pro Ξενοφάνης alii codd. Ξενοφάνει. Duplex autem potissimum est virorum doctorum emendatio, altera Victorii, quam multi, in iis Hermannus, secuti sunt : ἴσως γὰρ οὔτε βέλτιον οὕτω λέγειν οὔτε ἀληθῆ· ἀλλ' ἔτυχεν ὥσπερ Ξενοφάνει οὐ σαφῆ τάδε. Altera Tyrwhitti : — οὔτε ἀληθῆ ἄλλως ἔτυχεν, ὥσπερ Ξενοφάνης· ἀλλ' οὖν φασι τάδε. Latine : *profecto enim neque praestabilius est haec de Diis praedicare neque verum, sed ut Xenophani videtur, incerta sunt ista, et opinabilia* ; vel : *neque praestabilius, — neque verum, ut ait Xenophanes ; at tamen vulgaris haec est opinio.* Harum utra verior sit, nolo statuere. Altera spectat ad Xenophanis sententiam de qua nunc agimus, altera ad fabularum reprehensionem de qua vidimus fragm. V-VII. Vulgatam lectionem sequitur Cousin p. 58, eamque sic interpretatur : « Il n'est peut-être pas » fort juste de dire : cette représentation n'est pas selon la vé» rité des choses et n'est que le fruit de l'imagination, une sim» ple possibilité, comme le dit Xénophanes il faut prouver que » cela est contre l'opinion. » Cujus interpretationis veritatem equidem praestare non ausim.

(7) Stobaeus, Part. II, L. I, 1, p. 14 sq. Idem quod hic de Xenophane, de Pythagora dicit Hermias in Plat. Phaedr. extr. p. 204 Ast. πάντων δὲ τῶν (add. πρὸ) Πυθαγόρου καὶ περί τι ἐπιστημόνων σοφῶν καλουμένων, ὁ Πυθαγόρας ἐλθὼν τὸ θεῖον μόνον σοφὸν ἐκάλεσεν, ὡς ἐξαιρετὸν τὸ ὄνομα τῷ θεῷ ἀπονείμας, τοὺς δὲ ὀρεγομένους σοφίας φιλοσόφους ἐκάλεσεν. Cf. Diogen. L. Prooem. sect. 12. Ammon. Herm. εἰς τὰς τοῦ Πορφυρίου ε' φώνας (ed. Ald. 1546, 8°.) fol. 5, B

μὰς ἐπιπλήττοντος καὶ τὴν αὐτοῦ παρίςαντος εὐλάβειαν, ὡς ἄρα θεὸς μὲν οἶδε τὴν ἀλήθειαν, δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται· ἡ μὲν γὰρ φιλοσοφία θήρα τῆς ἀληθείας ἐςὶ καὶ ὄρεξις καὶ τῶν συγχορευτῶν καὶ τῆς πρὸς αὐτοὺς συμφωνίας φησίν. In primis ergo illi haec laus tributa est, quod superiorum arrogantiam modestiore philosophandi ratione repressit, quod Cicero quoque et alii de eo testantur [8]. Quamquam Stobaeus quidem Xenophanis dictum e Platone ornavit et auxit : veluti hoc, ὡς θεὸς μὲν οἶδε τὴν ἀλήθειαν, convenit plane cum illis in Phaedro dictis a Socrate : τὸ μὲν σοφὸν καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν· τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἢ τοιοῦτόν τι μᾶλλον τε ἂν αὐτῷ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεςέρως ἔχοι. Item quod philosophiam dicit θήραν τῆς ἀληθείας, usurpatum illud a Platone et Platonicis, ut sapientiae studium appellent *veritatis indagationem*, τοῦ ὄντος θήραν, ut in Phaedone dicit Socrates. Denique quod eadem ὄρεξις καλῶν συγχορευτῶν (sic enim legendum puto) καὶ τῆς πρὸς αὐτοὺς συμφωνίας habetur, admonet nos τῶν ἐρωτικῶν, quorum studio et scientia se excellere Socrates profitetur, quum pulcri amorem optimum existimat philosophiae ducem, quo colendo veritatis virtutisque studium in juvenum animis accendatur [9]. Animadvertenda haec duximus, ne in Xenophanem conferantur ea quae nec aetas ejus nec ingenium ferebat. Jam haec dubitatio eo videtur valuisse, ut

(8) Cicero Acad. Qu. IV, 25. Timo ap. Sext. Empir. Pyrrh. I, 224. ceteros philosophos omnes arrogantes dicit, hunc ὑπάτυφον appellat.

(9) Platonis loci exstant in Phaedr. p. 178 D. in Phaedon. p. 17 Wytt. ad q. l. cf. annot. p. 155. Proclus Theolog. Platon. I, 1. Idem in Parmen. vol. IV, p. 38, ed. Cousin. De amore agit van Heusde philos. Platon. Initia, p. 96 sqq.

Xenophanes ab incerta rerum natura sensuumque consuetudine mentem avocaret, et extolleret ad concipiendam illam divinitatis notionem, quam unam esse revera et aeternam dixit. Sed quaeritur, num in ipsam quoque τοῦ ὄντος naturam dictum sit illud δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται. Timo quidem Scepticus Xenophanem inducit querentem, quod ne seni quidem contigisset verum perspicere [10] :

Ὡς καὶ ἐγὼν ὄφελον πυκινοῦ νόου ἀντιβολῆσαι
ἀμφοτερόβλεπτος· δολίῃ δ' ὁδῷ ἐξαπατήθην·
πρεσβυγενὴς ἔτ' ἐὼν καὶ ἀπενθήριςος ἁπάσης
σκεπτοσύνης.

Quae obscurius dicta sic verti possint : *Utinam verae mentis compotem esse mihi contigisset, qui senex etiam in considerando halucinor* (*ancipiti enim via sum deceptus*) *et in omni disceptatione sum ambiguus.* » Sic etiam alii Xenophanem sensisse dicunt, nihil om-

(10) Timo apud Sext. Empir. Pyrrhon. I, sect. 224, p. 58. qui ut in verborum usu saepe insolens est, etiam hic nonnulla parum perspicue dixit. Ἀμφοτερόβλεπτος Brandis interpr. *utramque partem caute circumspiciens;* at hoc parum convenit cum eo quod subjungitur : δολίῃ δ' ὁδῷ ἐξαπ. Composita cum ἀμφὶ et ἀμφότερον saepe *dubitationis* et *ambiguitatis* habent vim; itaque ἀμφοτερόβλεπτος intpr. *in considerando incertus*, *halucinans*, simili sensu quo ἀμφοτερόγλωσσος dictus est Zeno Eleaticus. Major est difficultas in corrupta voce ἀπενθήριςος. Schneiderus, qui corrigit ἀναμφήριςος, non longe a vero abesse videtur, nisi quod negans particula ἀν — non conveniens est. Ἀμφήριςος (ab ἔρις) sign. ἀμφίβολος, ἀμφίλογος. Potest autem, ut multa verbalia in τος, etiam active poni, pari significatione et usu quo ἀμφίλεκτος, *in contendendo et disputando anceps*, quod h. l. congruum est. Itaque corrigendum puto : ἐπ' ἀμφήριςος ἁπάσης σκεπτ. vel uno vocabulo ἐπαμφήριςος, ut ἐπὶ ad seq. genitivum pertineat. Quam parum ac paene nihil hoc distet a vulg. scriptura, cuique patet.

nino ulla in re sciri posse : *μηδὲν εἶναι καταληπτὸν ἐν τῇ φύσει τῶν ζητουμένων*, ut memorat Sextus. Idem tamen alio loco dicit, Xenophanem, quae de Deo existimat, sine dubitatione proferre (*δογματίζειν*) [11]. Similiter Galenus [12]. *Ξενοφάνην περὶ πάντων ἠπορηκότα, δογματίσαντα δὲ μόνον τὸ εἶναι πάντα ἕν, καὶ τοῦτο ὑπάρχειν θεόν* [13]. Probabile quidem est Xenophanem in contemplanda divina natura sensisse, hanc majorem et praeclariorem esse quam quae cogitatione possit comprehendi, atque interdum, quum altius mentem intenderet, in cogitando vacillasse ; illud vero haud probabile, eum, quum relictis sensibus novam ingressus esset philosophandi viam, hanc pariter ancipitem et incertam existimasse. Ista igitur dubitatio praesertim ad rerum naturam et vulgares opiniones referenda est. Sic ille inchoasse videtur quod deinceps persecutus est Parmenides, qui veritatem ab opinione manifesto distinxit.

(11) Adv. Mathem. VII, sect. 52. Pyrrhon, I, 223.

(12) Hist. Philos. cap. III. p. 24. F.

(13) Diogenes Laërt. IX, 20, sic refert : *φησὶ δὲ Σοτίων, πρῶτον αὐτὸν εἰπεῖν ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πάντα, πλανώμενος.* Quid sibi velit istud *πλανώμενος*, non satis perspicuum : si Sotionis errorem arguere voluit Diogenes, rationem certe addidisset. Dubitavi, num ortum esset illud *πλανώμενος* ex *πλὴν μόνου τοῦ ἑνός*. — Huc addendus S. Epiphanius, adv. Haeres. L. III, T. 2, (Vol. I, p. 1087.) quo libello nihil est in suo genere vitiosius et turbatius : *εἶναι δὲ τὰ πάντα, ὡς ἔφη, οὐδὲν ἀληθές*· (fort. corr. *εἶναι δ. τ. πάντα ἓν ἔφη· οὐδὲν ἀληθές.*) *οὕτως τὸ ἀτρεκὲς ἡμῖν ἄδηλον, δόκησις δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, μάλιστα τῶν ἀφανῶν.*

§ 2.

Ex illa autem sententia fluxisse videntur alia quaedam Xenophani a veteribus attributa de mentis sensuumque judicio. Plutarchus [14] : ἀποφαίνεται δὲ καὶ τὰς αἰσθήσεις ψευδεῖς, καὶ καθόλου σὺν αὐταῖς καὶ αὐτὸν τὸν λόγον διαβάλλει. Hoc teste, Xenophanes non modo sensuum sed rationis etiam vim labefactavit. Alii vero sensus solum ab eo sperni dicunt, rationis auctoritatem probari. Aristocles in libris de philosophia [15]: Quidam, inquit, censent, δεῖν τὰς μὲν αἰσθήσεις καὶ τὰς φαντασίας καταβάλλειν, αὐτῷ δὲ μόνῳ τῷ λόγῳ πιςεύειν· τοιαῦτα γάρ τινα πρότερον μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ζήνων καὶ Μέλισσος ἔλεγον, ὕςερον δὲ αἱ περὶ Στίλπωνα καὶ τοὺς Μεγαρικούς. Stobaeus item in iis qui ψευδεῖς τὰς αἰσθήσεις statuerent, Xenophanem numerat [16]. At Xenophanes etsi ea, quae sensus moverent, fluxa et incerta judicaret, ipsam tamen sentiendi et intelligendi vim (τὴν δόξαν et τὸν λόγον) distinxisse, non est probabile; nam si fecisset, non foret tanta de sententia ejus controversia, quae nunc ex eo nata est quod dicta illa, quae modo attulimus, varie suo quisque modo interpretarentur.

Magis etiam a Xenophane alienum est quod de veritatis criterio eum cogitasse dicunt, ut memorat Sextus, cum laudatis illis versibus dicit [17], vi-

(14) In Stromatis apud Euseb. Praep. Eu. I, 8, p. 23 B.
(15) Ap. Euseb. ibid. XIV, p. 756. B. C.
(16) Ms. Florent. ed. Gaisfordt. p. 71. Euseb. l. l. p. 718 D.
(17) Sext. Emp. adv. Mathem. VII, sect. 110. In eandem sententiam atque Sextus interpretatur Proclus in Timaeum p. 78 : ἄλλων γὰρ ἄλλο τὸ κριτήριον θεμένων, τῶν μὲν αἴσθησιν, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοί φασιν, τῶν δὲ δόξαν, ὥσπερ ὁ λέγων, δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, τῶν δὲ λόγον.

deri eum *μὴ πᾶσαν κατάληψιν ἀναιρεῖν, ἀλλὰ τὴν ἐπιστημονικήν τε καὶ ἀδιάπτωτον, ἀπολείπειν δὲ τὴν δοξαστήν· τοῦτο γὰρ ἐμφαίνει τὸ δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται· ὥστε κριτήριον γίγνεσθαι κατὰ τοῦτον τὸν δοξαστὸν λόγον, τοῦτ' ἐστὶ τὸν τοῦ εἰκότος, ἀλλὰ μὴ τὸν τοῦ παγίου ἐχόμενον* (h. e. *τὸν τῆς ἀληθείας*). Ipsa nomina *κατάληψις*, ***veri comprehensio***, *κριτήριον*, *λόγος δοξαστὸς* et *ἐπιστημονικὸς*, quae Stoicis et Academicis debentur, satis arguunt recentioris aevi notiones, quas ne suspicabatur quidem Xenophanis aetas. Idem dicendum de eo, quod nonnulli huic tribuerunt *τὴν ἀκαταληψίαν*, ***nihil posse comprehendi*** sive ***cognosci*** [18], et principem eum dixerunt Scepticorum. Nam quamvis de omnibus etiam rebus (quod non fecit) dubitasset, non ideo scepticus posset haberi; nisi fortasse et is, qui primus suam aliquam de divino numine vel de rerum origine sententiam dixerit, theologus vel physicus habendus sit. Scepticismus non est simpliciter dubitatio, sed certa dubitandi ratio et disciplina, quae aliquot demum aetatibus post orta est. Sed nata est haec opinio ex eo praesertim, quod ista cognitionis dubitatio post Xenophanem magis magisque invaluit, praecipue inter Megaricos, qui Eleaticis cognati atque adeo iidem habiti sunt [19], et horum successores Pyrrhonicos, qui Pyrrhone auctore item Eleae scepticismi jecerunt fundamenta. Quo facile factum est, ut horum rationem etiam ad antiquio-

(18) Origenes, l. l. laudans ejus dictum quod attulimus, *οὗτος ἔφη πρῶτος, ἀκαταληψίαν εἶναι πάντων.* Sextus Empir. supra memoratus, VII, 52.

(19) Vid. Diog. L. II, 106. Cicero. Quaest. Acad. IV, 42. Megaricorum principes dicit Xenophanem, Parmenidem, Zenonem, eosdemque Eleaticos. Cf. Spalding. Commentar. in libellum de Xenoph. Zen. et Gorg. p. 3 sq.

res Eleaticos transferrent, et a Xenophane disciplinae hujus initium repeterent, praesertim cum sceptici, quo majorem sibi conciliarent auctoritatem, nobilissimum quemque veterum inter suae disciplinae auctores et aemulos studerent numerare [20]. Eadem caussa explicandum quod quidam dialecticae artis auctorem eum existimarunt. Quod si ita intelligatur, Xenophanem in primis philosophorum fuisse, qui ratione de Deo philosophatus sit, potest probari; si vero significetur, dialecticam artem ab illo auctore conditam esse, minime probandum est. Ita tamen nonnulli voluerunt. Sextus Empiricus [21]: τῶν δὲ διμερῆ τὴν φιλοσοφίαν ὑποςησαμένων, Ξενοφάνης μὲν ὁ Κολοφώνιος τὸ φυσικὸν ἅμα καὶ λογικὸν, ὡς φασί τινες, μετήρχετο. Eristicae quoque artis eum auctorem facit Aristocles [22]: Ξενοφάνης δὲ καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνȣ, τοὺς ἐριςικοὺς κινήσαντες λόγȣς πολὺν μὲν ἐνέβαλον ἴλιγγον τοῖς φιλοσόφοις, οὐ μὴν (inserend. fort. ἀλλὰ) ἐπόρισάν γέ τινα βοήθειαν. Nimirum quum Xenophanis et Parmenidis ratio, qua de natura disseruissent, subtilior esset et abstrusior, eorum argumentationibus posteriores abusi sunt ad inanem disserendi jactationem, qua obscurarunt magis quam illustrarunt philosophiam. Multi hujusmodi σοφοὶ erant

(20) Vid. Diog. Laërt. IX, 72 sq. Scepticen subtilius definire et accuratius a ceteris disciplinis distinguere instituit Sextus Empiricus Pyrrhon. I, c. 29 sqq.

Caeterum e recentioribus, qui de hac Xenophanis sententia quaesiverunt, Baylius eum perfectum paene facit scepticum, Diction. *Xenoph.* not. L. Hunc jam redarguere instituit Brucker. Hist. crit. phil. p. 1154. Eandem quaestionem tractant Brandis. p. 60 sqq. Cousin, p. 87 sqq. cum cujus judicio meum maxime concinit; Ritter Gesch. d. Phil. p. 459.

(21) Adv. Math. VII, 14.

(22) Euseb. Praep. Eu. XI, p. 510 C.

Socratis et Platonis aetate, Eleatici, Megarici, Heraclitici, quos hic non semel carpit, ut in Cratylo, cum dicit [23] : καὶ τῶν νῦν αἱ πολλαὶ τῶν σοφῶν, ὑπὸ τοῦ πυκνὰ περιστρέφεσθαι ζητοῦντες ὅπῃ ἔχει τὰ ὄντα, ἀεὶ ἰλιγγιῶσι, κᾆπειτα αὐτᾶς φαίνεται περιφέρεσθαι τὰ πράγματα καὶ πάντως φέρεσθαι. Hoc dictum, quod de multis posteriorum Eleaticorum valet, non recte in disciplinae hujus auctores Parmenidem et Xenophanem Aristocles transtulit. Potius in Zenonem convenit, qui quae praeceperat Parmenides subtilius et argutius disputavit : quare hunc merito Aristoteles appellavit dialectices inventorem [24].

Vidimus ergo quo valuerit illa Xenophanis dubitatio. Haec prima fuit via, qua animus ad sui cognitionem . tenderet et vim ipsa suam, mentem et cogitationem, agnosceret. Hanc viam ille quidem aperuit; persecuti sunt posteriores qui, quae ille monstraverat, diligentius explicuerunt, veluti Parmenides, qui (ut modo memoravi) opinionem a veritate, mentem a sensibus clarius distinxit. Xenophani vero ipsam mentis notionem nondum fuisse perspectam, tota ejus ratio declarat [25]. Quanto minus huic tribui potest tripartita illa animi divisio in ψυχὴν, νοῦν, φρένας, quam sententiam a nullo quidem veterum memoratam, Brandis ex ipsius versu quodam efficere studuit, eo praesertim inductus, quod idem placitum Pythagorae a nonnullis scriptoribus esset tributum [26]. Etsi fatendum est id non minus a Pythagorae quam Xe-

(23) Platon. Cratyl. p. 411, B. C.

(24) In Sophista, deperdito libro. Vid. Diogen. L. VIII, 57. Sextus Emp. Math. VII, 7.

(25) Tetigimus id supra p. 139 sq.

(26) Brandis Comment. Eleat. p. 37. usus versu illo, quem exposui

nophanis aetate et doctrina abhorrere. Posteriorum Pythagoreorum fuit haec sententia, ut Philolai [27] aliorumque, a quibus immerito, ut multa alia, in auctorem hujus disciplinae translata est.

Jam singulatim explicuimus quae de Xenophane prodita sunt; nunc universa paucis comprehendamus. Profectus est a poëtarum fictionibus et fabulis, quibus tam Deorum religio quam vitae disciplina erat oppleta: has non solum ut futiles irrisit, sed etiam ut impias et Diis indignas refutavit. Quos vulgo Deos putarent, coelum, sidera, solem, nihil aliud esse docuit nisi nubeculas et auras natura concreta et caduca, in quibus nihil esset immortale, nihil divina praestantia dignum. Hanc naturam mente investigans quaesivit praeclarius quiddam, quod aeterum esset et perfectum, id est tale quod a naturae concretione disjunctum sola mente possit comprehendi. Sic a divina natura fecit philosophandi principium. Hoc propositum philosophiae cum aliis artibus fuit commune: ut enim poësis, ut sculptura a rebus divinis celebrandis profecta est, primique vates et artifices in Deorum majestate praedicanda et imaginibus fin-

fragm. III. Neque tamen pro certo id affirmari posse ipse jam animadvertit p. 58. Improbavit Cousin p. 83, et Ritter Gesch. d. Phil. p. 453. Pythagorae hoc placitum tribuunt Diogenes L. VIII, 30. Plutarch. plac. Phil. IV, 4. alii.

(27) Vid. Boeckh. Philol. p. 190.

gendis praecipue versati sunt, similiter haec omnium artium princeps a naturae divinae contemplatione profecta est, in cujus specie exprimenda interiores animi sensus expressit. Sed ille quum ad hanc quaestionem accederet dialectices paene ignarus, non mirum si et ipse et alii, qui eum secuti sunt, in disserendo parum subtiles et interdum ἀγροικότεροι[28] fuerint: haec tamen laus merito ei tributa, quod relictis ceterorum sententiis novam viam esset ingressus, eoque deduxisset philosophiam ubi ex sese pendeat sola, nec quidquam habeat nisi notiones illas a natura in animis adumbratas et ab omni sensuum perceptione remotas [29]. Itaque ejus exemplum maximam vim habuisse videtur in sequentium tam Pythagoreorum quam Eleaticorum rationem, qui quaestiones ab illo institutas de rerum essentia, de uno, de aeterno, de absoluto, subtilius persecuti sunt et plenius explicuerunt.

Qui vero de Deo tam magnifice sentiebat, idem in rerum natura nihil admodum praeclarum, nihil excelsum spectat. Numen divinum e mundo paene tollit; omnia ad naturalem vim, concretionem et exhalationem, refert; ex oculorum sensu omnia judicat. Licet quaedam accuratius exploraverit, in plerisque tamen extra vulgares aetatis suae opiniones non est progressus. Quo factum est, ut in physicis multo minorem quam in metaphysicis (ut hoc verbo utar) celebritatem sit adeptus. In utrisque diversam secutus

(28) Ut judicat Aristoteles Metaph. I, 5, p. 648 F.

(29) Cf. verba Brandisii p. 75. Plutarch. in Strom. apud Euseb. Praep. Eu. p. 23, A: Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ἰδίαν τινὰ ὁδὸν πεπορευμένος καὶ παρηλλαχυῖαν πάντας τοὺς προειρημένους.

est philosophandi viam : in altera dominatur Italicae philosophiae studium in mentis cogitatione positum; in altera cernitur Ionicorum philosophorum ingenium ad sensuum judicium omnia referentium [30]. Hinc duo quodammodo proposita sunt genera philosophiae, alterum divina, alterum terrena et humana complectens : utrumque diligentius distinxerunt Eleatici et divina ab humanis plane separarunt; illa, in mentis cogitatione posita, studiose admirati, haec quae in oculorum conspectu sunt collocata, paene contemserunt.

E Xenophanis philosophandi ratione facile intelligitur, quod hic in primis fuisse traditur qui de veritatis cognitione coepit dubitare. Quum enim relicta vulgari opinione novam viam esset ingressus, quid mirum si *avia* illa *Musarum loca* peragrans, *nullius ante trita solo*, vacillaret interdum et rerum obscuritas aciem ejus praestringeret, quo quasi halucinans exclamaret incerta esse omnia, nihil posse cognosci. Praesertim in contemplanda natura quum consideraret multiplicem rerum omnium varietatem et inconstantiam, existimavit in his nihil certum esse, omnia in opinione versari. Sic nata est cognitionis dubitatio, quae ut melioris philosophiae fuit initium, sic etiam peperit captiosam illam Sophistarum rationem, qui inani disserendi aucupio rerum cognitionem obscurarunt.

(30) Cousin l. l. p. 84 sqq.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 2. Timaei testimonium inter fragmenta ejus retulit Goeller, de situ et orig. Syrac. p. 264, qui item corrigi vult ἄχρι τῶν Κόρου τε καὶ Δαρείου χρόνων.

p. 4. In loco Theologumenon non animadverti, quod etiam novissimum editorem Boeckhium fugit, pro Φωκεῖς scribendum esse Φωκαεῖς, ut jam dudum monuit Mahne V. C. de Aristoxeno p. 210 sq. ubi hunc locum explicat.

p. 13, n. 25) Platon. Sophist. p. 224, scribendum, p. 242.

p. 14, n. 28) Panaetii testimonium apud Diog. Laërt. XI, 20, tetigit Van Lynden, de Panaetio, p. 115.

p. 20, l. 3. Diogenes L. IX, 10, scribendum, IX, 20.

p. 26, n. 57. Ad verba, etiam *Satyrae*, addend. (vel potius *Satirae*).

Fragm. II, p. 36, l. 7. Diogenis et Plutarchi testimoniis addatur hoc: Idem significat Aristoteles de Xen. Zen. Gorg. c. IV: ὅτι πάντῃ ἀκούει καὶ πάντῃ κρατεῖ. Vid. inferius p. 129, n. 54.)

Fragm. VI, p. 42, vs. 5. Epicharmi quos attulimus versus emendatiores dedit G. Dindorf, Aristophanis fragm. p. 200.

Fragm. X, p. 47, l. 3. Simplicius ad Aristot. Phys. 1, p. 258 E. addendum, f. 41 A.

Fragm. XIV, p. 51, l. 13. Addendum: Postremam sententiam δόκος δ' refert item Stobaeus Eclogg. P. II, p. 14. Heeren.

Fragm. XXI, p. 68, lat. vers. vs. 9. avi, corrig. flavi.
vs. 11. oribus, — floribus.

Ibid. p. 71, vs. 11. Ad illustrandam dictionem ἂν τὸ μέσον Theognidi adjungatur Alcaei fr. apud Heraclid. Pont. p. 413, in Fragm. collect. Lips. p. 317, 2.

Fragm. XXVI, p. 80, l. 16. πιμπλῷ, corrig. πιμπλῶ.

Fragm. XXVII, p. 81. Adnotentur haec: Pro ἱλάται vir doctus scribendum censuit βάκχοι, quod verbum videri hoc loco desiderari, etiam ipse monui. Lobeckius in Aglaophamo,

qui liber modo mihi in manus venit, t. I, p. 308, mavult hunc versum sic emendari :

ἑστᾶσιν δ' ἐλατῶν πυκινοὶ περὶ δώματα βάκχοι.

Caeterum haec verba alicujus sunt momenti ad illustrandum nomen βάκχοι.

Fragm. XXXI, p. 83. Xenophanis testimonium, Homerum quam Hesiodum natu maiorem fuisse, fugit eruditissimum Bode, de utriusque aetate subtiliter quaerentem in Orph. p. 49, sq. not. Quod si animadvertisset, non statuisset, credo, ante Ephori tempora nullum fuisse Graecorum, qui Homerum faceret Hesiodo antiquiorem.

p. 119, n. 26) ἀσκηθής Vocabulum, corrigend. Vocabulum ἀσκηθής.

p. 128, n. 50) Metaph. III, § 2. corrig. Metaph. III, 1 et 2.

p. 145, l. 14. nemisceamus, corrig. ne misceamus.

p. 146, n. 5) Plutarch. plac. phil. addendum, III, 11.

p. 176, n. 85) περιαγωγὴν Plutarchus et Stobaeus, corrigendum, Plutarchus et Galenus.

p. 189, n. 8) Cicero Acad. Qu. IV, 25, corrigend. IV, 23.

INDEX AUCTORUM

QUI DE XENOPHANE MEMORARUNT.

Achilles Tatius

Isagoge in Arat. c. 4. — p. 49, 154.
c. 11. — p. 164 sq.

Alexander

apud Simplic. Phys. f. 6. — p. 108, 125 sq.

Apollodorus

apud Diogen. Laërt. IX, 18. — p. 1.
— Clem. Alex. Strom. I, p. 301. — p. 2.

Apuleius

Florid. IV. — p. 26.

Aristocles

apud Euseb. Praep. Eu. XI, p. 510. — p. 194 sq.
XIV, p. 756. — p. 192.

Aristoteles

De Xen. Zen. Gorg. c. 2. — p. 152, 159.
c. 3. — p. 97—106, et deinceps passim.
c. 4. — p. 111 sq. 116, 129.
Rhetor. I, 15. — p. 79.
II, 23. — p. 85, 113.
Phys. I, 5. — p. 148 sq.
Metaph. I, 3. — p. 151.
I, 5. — p. 95, 125, 133, 197.
III, 5. — p. 134, 186 sq.
De coelo, II, 13. — p. 152.

De arte poët. c. 25. — p. 187 sq.
Mirab. Ausc. t. I, p. 876. — p. 158.

Athenaeus
II, p. 54. — p. 25, 55.
IX, p. 368. — p. 75.
X, p. 413. — p. 59.
XI, p. 462. — p. 68.
p. 782 (p. 213 Schweigh.). — p. 77.
XII, p. 526. — p. 65.
XIV, p. 632. — p. 18.

Bessarion
Adv. calumn. Plat. II, 11. — p. 107, 139.

Censorinus
De die nat. c. 15. — p. 14.

Chalcidius
In Platon. Tim. s. 279. — p. 137

Cicero
Nat. Deor. I, 11. — p. 125, 135 sq. 139.
I, 27. — p. 42 sq.
Acad. Qu. IV, 23. — p. 18, 189.
IV, 37. — p. 135.
IV, 39. — p. 170.
IV, 42. — p. 193.

Clemens Alexandrinus
Stromat. I, p. 301. — p. 2.
V, p. 601. — p. 25, 113, 39, 41.
VII, p. 711. — p. 40.

Cosmas Indopleustes
p. 149. — p. 154.

Demetrius Phalereus
apud Diog. Laërt. IX, 20. — p. 14.

Diogenes Laertius
Prooem. s. 15. — p. 4, 8.
I, s. 111. — p. 8, 84.

II, s. 106. — p. 193.
VIII, s. 36. — p. 56.
VIII, s. 56. — p. 3, 14, 27.
IX, s. 5. — p. 14.
IX, s. 18. — p. 1, 3, 4, 11 sq. 15—17, 19 sqq. 131, 155.
IX, s. 19. — p. 36, 78, 88, 138-140, 146, 173, 177, 184.
IX, s. 20. — p. 1, 4, 14, 20, 87, 191.
IX, s. 22. — p. 27.
IX, s. 72. — p. 51.
IX, s. 111. — p. 25.

Empedocles.

apud Aristot. Coel. II, 13. Xen. Zen. Gorg. 2. — p. 152.

Etymologicum Magnum

V. γηράς. — p. 80.
V. βρόταχος. — p. 83.

Epiphanius

Adv. Haeres. vol. I, p. 1087. — p. 146, 191.

Eusebius

Praep. Eu. I, p. 23. (Vid. Plutarchus, Stromat.)
X, p. 504. — p. 3.
XI, p. 510. — p. 194.
XIII, p. 678. — p. 35, 39, 41.
XIV, p. 718. — p. 192.
XIV, p. 756. — p. 192.
XIV, p. 757. — p. 3.
XV. (Vid. Plutarchus, de plac. phil.)

Eusebius

Can. Chron. Olymp. 56, 4. 60, 2. — p. 4, 21 sqq.

Eustathius

Iliad. β, 212. — p. 24.
η, 99. — p. 46, 147 sq.
λ, 27. — p. 49.

Galenus

De differ. puls. III, 1. — p. 51.
In Hippocr. nat. hom. I, 1. — p. 150.
Hist. phil. c. 3. — p. 126, 133, 140, 146.
c. 13. — p. 164, 165, 170.
c. 14. — p. 161 sq. 166-170.
c. 15. — p. 162.
c. 21. — p. 146, 154, 156.
c. 30. — p. 182.

A. Gellius

Noct. Att. III, 11. — p. 16, 83.

Heraclitus

apud Diog. Laërt. IX, 1. — p. 13.

Hermippus

apud Diog. Laërt. VIII, 56. — p. 3.

Hesychius Milesius

(Vid. Diogenes Laërtius, quem ille descripsit.)

Joannes Philoponus

Phys. Lit. A, f. 5. — p. 126.
Lit. D, f. 1. — p. 47.

Lactantius

Instit. Div. III, 23. — p. 170 sq.

Lucianus

Macrob. s. 20. — p. 1, 4, 14.

Minucius Felix

Octav. c. 19. — p. 125.

Nicolaus Damascenus

apud Simplic. Phys. f. 6. — p. 108, 125.

Origenes

Philos. c. 14. — p. 2, 51, 126, 137, 146, 154, 159 sq. 166-168, 178 sq. 193.

Panaetius

apud Diog. Laërt. IX, 20. — p. 14.

Plato

Sophist. p. 242. — p. 13, 92-95, 132.

PLUTARCHUS
De aud. poët. p. 15. — p. 51.
Apophth. p. 175. — p. 17.
De Isid. et Osir. p. 379. — p. 86.
Pyth. orac. p. 402. — p. 27.
De vitios. pud. p. 530. — p. 87.
Sympos. IX, p. 746. — p. 53.
Amator. p. 763. — p. 86.
Adv. Stoicos. p. 1084. — p. 88.
Strom. ap. Euseb. Praep. Eu. I, p. 23. — p. 36, 111, 115, 137
146, 154, 161 sq. 164, 179,
192, 197.
Vit. Hom. — p. 45 sq.
De plac. phil. I, 5. — p. 182.
II, 4. — p. 137.
13. — p. 165.
15. — p. 170.
18. — p. 164.
20. — p. 161 sq.
24. — p. 166-170.
25. — p. 162.
III, 9. — p. 154, 156.
11. — p. 146.

POLLUX
VI, 46. — p. 26, 82.
IX, 83. — p. 84.

PORPHYRIUS.
apud Jo. Philop. Phys. D, f. 1.
et apud Simplic. Phys. f. 41. — p. 46 sq. 148 sq.

PROCLUS
in Plat. Tim. p. 78. — p. 51, 192.
in Hesiod. Opp. p. 67. — p. 25.

SABINUS
apud Galen. Nat. hom. — p. 150.

SCHOLIASTAE
Villois. in Homer. Il. β, 212. — p. 24.

ν, 99. — p. 45 sq.
λ, 27. — p. 50.
Minor. in Homer. Il. ν, 99. — p. 45 sq.
Leydens. ms. in Homer. Iliad. — p. 50.
in Aristophan. Equit. vs. 406. — p. 80.
Pac. vs. 696. — p. 81.
in Platon. Ruhnk. p. 172. — p. 166.

SCRIPTOR VITAE HOMERI
Opusc. Myth. etc. Gal. p. 324. — p. 48.

SEXTUS EMPIRICUS
Pyrrhon. Hyp. I, s. 223. — p. 191.
I, s. 224. — p. 16 sq.
I, s. 225. — p. 136, 140.
II, s. 18. — p. 51.
II, s. 30. — p. 46.
III, s. 30. — p. 146.
III, s. 218. — p. 136, 140.
adv. Mathem. I, s. 257. — p. 3.
I, s. 289. — p. 43.
VII, s. 14. — p. 194.
VII, s. 49 et 110. — p. 51, 192 sq.
VII, s. 52. — p. 191, 193.
VIII, s. 326. — p. 51.
IX, s. 144. — p. 35.
IX, s. 193. — p. 43.
IX, s. 361. — p. 46, 146.
X, s. 313. — p. 45 sq. 146.

SIMPLICIUS
in Aristot. Phys. f. 5. — p. 145.
f. 6. — p. 37 sq. 106-108, et deinceps passim.
f. 7. — p. 126, 128.
f. 41. — p. 47.
— de Coelo. f. 127. — p. 30, 153.

SOTION
apud Diog. Laërt. IX, 18. — p. 3.

STOBAEUS

Eclogg. Phys. etc. Heeren. I, p. 224. — p. 53.
p. 294. — p. 26, 45 sq.
p. 416. — p. 137.
p. 496. — p. 176.
p. 512 sq. — p. 164 sq.
p. 514. — p. 164.
p. 522. — p. 161 sq. 166, 169.
p. 534. — p. 159, 167, 170.
p. 550. — p. 162.
p. 556. — p. 165.
p. 560. — p. 166.
p. 580. — p. 164.
p. 592. — p. 164.
II. p. 14. — p. 188.
Florileg. Gaisf. tit. 29, 41. — p. 53.
— append. Florent. p. 6. — p. 48, 172.

STRABO

XIV, s. 28. — p. 2, 23 sq.

SYNCELLUS

Chron. p. 190, 203. — p. 3.

SUIDAS

V. ἥκιστα. — p. 88.

THEODORETUS

Therapeut. II, p. 22. — p. 145.
III, p. 49. — p. 39-41.
IV, p. 57. — p. 126, 137, 145.
IV, p. 58. — p. 176.
IV, p. 59. — p. 162, 165.

THEOLOGUMENA ARITHMETICA

Boeckh. p. 40. — p. 4.

THEOPHRASTUS

apud Simplic. Phys. f. 6. — p. 106 sqq. 133.
apud Bessarion. adv. cal. Plat. II, 11. — p. 107.

apud Galen. nat. hom. I, 1. — p. 150.
apud Stobaeum Eclog. I, 26. — p. 161.

Theopompus

apud Athen. in Fragm. ed. Wichers. 129. — p. 66.

Timaeus

apud Clement. in Fragm. ed. Goeller. 64. — p. 2.

Timo Phliasius

apud Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I, s. 224. — p. 118, 119, 136, 190.
ibid. et apud Diog. Laërt. IX, 18. — p. 16, 44.

Tzetzes

Chiliad. VII, 519. — p. 139.

INDEX VOCABULORUM

QUAE IN XENOPHANE MEMORANTUR VEL IN DISSERTATIONE EXPLICANTUR.

ἀγαθός, *almus*. fr. XIX, p. 60, 63.
ἀθεμίστιος. . . . fr. VII, p. 48.
αἱρεῖν. ἑλεῖν τι, *se rei alicui applicare*. . . . . p. 62.
ἀλγινόεις. fr. XIX, vs. 4. p. 60.
ἄλλοτε ἄλλῃ. . . fr. IV, p. 38.
ἄμεινον pro **τὸ ἄμεινον**. fr. XVI, p. 53 sq.
ἀμφήριστος. . . p. 190, n. 10.
Anacoluthia. fr. XIX, vs. 17. p. 61.
ἀμφοτερόβλεπτος. — **γλωσσος**. } p. 190, n. 10.
ἂν et **ἂρ** confusa. . . . . p. 64.
ἀνθοσμίας, ἄνθεος ὀσδόμενος (οἶνος) fr. XXI, p. 71.
ἄπειρον, — **ία**. vid. **πέρας**.
ἀποτομή (γῆς). p. 159, not. 35.
ἀσκηθής. p. 119. cf. Solon. ap. Plutarch. vit. c. 26.
ἀσκητὸς ὀδμήν, *exquisito odore*. fr. XX, p. 65.
ἄσσα et **ὅσσα** confusa. fr. XIV, p. 52.
ἄτμος et **ἀναθυμίασις** differunt. p. 161 sq.
ἀτρεμεῖν et **ἠρεμεῖν**. . . p. 105.
αὐτὸ μέσον, αὐτόμεσον, ἂν τὸ μέσον. fr. XXI, vs. 11. p. 68, 71.
αὐχαλέος. . . **αὐχμαλέος**. . . } fr. XX, p. 67.
ἀφροσύναι. . . . fr. XX, p. 65.

βάκχοι. . fr. XXVII, p. 80 sq.
βληστρίζω. . . fr. XXIV, p. 78.
βρόταχος (βάτραχος). fr. XXX, p. 83.

γῆ καὶ ὕδωρ. fr. X, p. 46, 48.
γηρείς, particip. v. **γηράω**. fr. XXVI, p. 80.
γιγνώσκειν, ἀκούειν, c. genit. fr. XVIII, p. 58 sq.

δεῖ, χρή, *consentaneum est*. p. 103.
δειλὸς πρὸς τὰ αἰσχρά. fr. XXXVI, p. 87.
δέμας. οὔτε δέμας οὔτε νόημα. fr. I, p. 35. **μορφή τε δέμας τε**. fr. V, p. 39.

Δεξιός vel *Δέξινος*. N. P. p. 1, n. 1.
δόκος. . . fr. XIV, p. 51, 53.
δύνασθαι, singulari quadam significatione. fr. XXI, vs. 15. p. 69, 72.

Ellipsis verbi. fr. XXI, 20. p. 69, 74.
ἐπί et *ἐπεί* confusa. fr. IV, p. 38.
εὐφροσύνη. *κρατὴρ μεστὸς εὐφροσύνης*. fr. XXI, vs. 4. p. 68.
εὔφημος. *εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι νόοις*. fr. XXI, vs. 14. p. 69.
ἐοικώς. *ἐοικότα ἐτύμοισι* pro *ἔτυμα*. fr. XV, p. 53.
ἐπιδεικνύναι et *ὑποδεικν*. confusa. fr. XVI, p. 53 sq.
ἐπιτρώγειν et *ὑποτρ*. — fr. XVII, p. 55 sq.
ἐπιέναι (*λόγον*). fr. XVIII, p. 56.
εὐνομίη. fr. XIX, vs. 19. p. 61.

ἥλιος. *ἥλιοι*, *soles*, diversae coeli plagae. . . p. 167 sq. n. 61.
ἠρεμεῖν, *ἠρεμοῦν*, *ἠρεμία*, opp. *κινεῖσθαι*, *κτλ*. . p. 105 sq. 108.

θάλασσα, *ὕδατος ἀρχή*. f. XI, p. 48.
θεός et *δαίμων*. . . . . . p. 114.
— *θεῶν* monosyllabum. fr. XXI, vs. 24. p. 69.

ἴαμβοι . . . . p. 20 sq.

Infinitivus sine articulo substantive positus. . . . p. 103 sq.

κενεμβατεῖν. . . . . . . p. 169.
κέρασος. . fr. XXIX, p. 82 sq.
κίμβιξ. . fr. XXVIII, p. 81 sq.
κίνησις, *μεταβολή*. . . . p. 124.
κινητός (*εἶναι*). . . . . . p. 106.
κόσμος. . . . . p. 177.
κραδαίνειν. . . . . fr. III, p. 37.
κωλῆ ἐρίφου. fr. XXII, p. 75 sq.

λαρινός (*βοῦς*) fr. XXII, p. 75 sq.

μένειν ἐν ταὐτῷ, de immutabili et immobili. . fr. IV, p. 38.
μήν et *μίν* confusa. fr. VI, p. 38.
μορφή et *φωνή* confusa.. fr. V, p. 39. cf. Parmenid. comment. p. 107.

νεφέλη, *νέφος*, *vapor*. . p. 162.
νόος et *λόγος* confusa. . . p. 71.
νόου φρήν. . . . . fr. III, p. 37.

Ξενοφάνης, *Ξενοφῶν*, *Ξενοκράτης*, *Ξενοφάντης* confusa. p. 31 sq. cf. *Φιλόξενος*.

ὅλος (*οὖλος*). . fr. II, p. 35 sq.
Ὁμηραπάτη pro *Ὁμηρικὴ ἀπάτη*. p. 16, n. 33.
ὅμοιος πάντῃ. . . . . . . p. 103.
— *τὸ ὅμοιον*. . . . . p. 101.
— et *ἴσος* confusa. ibid.

παρῳδαί, s. παρῳδίαι. . . p. 25
πέρας, opp. ἀπειρία. . p. 130 sq.
περαίνειν, περαῖνον, πεπερασμένον, opp. ἄπειρον. p 104, 107, 122 sq.
Πίσα, Πίσης -αο, amnis Olympiae. fr. XIX, vs. 3, 21. p. 60, 62.
πολλοί (οἱ), opp. εἷς, ἕκαστος. p. 102.
πορφύρεος et φοινίκεος. fr. XIII, p. 49 sq.
προδίδοναι, *deficere*. f. XXI, vs. 5. p. 68, 70.
προεδρία καὶ σιτία, virtutis praemia. fr. XIX, p. 60, 62 sq.
πρόκλησις et πρόςκλησις confusa. fr. XXV, p. 80.
προμηθεία θεῶν. fr. XXI, vs. 24. p. 69, 75.
προςπλάζω. αἰθέρι προςπλάζον. fr. XII, p. 49.

ῥίζαι θαλάττης, γῆς. p. 152 sq. 156.

σαφές (τό). . fr. XIV, p. 51 sq.
σίλλοι. . . . . p. 23 sq.
στυφελίζειν. fr. XVIII, p. 56, 58.
Synizesis. fr. VI, p. 42: καὶ αὐτοί. XX, p. 67: ἀγαλλόμενοι εὐπρεπέεσσι. XXIII, p. 77: χέας.
σφαῖρα, σφαιροειδής, de perfecto. p. 104, 119 sq. 141 sq.
σῶμα et δῶμα confusa. fr. VI, p. 42.

ταὐτόν. ἐν ταὐτῷ μένειν. fr. IV, p. 38.
τεχνοῦν, τεχνοῦσθαι. . p. 100 sq.
τελεῖν, τετελεσμένον. fr. XIV, p. 52.
τῇ — τῇ. . . . . p. 104.
τίθημι, τιθεῖς, -εῖ, -εῖν. p. 70.
τραγικοὶ χοροί, τραγῳδίαι. p. 21-23.

ὑπό et ἐπί confusa. Vid. ἐπιδ. sq.

Φιλόξενος scripturae compendio factum ex Φιλόσοφος Ξενοφάνης. p. 30, n. 66.
φρὴν νόου. Vid. νόος.
φύσις: περὶ φύσεως. . . . p. 26.

ψυχή. . . . . p. 184.

ὡς et εἰς confusa. . . . . p. 66.
ὡς ἐπίπαν. . fr. XX, p. 65 sq.

PHILOSOPHORUM
GRAECORUM VETERUM
RELIQUIAE.

PHILOSOPHORUM GRAECORUM

VETERUM

PRAESERTIM

QUI ANTE PLATONEM FLORUERUNT

OPERUM RELIQUIAE.

RECENSUIT ET ILLUSTRAVIT

SIMON KARSTEN.

> Antiquitas, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse quae erant vera cernebat. CICERO.

VOLUMEN PRIMUM.

PARS ALTERA. PARMENIDES.

AMSTELODAMI,

SUMTIBUS J. MÜLLER & SOC.

1835.

PARMENIDIS ELEATAE

CARMINIS

RELIQUIAE.

DE

VITA EJUS ET STUDIIS

DISSERUIT, FRAGMENTA EXPLICUIT, PHILOSOPHIAM ILLUSTRAVIT

SIMON KARSTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. DOCT. INSTITUTI REGII BELG. SODAL. CORRESP.
GYMN. AMISFURT. RECT.

Μηδέ σ' ἔθος πολύπειρον ὁδὸν κατὰ τήνδε βιάσθω,
Νωμᾶν ἄσκοπον ὄμμα καὶ ἠχήεσσαν ἀκουὴν
Καὶ γλῶσσαν· κρῖναι δὲ λόγῳ —

PARMENIDES.

AMSTELODAMI,

SUMTIBUS J. MÜLLER & SOC.

1835.

TYPIS C. A. SPIN.

VIRO AMPLISSIMO,

HENRICO WIJNBEEK,

ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO;

GYMNASIORUM IN REGNO NEERLANDIAE

INSPECTORI,

&c. &c.

D. D.

AUCTOR.

Quum dudum cuperem meae aliquod erga te observantiae monumentum exstare, nunc offero tibi hunc librum tuo nomini dedicatum, quod munus, quamvis exiguum, ita tibi acceptum fore spero, ut a me deberi tibi sentio. Nam et benevolentia tua ac fides mihi incertis in rebus non semel experta facit, ut ex animo gratias tibi habeam teque diligam, et tua publicae institutionis ac disciplinae regendae tuendaeque cura talis est, ut quivis patriae et literarum amans te colat et honoret. Quae tua cura tum alibi, tum nusquam magis conspicua fuit, quam in Belgio quondam quum Gymnasiorum et Athenaeorum ordinandi munus magnam partem tibi esset mandatum; ubi prudentia tua et humanitate ita docentium et discentium commodis consuluisti, ut cum bonorum

omnium existimationem tibi conciliares, tum doctrinae studia in dies ibi laetius pullularent. Quorum studiorum fructus quum jam ostendi videretur, intercepit eum fatalis ista calamitas, quae rempublicam, quam legum aequitate et principis moderatione diu incolumem fore spes erat, turbavit et laceravit. Acerba profecto benefactorum remuneratio; sed sublevat cogitatio fore ut, quemadmodum e bonis initiis saepe mala oriuntur, ita hoc malum ad salutem convertat Ille, ὃς ῥεῖα τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει!

Sed, ut ad rem veniam, meministi, vir amplissime, eo ipse anno quo haec acta sunt, me Bruxellis degentem Philosophorum Graecorum veterum reliquias *edere coepisse: emiseram* Xenophanem Colophonium, *editum* Bruxellis, *sumtibus* J. Frank, 1830; *cui mox adjungere destinaveram* Parmenidem, *quem tum jam inchoatum et paene absolutum in scriniis habebam reclusum. Sed postquam malum istud erupit, ego, abdicato munere, in veterem patriam me recepi. Ibi tum belli cura et apparatus omnia occupaverat, Musarum autem studia inter armorum strepitum languebant; nec mihi aut ad scribendum animus aut ad scripta evulganda occasio erat, quum etiam bibliopola, qui primum volumen edendum curaverat, rebus suis exturbatus, susceptum opus persequi non posset, dimittere nollet. Sic opus diutius interruptum pependit, donec tandem, re ordinata, alius bibliopola suscepit, a quo deinceps meliore omine continuatum iri spero.*

Accipis ergo Parmenidem, non sordidum, ipso Platone judice, naturae verique auctorem, et doctrinae gravitate ac recondita philosophandi ratione per multa secula nobilitatum. Quam profecto nobilitatem numquam ille esset assecutus, nisi fuisset in viri philosophia singulare quiddam et praestans, quod eruditorum studia excitaret mentesque teneret. Quale hoc sit, ipse operis titulus indicat: primus ille aut in primis coepit in v e r u m inquirere, constans illud et aeternum, idque ab opinionum commentis et sensuum praestigiis sejungere. Quod philosophandi quasi signum ut Parmenides sustulit, num miramur, optimos quosque et summi ingenii viros illius auctoritatem esse secutos? Est enim ita: veri studio ducimur omnes, et quo quisque est ingenio celsior, eo magis sentit, verum perfectumque non in fluxis his rebus, vel potius his rerum umbris, ut Plato appellat, sed in divinis aeternisque collocatum esse. Licet autem, dum corporum compagibus inclusi sumus, mentis nostrae imbecillitas cernere illud non valeat, sed auguremur tantum et quasi δι' ἐσόπτρου cernamus, tamen nescio quomodo fit ut, si quem videamus diviniore impetu excitatum mentem supra humana extollere, eum admiremur et sequi gestiamus. Quodsi honesta meritoque laudabilis habetur earum rerum contemplatio, in quibus pulcri quaedam effigies elucet, quanto est laudabilius et praeclarius ea cognoscere et intueri, in quibus veri species cernitur expressa! Obscurum esse Parmenidem vulgo questi sunt. Ista tamen obscuritas

dubito utrum magis tribuenda sit ipsi rei quam tractat, an seriorum interpretum commentis qui illius philosophiae quasi nebulam obduxerunt, quam quidem, explanatis diligenter et Parmenidei carminis reliquiis et veterum testimoniis, jam magna parte sublatam esse confido. Caeterum illius doctrinae cognitio quanti sit momenti vel ad philosophiae historiam vel ad Platonis et Platonicorum scripta et placita illustranda, te profecto haud fugit, qui quondam juvenis antiquae philosophiae et literarum suavitatem degustasti in germana illa Batavorum schola, quae, auctore Wyttenbachio, non modo superstitum scriptorum operibus interpretandis, sed etiam deperditorum reliquiis colligendis, antiquitatem plurimum illustravit. Commendo ergo tibi hunc meum librum, qui si tibi in legendo tantum afferat delectationis, quantum mihi curae in scribendo, erit gratissimum. Vale, vir amplissime, mihique fave!

Dabam Amisfurti, mense Junio, a. 1835.

Priusquam Parmenidis carmen et doctrinam explicare aggrediar, pauca de iis, qui ante me in eodem argumento versati sunt, praemonenda duxi. Horum primus fuit Henr. Stephanus, qui in *Poësi Philosophica* a. 1573 edita, quaedam Parmenidis versuum fragmenta collecta protulit. Quod hic inchoaverat, majore cura et majore doctrinae apparatu persecutus est J. Scaliger, cujus adversaria in Leydensi bibliotheca asservata praeter alia continent Parmenidis et Empedoclis carminum reliquias, tam diligenter et sedulo collectas et comparatas, ut pleraque, quae multis demum post annis literatorum hominum studiis eruta sunt, ille multo ante occupaverit. Neque dubium est quin, si haec collectio prius esset divulgata, Parmenidea philosophia jam pridem multo clarius

et plenius fuisset cognita. Sed illius copiae in bibliothecae thesauro reconditae, raro expromptae, paucis cognitae (*), a nonnullis etiam frustra quaesitae, ita delituerunt, ut aut non exstitisse aut jam evanuisse crederentur (+). Expromsit ea mecumque humaniter communicavit vir cl. Jac. Geel. In perlegendo reperi in iis nova quidem nulla, quaedam vero ita emendata, ut a summo critico exspectes. Nostrâ autem et patrum memoriâ, quum perditorum scriptorum reliquiae studiosius conquiri coepissent, etiam Parmenidis fragmenta non neglecta sunt; primum colligere ea et explicare aggressus est Georg. Gustav. Fülleborn, libro inscripto: Παρμενίδου τοῦ Ἐλεάτου Λείψανα. *Fragmente des Parmenides, gesammelt, übersetzt und erläutert. Züllichau*, 1795. Idem scriptum insertum est in ejusdem auctoris collectaneis, *Beyträge zur Gesch. der Philos.* Part. VI. His *Spicilegium observationum* subjecit Car. Fr. Heinrich, in eodem opere, Part. VIII. Füllebornium secutus est Chr. Aug. Brandis, in *Com-*

(*) Memorat Goensius ad Porphyr. de Antr. Nymph. p. 96.

(+) Vid. Sturz. Praef. ad Empedocl. p. V.

mentationum Eleaticarum Sectione secunda, *Alton.* 1813, qua Parmenidis carmen et doctrina sunt exposita. Uterque illorum, jam in Xenophane a me commemorati, merito laudem sibi vindicant, quod Eleaticam philosophiam multorum seculorum pulvere obrutam renovarunt. Omitto autem librum Joannis Theodori van der Kemp, *Parmenidem* inscriptum, quippe qui illius nomen tantum adscivit, quo suam doctrinam commendaret, ut ipse operis titulus indicat, qui talis est: *Parmenides*, *sive de stabiliendis per applicationem principiorum dunatoscopicorum ad res sensu et experientia cognoscendas scientiae cosmologicae fundamentis: quo omnis eorum philosophia evertitur*, *qui mundi materiam aut ipsam substantiam Divinam aut a Deo numerice diversam esse sentiunt*; *ostenditur in universum omnia unum esse*, *quae vero plura videntur ea relativa esse omnia*, *absoluti nihil.* Edinae, 1781. Quam suam rationem quamvis ille ad Parmenidem referat auctorem, de illius tamen sententia nihil attulit quod non melius sit ab aliis expositum. (*)

(*) Rationem ejus attigi infra in dissert. p. 211, 215, 224.

Illorum ergo trium quos dixi virorum, Scaligeri, Fülleborni, Brandisii, copiis adhibitis, fontes ipse denuo adii, nova quaedam quamvis pauca adjeci, corrupta et depravata emendavi, obscura illustravi. Omnem autem meam disputationem in duas partes divisi, quarum prior pars, praemissa enarratione de Parmenidis vita, ipsius carmen cum commentario continet; altera ejus philosophiam ordine exponit. Quodsi hac mea opera aliquid lucis attulisse ad veterem philosophiam illustrandam videar, impensi me laboris haud poenitebit.

DE

PARMENIDIS

VITA ET STUDIIS.

II.

DE PARMENIDIS VITA ET STUDIIS.

§ 1.

PARMENIDES Eleaticae scholae princeps, patria natus est Elea, patre Pyrrhete, generis splendore et opibus apud suos insigni [1]. Quo autem tempore vixerit, non accurate definitum est a veteribus. Habemus hac de re duos praecipuos testes inter se dissidentes, Platonem et Diogenem Laërtium, alterum aetate illi proximum, alterum temporibus quidem multo inferiorem, sed an-

(1) Diogenes L. IX, 21: *Ξενοφάνους δὲ διήκουσε Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης.... γένους τε ὑπάρχων λαμπροῦ καὶ πλούσιος.* Cf. Suidas v. *Παρμενίδης.* Theodoretus Therap. Serm. IV. Eusebius Praep. Ev. XIV, 3. p. 720 D. Epiphanius adv. Haeres. III. Vol. I, p. 1087. Strabo L. VI princ. de ELEA loquens: *ἐξ ἧς Παρμενίδης καὶ Ζήνων, ἄνδρες Πυθαγόρειοι.* In patris nomine notando variant libri: alii *Πύρητα,* alii *Πύῤῥητα;* quorum hoc cum nominibus *Πύῤῥος* et *Πύῤῥα* analogia congruum est. Ab his vero auctoribus dissidet Apollodorus, ut testatur Diogenes, in Zenonis vita IX, 25 sic scribens: *Ζήνων Ἐλεάτης· τοῦτον Ἀπολλόδωρος φησὶν εἶναι ἐν χρονικοῖς Πύριθος (Πύρητος)· τὸν δὲ Παρμενίδην φύσει μὲν Τελευταγόρου, θέσει δὲ Παρμενίδου.* Hic ergo PYRRHETEM facit ZENONIS patrem. Sed verba attentius consideranti, turbata esse facile apparet. Nam quo valent ista *τὸν δὲ Παρμενίδην φύσει...?* non enim de Parmenide, sed de Zenone hic agitur; neque Parmenidem TELEUTAGORAE F. quisquam novit. Verba in hunc modum ordinanda censeo: *Ζήνων Ἐλεάτης· τοῦτον Ἀπ. φησὶν εἶναι ἐν χρονικοῖς φύσει μὲν Τελευταγόρου, θέσει δὲ Παρμενίδου· τὸν δὲ Παρμενίδην Πύῤῥητος.* Hac ratione Parmenidis mentio cum Zenone apte jungitur, ac tollitur omne scriptorum dissidium. cf. inferius not. 32, 33.

tiquiorum chronologorum testimoniis munitum. Plato initio dialogi quem Parmenidis nomine inscripsit, narrat venisse aliquando Athenas ad Panathenaeorum celebritatem Parmenidem una cum Zenone, illum jam natu grandem, annorum circiter quinque et sexaginta, hunc vero florente aetate, annos natum ferme quadraginta, et Parmenidis delicias (παιδικὰ) a plerisque creditum; quorum sermoni puerum etiam tum interfuisse Socratem (τότε σφόδρα νέον)[2]. Jam Socrates natus Olymp. 77, a. 4; si igitur ponamus eum, quo tempore hic sermo habitus sit, sedecim annorum ephebum fuisse, Parmenides, qui tum erat jam sexagenario maior, natus fere fuit Olymp. 65[3]; Zeno autem, qui viginti amplius annis illo inferior, Olympiade 71. Laërtius vero memorat Parmenidem circa Olymp. 69 aetatis ἀκμῇ fuisse[4]; quod profecto, si secundum Platonem Olymp. 65 natus sit, non est credibile, eum tam brevi ad doctrinae et gloriae maturitatem potuisse pervenire.

At Platonis hac in re fidem addubitarunt jam veteres, ut Athenaeus et Macrobius, qui, animadvertentes illum in dialogis interdum personarum aetates confundere, etiam hoc quod de Parmenide narrat, exemplum proferunt, cum quo vix colloqui Socratem propter aetatem, nedum tam arduis de rebus potuisse disputare[5]. Hi ergo, e vulgari chronologorum ratione,

(2) Plato Parm. p. 127 B C.

(3) Dodwellus, Dissert. de aetate Pythag. II, p. 220, in computando annorum numero fallitur.

(4) Diogenes L. IX, 23: ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν ἐνάτην καὶ ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα.

(5) Athenaeus IX, 15. p. 505 F: Παρμενίδῃ καὶ ἐλθεῖν εἰς λόγους τὸν

Parmenidem crediderunt aliquanto antiquiorem, in eoque concinunt cum Diogene, secundum quem Parmenides etiamsi diutissime vixisset, fuisset tamen, puero Socrate, non modo grandis natu sed decrepitus aetate senex, ut nec disserere cum eo nec disserentem videre Socrates potuisset [6]. Notum est quidem, Platonem in dialogis, magis argumenti quam temporis ratione habita, personas interdum secum colloquentes facere quorum aetates non conveniant [7]. Et conceditur haec libertas dramaticae arti, quae poësi propinqua est; at num ideo concessum ei erat, personarum aetates tam stricte definire, ipsum aetatis annum notare, si veritati repugnaret? Ille autem non solum in hoc dialogo, sed in aliis quoque, ut Sophista et Theaeteto, Socratem facit commemorantem, a se puero senem auditum Parmenidem [8]. Dicat quis Platonem in his dialogis id scripsisse, quo magis sibi constaret, et quo probabilior videretur Parmenidis cum Socrate disputatio. At istiusmodi probabilitatem non requirit dialogorum ratio, ut, si quaedam fingantur ad praesentem disputationem accommodate, ideo obscuranda omnino veritas et lectores fallendi sint, adfir-

τοῦ Πλάτωνος Σωκράτην, μόλις ἡ ἡλικία συγχωρεῖ, οὐχ ὡς καὶ τοιούτους εἰπεῖν ἢ ἀκοῦσαι λόγους. Macrobius Saturn. I, 1: »Socrate ita Parmenides antiquior, ut hujus pueritia vix illius apprehenderit senectutem, et tamen inter illos de rebus arduis disputatur".

(6) Cf. Casaubonus ad Athen. l. l.

(7) Qua de re vid. Wolfii judicium in Prooemio ad Platon. Symposion.

(8) Plato Soph. p. 217 C.: *Παρμενίδῃ παρεγενόμην ἐγὼ νέος ὤν, ἐκείνου μάλα δὴ τότε ὄντος πρεσβύτου.* Theaet. p. 183 E: *συμπροσέμιξα τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ.*

mando revera sic fuisse ut fingatur. Accedit ad firmandam Platonis fidem, quod Zenonis aetas, quam in eodem dialogo notat, cum chronologorum testimoniis concinit [9]; ergo, si de Zenone vere scripsit, quidni de Parmenide, cujus aetas cum illius temporibus cohaeret, idem existimemus [10]? Contra Diogenis et qui cum eo faciunt testimonium, vix congruit Parmenidis temporibus. Nam patria ejus Velia condita a Phocæensibus Olymp. 61; si ergo post hanc Olympiadem demum natus est Parmenides, quomodo tam brevi maturescere potuit, ut jam Olymp. 69 ad ἀκμὴν pervenisset? Probabilius, florem ejus aetatis aliquot annis inferiorem esse ponendum et propius ab ineunte Socratis pueritia remotum.

§ 2.

Fuerunt viri docti, ut jam dudum Scaliger, et post Füllebornius, qui ut Diogenem cum Platone conciliarent, apud illum numeros mutarunt, pro Olymp. 69 reponentes 79 [11]. At hujusmodi emendandi libertas ut parum habet auctoritatis, ita repugnat fere ipsi

(9) Zenonis flos, teste Laërtio IX, 29, incidit in Olymp. 79.

(10) Platonis testimonium comprobant quoque Fülleborn, Beiträge zur Gesch. der Phil. Part. VI, p. 12; Schleiermacher in Prooemio interpret. Platon. Parmenidis. Heindorf. ad Parmen. c. 2. p. 190.

(11) Diogenes Laërtius Stephan. habet κατὰ τὴν θ' καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Scaliger ad libri oram scripsit καὶ ἑβδομηκοστὴν; eundemque annum ponit in Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ, ubi legitur ad Ὀλυμπ. οθ', α'· Παρμενίδης ὁ φιλόσοφος ἤκμαζεν. Heraldus Advers. I, 2, vult οη' (78). Fülleborn. l. l. p. 14.

Diogeni, qui hac Olympiade Zenonis florem statuit: quocirca aut hujus quoque anni mutandi essent, aut statuendum doctorem et discipulum eodem utrumque tempore floruisse. Alia et facilior est interpretandi via, qua diversa amborum testimonia inter se concilientur. Diogenes videlicet, non natalem annum, sed aetatis florem definiens, non urgendus est, quum veteres ἀκμὴν modo aetatis maturitatem, modo juventutis viriditatem interpretentur; Platoni autem credamus omnino, et Athenas venisse Parmenidem sexaginta amplius annos natum, et grandem natu fuisse puero Socrate; ceterum de disputatione cum Socrate ab eo habita, finxisse hoc videtur non tam rerum veritati quam suo consilio accommodate, quum Socratis personam in omnibus paene dialogis disserentem faciat, neque hic alia aptior ei videretur, quae de gravissima philosophiae quaestione cum dialecticorum principe dissereret. Itaque collatis amborum testimoniis statuamus, Parmenidem, ut Diogenes notat, Olymp. 69 juvenili flore fuisse; eundem, ut Plato tradit, puerulo Socrate, grandaevum, aetatis doctrinaeque maturitate perfectum.

Sunt praeterea aliorum testimonia quae cum his non concinunt: primum Theophrasti qui, si Diogenem audiamus, Parmenidem Anaximandri auditorem dixit[12]. Theophrastum tamen hoc scripsisse, vix credo;

(12) Diogenes L. Parmen. princ. IX, 21: *Ξενοφάνους δὲ διήκουσε Παρμενίδης... τοῦτον Θεόφραστος ἐν τῇ Ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι.* Cf. Suidas, *Παρμενίδ.* Num fortasse Theophrastus de Xenophane hoc dixit qui, teste Sotione, Anaximandri aequalis fuit, ita ut hunc natu majorem adolescens viderit? Vid. Xenophan. Reliqq. p. 3—10. meae edit. Hoc testimonio ductus Palmerius Exercit. p. 461, in Laërtio

si scripserit, falsum arbitror. Anaximander enim, Thaletis in Ionica schola successor, diem obiit Olymp. 58, atque adeo mortuus erat jam aliquot ante annis quam condita esset Elea, in qua natus Parmenides. Neque probabilius, quod idem Diogenes refert, auditorem Parmenidis Anaximenem fuisse [13]. Namque ut omittam diversam utriusque patriam, diversam doctrinae rationem, obstant quoque tempora, quum Anaximenes, Anaximandri auditor habitus, aut superior Parmenide aut aequalis ei fuit, inferior certe aetate non fuit. Alii contra multo inferiorem faciunt. In Eusebii Canone chron. haec notata leguntur: Ὀλυμπ. π, δ (Ol. 80, 4). Ἐμπεδοκλῆς καὶ Παρμενίδης φιλόσοφοι φυσικοὶ ἐγνωρίζοντο. Ζήνων καὶ Ἡράκλειτος ὁ σκοτεινὸς ἤκμαζον. Accommodata videtur haec notatio ad illud fere tempus, quo Parmenides una cum Zenone Athenas venisse narratur apud Platonem; vitiose tamen ambos hos, aetate dispares, eodem tempore inclaruisse scribit. Longius etiam recedit Syncellus statuens eosdem philosophos, ut et Democritum, floruisse, regnante Artaxerxe qui Macrochir cognominatus, intra Olympiades 82-91, et circa idem tempus natum esse Socratem [14]. Sed longum foret omnes chronologorum errores enumerare, refutare supervacaneum [15]. Itaque auctores secuti Pla-

pro θ' καὶ εἰκοστὴν Ὀλ. legi voluit ἑξακοστὴν Ὀλ. commode enim Parmenidem dici Olymp. 60 floruisse, sex videlicet annis post mortem praeceptoris Anaximandri, quae accidit Olymp. 58. Idem numerus placebat Menagio Observv. ad Diog. Laërt. l. l.

(13) Diogenes L. II, 3.

(14) Syncellus Chronogr. p. 253 D.

(15) Veluti quod quidam Gorgiae quoque et Prodico aequalem statue-

tonem et Laërtium statuamus, tempus quo Parmenidis flos et maturitas continetur, intra Olymp. 69-80, a. Chr. 504-460 esse ponendum [16]. In hoc tempus conveniunt quoque ii qui cum Parmenide aetate conjuncti fuerunt: Xenophanes, Eleaticorum parens, floruit Olymp. circiter 60; Heraclitus autem, qui Parmenidi fere aequalis fuit, Olymp. 69, Zeno ejus auditor, aequalis fere Anaxagorae, Olymp. 79 floruisse ponuntur. Sic temporum ordo philosophorum successioni respondet.

§ 3.

De Parmenidis vita non nisi pauca sunt tradita, e quibus tamen conjicere nobis licet, quali ingenio praeditus, qua institutione eruditus tam illustris in philosophia exstiterit. Natus Eleae audivit XENOPHANEM grandem natu adolescens [17], e cujus praeceptis

runt: Eusebius Canon. chron. Olymp. *πς'*; Syncellus Chronogr. Olymp. 88. (ex Africano). Videtur quaedam doctrinae et rationis similitudo vel affinitas hanc confusionem peperisse. Anonymus vit. Pythag. sect. 8, (Kuster.) Parmenidem et Zenonem Platonis videlicet in dialectica praeceptores facit: *τῆς λογικῆς σπέρματα καταβαλεῖν αὐτῷ Ζήνωνα καὶ Παρμενίδην τοὺς Ἐλεάτας*. Simili jure Thucydidem liceat Demosthenis praeceptorem appellare.

(16) Strictius determinare ejus aetatem nolumus. Medium fere tenemus inter Cousinum Nouv. Fragm. p. 97 sq. qui Parmenidem natum censet circiter Olymp. $\frac{61}{62}$; sic vero annus Parmenidis sexagesimus quintus non, ut ille supputat, pueritiam Socratis, sed vix natalem hujus annum attigisset; — et Clintonum Fast. Hellen. p. 364 not b, qui ut Parmenidis senectutem cum Socratis adolescentia conciliet, eum natum putat circiter Olymp. 65 (a. Chr. 519); hac vero ratione Parmenides vix ephebus fuisset, mortuo Xenophane, qui ejus praeceptor est habitus.

(17) Aristoteles hoc refert ut vulgo creditum, Metaph. I, 5. p. 648 E. dicens:

hausisse videtur initia ejus disciplinae quam deinceps excoluit. Audivit et Pythagoreos, doctrinae celebritate tum maxime florentes, e quibus duo nominantur quos studiorum duces et magistros habuerit, AMINIAS et DIOCHAETES; horum ille adolescentem a negotiis ad literarum otium traduxit; hic pauper sed morum honestate spectatus adeo ab eo dilectus est, ut mortuo sacellum consecraverit, ut Sotion retulit[18]. Multi Parmenidem ejusque auditorem Zenonem Pythagoreos appellarunt; sive propter Pythagoreorum consuetudinem et disciplinæ cognationem, sive propter illorum famam et celebritatem, quae diu tanta fuit, ut nemo fere esset doctrina illustrior quin huic scholae adnumeraretur.[19] Pythagorica vero illa institutio magis valuisse videtur ad excitandum ejus studium et ingenium promovendum, quam ad mentem certis disciplinae præceptis imbuendam vitamque institutis formandam. A Cebete quidem vita Parmenidea aeque ac Pythagorica laudatur; unde fortasse aliquis efficeret, Parmenidem, sicut Pythagoreos, singularem secutum es-

Παρμενίδης τούτου (τοῦ Ξενοφάνους) λέγεται μαθητής. Theophrastus, diligens auctor, ut certum ponit, apud Alexandrum Aphrod. Metaph. intp. Sepulveda, f. 7 A. Hunc plerique sequuntur: Plutarchus apud Eusebium Praep. Eu. I, p. 23 C; Eusebius ipse ibid. X, p. 504 D; XIV, p. 758 A; Simplicius Phys. f. 2 A. Diogenes Laërt. modo (n. 12) citatus; Suidas, *Παρμεν.* ceteri.

(18) Apud Diogenem L. IX, 21.

(19) Callimachus apud Proclum in Parm. T. IV, p. 5: *Ἐλεάται δ' ἄμφω, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ Πυθαγορικοῦ διδασκαλείου μεταλαβόντε.* Iamblichus Vit. Pyth. s. 166, 267. Anonymus scriptor Vit. Pyth. s. 8. Kuster. Strabo, VI. pr. quem citavimus n. 1. Cf. quae diximus in Xenophan. p. 8, n. 14. p. 130.

se vitae morem; quod non fecit, sed vitam egit sapientia, dignitate, modestia conspicuam, quam Cebes significat [20], et Timo Phliasius praedicat dicens: [21]

Παρμενίδου τε βίην μεγαλόφρονα καὶ πολύδοξον.

Hujus institutionis illustre exemplum praebuit ejus familiaris Zeno, forti et invicto animo quo se adversus patriae tyrannum Demylum gessit; magistri disciplinam, ut Plutarchus dicit, factis probans [22]. In philosophia Parmenides quamquam magistri Xenophanis vestigiis ductus, sua tamen ratione processit, ut et veteres animadverterunt [23] et ipsius doctrina declarat. Literarum otio ita se dedit, ut a rei publicae negotiis non abstineret. Leges tulit Eleatis, quae, ut Plutarchus refert, adeo probatae fuerunt ut magistratus quotannis cives adigeret jurejurando, se Parmenidis leges observaturos [24]. Habitasse videtur Eleae in patria, in exteras regiones interdum devertisse [25]. Memorabile praesertim est iter quod Athe-

(20) Cebes Tab. pr. *ἀνὴρ ἔμφρων καὶ δεινὸς περὶ σοφίαν, λόγῳ δὲ καὶ ἔργῳ Πυθαγόρειόν τινα καὶ Παρμενίδειον ἐζηλωκὼς βίον.*

(21) Apud Diogen. Laërt. IX, 23.

(22) Plutarchus adv. Colot. p. 1126. Vol. X, p. 630 Reisk.

(23) Parmenidem in pluribus a Xenophane discessisse animadvertit Plutarchus apud Eusebium, l. l. (n. 16): *Παρμενίδης ὁ Ἐλεάτης, ἑταῖρος Ξενοφάνους, ἅμα μὲν καὶ τῶν τούτου δοξῶν ἀντεποιήσατο, ἅμα δὲ καὶ τὴν ἐναντίαν ἐνεχειρήσατο στάσιν.* Diogenes Laert. l. l. *ὅμως δ' οὖν ἀκούσας καὶ Ξενοφάνους, οὐκ ἠκολούθησεν αὐτῷ.*

(24) Speusippus apud Diog. Laërt. IX, 23. Strabo VI, pr. Plutarchus adv. Colot. p. 1126 A. Vol. X, p. 628 Reisk.

(25) Fuerunt qui, ut omnem fere Graecorum sapientiam, sic Parmenidis quoque doctrinam ab Aegypto arcessiverunt. Sic Io. Camotius in Theophrasti Metaph. f. 100, Neo-Platonicos fere secutus. Hinc narratio,

nas fecit, quo tempore haec civitas, opibus et splendore jam excellens, doctos homines et artifices undique ad se tanquam ad commune receptaculum invitabat. Venit eo, ut Plato narrat, ad Panathenaeorum celebritatem, aetate maturus et doctrinae studiis clarus, ibique aliquamdiu versatus est, in eruditorum hominum et adolescentum coetu de philosophiae quaestionibus sermones serens, quorum mentionem facit Socrates [26]. A quo inde tempore Parmenidis philosophia tam disputationibus quam scriptis magis vulgo innotescere coepit. Sed ut multi Athenas confluebant qui doctrinae facultate et ingenii acumine abuterentur ad inanem sapientiae ostentationem et popularis aurae aucupium, quales non ita multo post sophistae fuerunt, quos tam acriter carpit Socrates, sic Parmenides ab illo laudatur ut vir *βαθὺς*, *αἰδοῖός τε δεινός τε*, qui sapientiam non vana ambitione, sed sincero veritatis amore expeteret, et disserendi acumen cum modestia et gra-

Parmenidem discendi caussa in Aegypto degisse; quod refert Vinc. Bellovacius, Specul. doctr. I, 29: »Quindecim annos ob astronomicas, ut cre»dibile est, considerationes in rupe Aegyptiaca consedisse legitur." Pulcrius etiam Io. Sarisberiensis Metalog. II, 2: »Licet Parmenides Aegyptius »in rupe vitam egerit, ut rationes logicas inveniret, tot et tantos studii »habuit successores, ut ei inventionis suae totam fere praeripuerint glo»riam." Fabulae nescio unde concinnatae. Non improbabile, ut Brandisius auctor est, efficta haec esse e loco Martiani Capellae Nupt. I, IV, p. 95 Grot. »progreditur Dialectica; haec se educatam dicebat Aegyptiorum rupe, atque in Parmenidis exinde gymnasium atque Atticam demeasse, etc." Quae ipsa parum recta illi confundeudo augendoque pejora reddiderint.

(26) Plato Parm. pr. p. 127, 136 D. Soph. p. 217 C: *διεξιέναι δι' ἐρωτήσεων... οἷόν ποτε καὶ Παρμενίδῃ χρωμένῳ καὶ διεξιόντι λόγους παγκάλους παρεγενόμην.*

vitate conjungeret [27]. Quibus dotibus non mirum, eum tantam adeptum esse nominis famam et disciplinae auctoritatem, ut princeps Eleaticorum ab omnibus habitus sit.

Vidit eadem aetas multos doctrina excellentes viros, Heraclitum, Anaxagoran, Leucippum, Empedoclem, alios, quorum studiis philosophiae semina per Ioniam et universam Graeciam disseminata sunt. Horum plures cum Parmenide videntur habuisse consuetudinem, veluti Leucippus et Empedocles, qui auditores ejus vel aemuli fuisse dicuntur [28]; nisi vero fuerit inter eos consuetudo, literarum tamen et studiorum commercium inter eos fuisse credibile est. Praecipui autem ejus auditores et sodales memorantur Zeno et Melissus [29], uterque cum illo disciplinae societate, ille etiam familiaritate conjunctus. Plato, ut vidimus, Zenonem Parmenidis delicias creditum dicit [30]; quamobrem graviter reprehensus est ab Athenaeo, qui cum Platonis anachronismum notat, de quo modo vidimus, tum

(27) Plato Theaet. p. 183 E: *Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται, τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τε ἅμα δεινός τε, . . . καί μοι ἐφάνη βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον.* Soph. p. 237 A: *Παρμενίδης δὲ ὁ μέγας.*

(28) De Leucippo Simplicius, auctore, ut videtur, Theophrasto, Phys. f. 7 A; de quo infra in Dissertat. de Parm. phil.

De Empedocle Diogenes Laërt VIII, 55, 56: *ὁ δὲ Θεόφραστος Παρμενίδου φησὶ ζηλωτὴν αὐτὸν (Ἐμπεδοκλῆ) γενέσθαι καὶ μιμητὴν ἐν τοῖς ποιήμασι. — Ἀλκιδάμας δὲ ἐν τῷ φυσικῷ φησὶ κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους Ζήνωνα καὶ Ἐμπεδοκλῆ ἀκοῦσαι Παρμενίδου.* Cf. Suidas v. *Παρμενίδ.* Alcidamas hic Isocrati aequalis, atque adeo illorum temporibus proximus habetur. Fabric. Bibl. Gr. II, 26, 4. T. II, p. 776. Harl. Fides tamen ejus mihi non satis spectata videtur.

(29) Diogenes L. IX, 24.

(30) Plato Parmen. p. 127 B; Diogenes L. IX, 25.

praesertim eum vituperat, quod de talibus viris tam indignam rem temere ausus sit praedicare: τὸ δὲ πάντων σχετλιώτατον, inquit, καὶ τὸ εἰπεῖν, οὐδεμιᾶς κατεπειγούσης χρείας, ὅτι παιδικὰ γεγόνοι τοῦ Παρμενίδου Ζήνων ὁ πολίτης αὐτοῦ [31]. Scite profecto! ignorat videlicet amorem, quo vulgus abutebatur ad turpissimam libidinem, a philosophis, Socraticis praesertim, traductum esse ad mentis animique conjunctionem, qua nulla esset honestior, nulla ad pulcri bonique studium excitandum alendumque efficacior. Itaque ut Socrates ipse ubivis se profitetur ἐρωτικὸν, sic minime inhonestum, Zenonem Parmenidis παιδικὰ appellari, utpote communi sapientiae ardore cum eo conjunctum. Hoc bene intellexit Proclus et, quamvis in multis a Platonis mente aberrans, Platonice interpretatur: παιδικὰ τοῦ Παρμενίδου γέγονεν, inquit, ὁ Ζήνων, δῆλον ὅτι πρὸς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν θεὸν ἀμφοτέροις ἡ ἄνοδος ἦν [32]. Nonnulli videntur Parmenidem Zenonis patrem adoptivum credidisse [33], decepti, ut opinor, falsa interpretatione vocabuli πατήρ: nam *patrem* Graeci veteres interdum appellant disciplinae auctorem et magistrum, tamquam animi ingeniique parentem; quo sensu Parmenides Zenonis pater dici haberique merito potuit [34].

(31) Athenaeus, XI, p. 505 F.

(32) Proclus in Parmen. T. IV, p. 88.

(33) Diogenes L. citatus n. 1.

(34) Hoc sensu Eleates hospes apud Platonem Soph. p. 241 D, dicit τὸν τοῦ πατρὸς Παρμενίδου λόγον. Proclus Parm. T. IV, p. 8: ὁ μὲν οὖν Ζήνων... τὸν τοῦ πατρὸς Παρμενίδου λόγον ἠσπάζετο. ibid. p. 137; Theolog. Platon. I, p. 27. Amplius illustrant Astius Comment. in Platon. Phaedr. p. 340; Boissonnade ad Marin. Vit. Procli, Annot. p. 75 sq.

§ 4.

Philosophiam suam tam scriptis quam sermonibus explicuit et propagavit. In sermonibus ingressus est eam disserendi viam quae interrogando verum falsumque exquirit, ut significat Socrates apud Platonem dicens, auditum a se Parmenidem δι' ἐρωτήσεων disserentem, quam ejus disputationem ut pulcerrimam laudat[35]. Haec est proprie dialectica ratio quae, ut nomen indicat, in colloquendo et disceptando cernitur, et Eleaticae disciplinae propria est habita, ut notat idem Proclus: τὴν διαλεκτικὴν .... ἐξαιρετὸν οὖσαν τοῦ Ἐλεατικοῦ διδασκαλείου, καθάπερ ἄλλο τι τοῦ Πυθαγορείου λέγουσιν, ὡς τὴν διὰ τῶν μαθημάτων ἀγωγὴν, — καὶ ἄλλο τοῦ Ἡρακλειτείου, τὴν διὰ τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων γνῶσιν ὁδόν[36]. Dialecticen Eleaticis propriam dicit, ut mathematica Pythagoreis, etymologiam Heracliticis. Illius quidem artis inventorem Zenonem Aristoteles praedicat; Parmenidem tamen non rudem ejus et ignarum fuisse, recte Sextus Empiricus animadvertit[37]; ambo quoque apud Platonem tanquam ἐλεγκτικοὶ et περὶ τὰς ἔριδας ἐσπουδακότες memorantur[38]. Inchoaverat istam artem jam Xenophanes, altius eduxit Parmenides, Zeno artificiosius elaboravit et in contentionum palaestram protulit. In dialec-

(35) Plato Sophist. cit. n. 26.
(36) Proclus in Parm. T. IV, p. 12. Cf. p. 39.
(37) Sextus Empiricus adv. Mathem. VII, 5.
(38) Plato Soph. pr.

ticorum autem rogatiunculis celebrata est argumentatio Ἀχιλλεὺς dicta, altera item διχοτομία appellata, quarum illam Phavorinus, hanc Porphyrius Parmeniid tribuerunt auctori [39]; utramque tamen Zenoni jure vindicandam esse, Aristotelis et Simplicii testimoniis satis probatum est, ut alibi ostendemus.

Conscripsit philosophiam versibus, exemplum secutus Xenophanis, Hesiodi, aliorum, qui quondam carminibus de rerum natura et cognitione vaticinati erant [40]. Nam prosa oratio quamquam eo tempore jam effloruisset, et praesertim in Ionia tam a rerum scriptoribus quam philosophis usurpari coepisset, tamen nondum adeo frequentata erat, ut poësin auctoritate superaret, neque satis exculta, ut severiori praesertim disserendi et argumentandi modo satisfaceret. Poëtarum, praecipue Homeri, lectione imbuti usuque edocti, horum linguam facillime imitabantur; ab his rerum nomina, imagines, dictiones mutuabantur [41]; assumebant praesertim numeros, ut horum concinnitas disserendi tenuitatem et infantiam quodammodo tegeret et compensaret. Caeterum, exceptis numeris, Parmenidis orationem poëtico ornatu et elegantia paene nudam fuisse, etiam veteres animadverterunt. Proclus ejus stilum sic describit: Ὁ Παρμενίδης ἐν τῇ ποιήσει, καίτοι δι' αὐτὸ δήπου τὸ ποιητικὸν

(39) Phavorinus apud Laërtium IX, 23; Cf. Menagius Observv. h. l. Porphyrius apud Simplicium Phys. f. 30.

(40) Plutarchus de Pyth. Orac. p. 402. (Vol. VII, p. 584 R.) Diogenes L. IX, 22. Suidas Παρμ.

(41) Indicant hoc plurimi loci, quibus Parmenides Homericam dictionem expressit, quos passim notavimus in Commentario.

εἶδος χρῆσθαι μεταφοραῖς ὀνομάτων καὶ σχήμασι καὶ τρόποις ὀφείλων, ὅμως τὸ ἀκαλλώπιστον καὶ ἰσχνὸν καὶ καθαρὸν εἶδος τῆς ἀπαγγελίας ἠσπάσατο· ... ὥστε μᾶλλον πεζὸν εἶναι δοκεῖν ἢ ποιητικὸν λόγον. [42] Cicero ejus versus minus bonos appellat [43]; Plutarchus *στιχοποιΐαν* reprehendit, et animadvertit, Parmenidem, similiter ut Empedoclem, poësin usurpasse modo tanquam vehiculum, quo pedestrem incessum evitaret [44]. Itaque facile intelligitur, non tam ingenii luxuriem et linguae facundiam, quam, usum dicam an necessitatem, Parmenidi versuum pangendorum causam fuisse. Interdum modo magis inflavit orationem, quum cogitationum sublimitas rerumque gravitas ejus ingenium accenderet vocemque incitaret; ut in carminis prooemio, ubi concitata mente, veluti alatis equis, ut fingit, ad sapientiae templum evehitur. Qui locus testatur, Parmenidem, etsi magis docere quam delectare versibus studeret, non prorsus tamen ditioris venae fuisse expertem.

Nonnulli putarunt eum prosa quoque oratione scripta quaedam edidisse. Sic Suidas: *ἔγραψε δὲ ... καὶ ἄλλα τινὰ καταλογάδην, ὧν μέμνηται* Πλάτων [45]. Orta haec opinio videtur e Platonis loco in Sophista, ubi ille Par-

(42) Proclus in Parm. T. IV, p. 62.

(43) Cicero Acad. Qu. IV, 23.

(44) Plutarch. de audit. p. 44 (Vol. VI, p. 163 R.); tum de aud. poët. p. 16 C (VI, p. 56), ubi dicit: *τὰ δὲ Ἐμπεδοκλέους ἔπη καὶ Παρμενίδου, καὶ Θηριακὰ Νικάνδρου, καὶ Γνωμολογίαι Θεογνίδος λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ ποιητικῆς ὥσπερ ὄχημα τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν.*

(45) Similiter Eudocia p. 149 Villois. Sic arbitratur quoque Brandisius, l. l. p. 124 not.

menidis decreta memorans dicit: *τοῦτο ἀπεμαρτύρατο, πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων.* At quum Plato hic non solum de scriptis Parmenidis, sed universe de ejus disputationibus loquatur, probabile est, alterum (*πεζῇ*) ad sermones ab illo habitos, alterum (*μετὰ μέτρων*) ad versus quos edidit scriptos spectare [46]. Fertur quidem fragmentum quoddam pedestri oratione, quod Simplicius inter medios versus a se repertum dicit quasi ipsius Parmenidis; sed ipsum illud quasi a Simplicio additum indicat, fidem hujus loci parum ei spectatam fuisse. Quis vero credat, Parmenidem mediis in versibus verba metro soluta intertexuisse [47]? Praeterea unum modo scriptum edidisse Parmenidem, notat Diogenes [48], idque confirmatur cum aliorum veterum testimoniis, tum ipsius etiam scripti reliquiis, quum omnia, quae de Parmenidis versibus et placitis tradita sunt, ad unum idemque carmen sint referenda. Neque obstat quod Plato ejus *ποιήματα* memorat, quia *ποιήματα*, similiter ut *ἔπη*, *λόγοι*, *γράμματα*, de uno etiam carmine vel una disputatione, pluribus partibus composita, usurpantur [49].

(46) Plato Sophist. p. 237 A. Cf Ritter. Gesch. d. Phil. I, p. 464, n. 7.

(47) Plura de hoc ad ipsum fragmentum, quod Parmenidis versibus subjecimus, n. 2.

(48) Diogen. Laërt. Prooem. s. 16. Similiter veteres unum modo Parmenidis scriptum agnoscunt, appellantes *τὸν Παρμενίδου λόγον*, *τὸ Παρμενίδου σύγγραμμα*. Vid. Plato Parm. p. 128 A, C. Theophrastus apud Laërt. VIII, 55, dicit: *ἐκεῖνον ἐν ἔπεσι τὸν περὶ φύσεως λόγον ἐξενεγκεῖν.* Clemens Alex. Strom. V, p. 552 C: *Παρμενίδης ἐν τῷ αὐτοῦ ποιήματι.* Simplicius Phys. f. 31 A: *διὰ τὴν σπάνιν τοῦ Παρμενιδείου συγγράμματος.*

(49) Plato Parmen. princ. Sic vulgo dici solet *διὰ ποιημάτων φιλοσοφεῖν, ἐν ποιήμασιν ἐκφέρειν τοὺς λόγους*, caet. Diogen. Laërt. IX, 22. Plutarch.

§ 5.

Carmen hoc vulgo περὶ Φύσεως inscribi solitum est, sicut appellat jam Theophrastus, titulo plerisque physicorum scriptis communi [50]; etsi dubitari potest, utrum ab ipso Parmenide, an a serioribus sit profectus. Si ipse Parmenides ita inscripsit, vocabulum Φύσεως retinuit e prisco physicorum more, mutata significatione. Illi enim, mundi naturam et primordia considerantes, Φύσιν appellarunt rerum ortum motumque et elementa unde gignantur; Parmenides vero, etsi res naturales non neglexit, praecipue tamen consideravit id quod summum putabat, ens, quod vacuum omni naturali concretione, nec ipsum aliunde exstitit, nec aliis caussa fuit ut exsisterent. Hanc ergo naturam si Φύσιν appellavit, non propria usus est significatione, sed transtulit a rebus naturalibus ad aeternas: quo sensu postea quidem usurpatum esse constat [51]; eodemque jam veteriores usurpasse affirmat Simplicius, addens, similiter Melissi librum περὶ Φύσεως ἢ περὶ ἐόντος fuisse inscriptum [52]. Quidquid

de Pyth. orac. p. 402. Eodem sensu Ζήνωνος λόγοι, γράμματα, de una disputatione, apud Platon. Parm. p. 127 C, D, E.

(50) Theophrastus citatus n. 48; similiter Sextus Empir. adv. Math. VII, 111. Porphyrius Antr. nymph. C. 22, φυσικὸν appellat; Suidas et Eudocia p. 361, φυσιολογίαν, eadem significatione.

(51) Vid. Aristotelis Metaph. IV, 4. p. 677. Cas.

(52) Simplicius de Coelo III, f. 138 A. Idem significare videtur Aristoteles, quum non semel dicit, priscos philosophos ens atque universum idem existimasse, ut Metaph. III, 3: μόνοι γὰρ ᾤοντο περί τε ὅλης φύσεως σκοπεῖν καὶ περὶ τοῦ ὄντος. Phys. I, 8. p. 261 B: ζητοῦντες γὰρ οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν ἀλήθειαν καὶ τὴν φύσιν τὴν τῶν ὄντων. Quamquam non exprese dicat, eos utrumque uno vocabulo designasse.

sit, — non enim tanti haec quaestio est, — hoc titulo Parmenidis carmen a veteribus vulgo notatum esse patet.

Duplex autem est ejus argumentum, de veritate, et de opinionibus seu visis; unde veteres plerique in duas partes diviserunt, et proprio utramque nomine designarunt, alteram τὰ πρὸς ἀλήθειαν sive περὶ τοῦ νοητοῦ, alteram τὰ πρὸς δόξαν sive περὶ τοῦ αἰσθητοῦ appellantes [53]. Hinc nonnulli putarunt, Parmenidem duos edidisse libros diverso argumento, diversis titulis inscriptos [54]. Sed ista divisio, aliena a veterum more, a serioribus demum inducta est; Parmenides ipse ambo argumenta non paribus libris distinxit, sed colligavit unaque disputatione complexus est, ut etiam nunc ex ejus reliquiis apparet [55].

Harum autem partium altera agit de ente et veritate; altera de rebus fluxis, de mundi principiis, natura et conditione, unde haec κοσμογονία appellatur a Plutarcho [56]. Plato memorat Parmenidem etiam de diis scripsisse, similiter ut Hesiodum [57]: quod non sic inter-

(53) Ut Proclus in Parm. T. V, p. 310 sq. καὶ αὐτὸς Παρμενίδης τὰ μὲν πρὸς ἀλήθειαν ἔγραψε, τὰ δὲ πρὸς δόξαν. Io. Philoponus Phys. I. lit. A, p. 9; lit. C, p. 11. ed. Trincav. Simplicius Phys. I. f. 7 B.

(54) Sic fere recentiores. Io. Camotius in Theophr. metaph. f. 44 B: Παρμενίδης γράψας δύο βιβλία, ἓν κατὰ τὴν κοινὴν δόξαν, ἕτερον δὲ κατὰ τὴν ἀλήθειαν. Similiter Bessarion adv. Calumn. Platon. II, 11. f. 31 B. Lescaloperius ad Cicer. Nat. Deor. I, p. 45.

(55) Animadvertit hoc jam Brandis. ad Parm. vs. 107. Commentitium plane et falsum est Procli judicium, Parmenidem Pythagoreos imitatum altera carminis parte quasi ἐσωτερικοὺς et μυστικοὺς, altera ἐξωτερικοὺς sive ὑπαιθρίους λόγους exposuisse; in Parm. T. V, p. 310. Hic nihil studiosius agit, quam ut Parmenidis rationes cum Pythagoricis confundat.

(56) Plutarch. Amator. p. 756 F. Vol. IX, p. 32. Reisk.

(57) Plato Symp. p. 195 C: τὰ δὲ παλαιὰ πράγματα περὶ θεοὺς, ἃ

pretandum, quasi Parmenides quoque theogoniam condiderit; sed spectat ad eam carminis partem qua rerum naturam cecinit, in qua celebranda poëtarum commenta vulgique opiniones secutus, etiam Deorum nomina induxit et fabulas enarravit, quarum etiamnunc in ejus versibus vestigia quaedam restant. Hae fabulae quales fuerint notat Menander rhetor, qui scribit Parmenidem composuisse *ὕμνους Φυσιολογικοὺς* [58], h. e. tales narrationes in quibus Deorum personae et nomina finguntur factaque narrantur ad rerum principia, naturae vires, mundique partes significandas accomodate; sicut solent poëtae e. g. Apollinem solem dicere, ejusque personam solis naturae et potestati accommodare, Iovem aethera, aërem Junonem, cet. Imprimis ergo Parmenides videtur in naturae rebus explicandis hanc rationem secutus esse, quae ista aetate maxime invalescere coeperat, ut fabulas deorum ad physicas rationes revocaret; cujus exemplum deinceps Empedocles studiose est imitatus [59].

Ἡσίοδος καὶ Παρμενίδης λέγουσιν — ubi Astius parum considerate pro *Παρμενίδης* scribi volebat *Ἐπιμενίδης*. Idem scribit Macrobius Somn. Scip. I, c. 2 extr. » Pythagoras ipse atque Empedocles, Parmenides quoque » et Heraclitus de Diis fabulati sunt."

(58) Menander de Encom. I, c. V, p. 39, postquam hi hymni quales sint explicuit, addit: *χρῶνται δὲ τοιούτῳ τρόπῳ Παρμενίδης τε καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἀκριβῶς· κέχρηται δὲ καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ.* — *Παρμενίδης μὲν οὖν καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἐξηγοῦνται, Πλάτων δὲ ἐν βραχυτάτοις ἀνυμνεῖ.* — *καὶ οἱ ποιηταί, ὧν ἐπεμνήσθημεν, πραγματείας ὅλας κατέθεντο.* Ex hoc genere *πραγματειῶν* est Parmenidis exordium, a Sexto Empirico servatum.

(59) Tangendum hic obiter quod nonnulli e Diogene Laërtio effecerunt, Callimachum dixisse, Parmenidis carmen, quod fertur, non esse. Ille in vita Parmenidis IX, 42, haec scribit: *δοκεῖ πρῶτος πεφωρακέναι τὸν αὐτὸν εἶναι Ἕσπερον καὶ Φώσφορον· Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα.* Quae Stanleius Hist. Philos. P. X, 1, p. 876, sic inter-

§ 6.

Parmenidis doctrina quam clara olim et celebrata apud philosophos fuerit, notum est. Empedocles, illius exemplo commotus, ejus scribendi genus, praesertim in physicis, aemulatus est. Zeno magistri rationes ab aliis impugnatas tueri et adversarios refutare studiose conatus est [60]. Amborum, Parmenidis et Zenonis, meminit Democritus, ut sua aetate maxime nobilium (*ὡς κατ' αὐτὸν μάλιστα διαβεβοημένων*), ut testatur Laërtius [61]; quem in ceteris deridendis nec illis pepercisse probabile est. Eleaticorum placita cupide arripuerunt Sophistae, quippe qui in his egregiam sibi videbantur reperisse cavillandi materiem; eadem studiose sectati sunt Megarici, quorum parens Euclides

pretatur; quasi Callimachus dixerit, Parmenidem nullum carmen scripsisse. At si Diogenes istud voluisset significare, Callimachi judicium memorasset certe eo loco, ubi de Parmenidis carmine loquitur, §. 22, dicens: *καὶ αὐτὸς διὰ ποιημάτων φιλοσοφεῖ, καθάπερ Ἡσίοδος.* Sed Callimachi sententia referenda ad inventum illud astronomicum, quod hic memoratur, de quo, ut dicit, inter doctos non conveniebat, utrum Pythagorae esset an Parmenidi tribuendum. Quid autem Callimachus voluerit, obscurum. Utrius illorum negat esse *τὸ ποίημα?* Pythagorae an Parmenidis? Credo, Parmenidis, quia de hoc agitur. Quid autem dicit *ποίημα?* Num significat poëma quoddam, alterutri horum attributum, quo inventum istud celebraretur? Non est probabile. Potius credo *ποίημα* mutandum in *εὕρημα*, aut certe hac significatione interpretandum, ut apud Jamblich. Vit. Pythag. s. 162: *τοιαῦτα Πυθαγόρας πλάσματα καὶ ποιήματα εἰς ὠφέλειαν καὶ ἐπανόρθωσιν τῶν συνδιαγόντων ἐπενοεῖτο.* quod recte interpres vertit *inventa figmentaque.*

(60) Plato Parm. p. 128 C.

(61) Diogenes Laërt. IX, 42.

Parmenidis dialectica cum morali Socratis disciplina conjungere instituit [62]. Maxime vero illius philosophiam nobilitavit Plato [63], celebri illo dialogo qui per tot secula doctorum studia exercuit et Parmenidis nomen ab oblivione vindicavit; quamquam eadem res occasionem dedit, ut Platonica cum Parmenideis confunderentur et hujus sententia ad illius rationem detorqueretur, quod maxime factum a Neo-Platonicis. Porro Platonem qui secuti sunt, Aristoteles et Xenocrates, tum Theophrastus et Eudemus Rhodius, Parmenidis placita diligenter explorarunt et disceptarunt. Xenocratis peculiare scriptum memoratur, *περὶ τῶν Παρμενίδου, α′* [64]. Aristotelem quoque libellum conscripsisse quo Parmenidis rationes redarguerit, nonnulli dixerunt; falso: nititur ista opinio Aristotelis loco in Physicis, ubi Melissi sententiam redarguens dicit, adversus Parmenidem eadem argumenta et praeterea alia quaedam propria valere: *καὶ πρὸς Παρμενίδην δὲ*, inquit, *ὁ αὐτὸς τρόπος τῶν λόγων, καὶ εἴ τινες ἄλλοι ἴδιοί εἰσιν.* Hinc videlicet effecerunt; quos Aristoteles hic commemorat *ἰδίους λόγους*, peculiari libro esse ab eo explicitos, quem hoc loco spectet [65]; etsi nec Aristoteles nec ullus

(62) Diogenes Laërt. II, 106. Hinc quod Megarici et qui hos secuti sunt, Eretriaci, iidem atque Eleatici dicantur apud Ciceron. Acad. Qu. IV, 42.

(63) Platonem accepisse ab Hermogene *τῷ τὰ Παρμενίδου φιλοσοφοῦντι*, auctor est Diogenes L. III, 6; quam narrationem ut futilem et ab Hermogenis persona alienam jure refutavit Groen van Prinsterer, Platon. Prosopogr. p. 252.

(64) Diogenes Laërt. IV, 13.

(65) Io. Philoponus Phys. Lit. B. p. 9: *φασὶ δὲ καὶ γεγράφθαι αὐτῷ ἰδίᾳ βιβλίον πρὸς τὴν Παρμενίδου δόξαν, ὃ νῦν αἰνίττεται διὰ τοῦ*

veterum hunc librum agnoscit. Hac igitur aetate Parmenidis carmen notum et doctorum manibus versatum fuisse constat: saepius scriptores illi et dicta ejus tangunt et versus interdum tanquam notos commemorant. Inde per plura adhuc secula, dum florerent in Graecia philosophiae studia, doctorum memoria viguit. Cicero Parmenidis versuum meminit [66]; num ipse eos legerit, dubium est. Plutarchus autem ita commemorat ejus carmen, ut, nisi in manibus habuisset, vix potuisset de eo sic loqui [67]. Hunc qui aetate sequuntur, Sextus Empiricus, Galenus, Clemens Alexandrinus, Coelius Aurelianus, non solum memorant carmen, sed versus quoque ex eo satis multos et varios adferunt; Sexto Empirico praesertim debemus nobile prooemium, quo poëma exorsus est. Hi vero si non omnes integrum Parmenidis carmen habuerint [68], apparet tamen illud eo tempore adhuc exstitisse et eruditorum memoria viguisse. Deinde autem magis magisque rarescere coepit; Platonici et Aristotelici plerique in exploranda illius doctrina non fontem sed rivulos consectati, pleraque e Platone, Aristotele, Theophrasto hauriebant [69]. Neque tamen prorsus evanuit: Proclus,

εἰπεῖν, καὶ εἴ τινες ἄλλοι ἕτεροι (l. ἴδιοι). Locus Aristotelis est in Phys. I, 3. p. 255 E.

(66) Cicero Acad. Qu. IV, 23.

(67) Plutarchus praesertim adv. Colot. p. 1114.

(68) Coelium Aurelianum ipsum Parmenidis carmen non habuisse in manibus, sed fragmentum tantum ejus vidisse, patet ex ipsius verbis. Vid. annot. ad vs. 150 sqq.

(69) Sic Porphyrius, auctor non admodum diligens, Parmenidis car-

qui quinto post Christum seculo fuit, in explicando Parmenide ipsius scriptum adhuc in manibus habuisse videtur, certe multis locis versus ex eo passim decerptos commemorat. Praecipue vero ab oblivione vindicavit Simplicius, qui quum ejus aetate veteriorum scripta jam essent rariora et paucis nota, plura ex iis excerpsit et posteritatis memoriae prodidit [70]; quae autem e Parmenide retulit, desumta sunt praecipue ex ea carminis parte quae de veritate agit; ex altera, qua res naturales tractantur, non nisi pauca memoravit, et contenti esse debemus paucis reliquiis hic illic passim obviis. Duobus igitur his auctoribus, Sexto Empirico et Simplicio, praecipua debemus quae de Parmenide ad nostram notitiam pervenerunt.

Notavimus praecipuos auctores, a quibus Parmenidei carminis reliquias et fragmenta accepimus. In

men fando tantum cognovit, ut ipse indicat verbo φασί; Antr. Nymph. c. 22. cf. annot. ad Parm. vs. 11. Neque Simplicio ejus fides hac in re satis probata erat, quum Phys. I, f. 25 A illius dicta referens, sic scribat: Πορφύριος δὲ ... τὰ μὲν ἐκ τῶν Παρμενιδείων ἐπῶν, ὡς οἶμαι, τὰ δὲ ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους καὶ ὧν ἄν τις πιθανῶς ἐκθέσθαι τὴν Παρμενίδου δόξαν βουλόμενος εἴποι, γράφει ταῦτα.

Alexander Aphrodisius, quamvis studiosus in Eleaticis refellendis, magis tamen e Theophrasto quam ex ipso Parmenide videtur hausisse. Adversus hunc disputat Simplicius Phys. f. 17. — Johannes Grammaticus, in disserendo de Parmenide, ipse auctores laudat Aristotelem, Platonem et Theophrastum. Vid. Phys. (ed. Trincav.) I, lit B. f. IV averso.

(70) Simplicius Phys. f. 9 A, de Parmenide agens, ταῦτα μὲν, inquit, διὰ τὴν πολλὴν ἄγνοιαν νῦν τῶν παλαιῶν συγγραμμάτων μηκύνειν ἀναγκάζομαι. ibidem f. 31 A: ἡδέως ἂν τὰ περὶ τοῦ ἑνὸς ὄντος ἔπη τοῦ Παρμενίδου τοῖςδε τοῖς ὑπομνήμασι παραγράψαιμι, διά τε τὴν πίστιν τῶν ὑπ᾽ ἐμοῦ λεγομένων καὶ διὰ τὴν σπάνιν τοῦ Παρμενιδείου συγγράμματος.

qua notatione apparet temporum quaedam series et successio, qua illa per doctorum manus deinceps tradita et ad seriora tempora sunt delata. Atque si ipsas reliquias consideremus, inveniemus, pleraque quae ab antiquissimis inde auctoribus usque ad seriores relata sunt, apte inter se cohaerere; quae Plato quamvis pauca prodidit, concinunt plane cum iis quae ampliora apud Simplicium leguntur: quocirca si illius auctoritas probanda est, etiam hujus ceterorumque fides in dubium vocari non facile potest. Porro apud hos eaedem quaestiones, eadem argumenta proferuntur et tractantur quae jam apud Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Eudemum, memorata et disceptata reperimus. Denique versuum compositio et forma talis est, qualem veteres describunt: versus minus eleganter conditi, ad docendum magis quam ad delectandum compositi; dictio tenuis, jejuna, interdum asperior; argumentandi et concludendi modus ejusmodi, qui dialectices infantiam referat. Quibus rationibus quum satis firmata videatur horum versuum auctoritas, non est dubitandum, quin jure habendi sint primarius fons, e quo Parmenidis ratio haurienda et explicanda sit.

ΠΑΡΜΕΝΙΔΟΥ

ΕΠΕΩΝ ΛΕΙΨΑΝΑ.

ΠΑΡΜΕΝΙΔΟΥ

ΕΠΗ.

ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ.

Ἵπποι, ταί με φέρουσιν, ὅσον τ' ἔπι θυμὸς ἱκάνοι
πέμπον, ἐπεί μ' ἐς ὁδὸν βῆσαν πολύφημον ἄγουσαι
Δαίμονος ἣ κατὰ πάντ' ἀδαῆ φέρει εἰδότα φῶτα·
τῇ φερόμην, τῇ γάρ με πολύφραστοι φέρον ἵπποι
ἅρμα τιταίνουσαι. Κοῦραι δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον,
Ἡλιάδες κοῦραι, προλιποῦσαι δώματα νυκτὸς,
εἰς φάος, ὠσάμεναι κροτάφων ἄπο χερσὶ καλύπτρας.
ἄξων δ' ἐν χνοιῆς ἵει σύριγγος ἀϋτὴν
αἰθόμενος, - δοιοῖς γὰρ ἐπείγετο δινωτοῖσι
κύκλοις ἀμφοτέρωθεν - ὅτε σπερχοίατο πέμπειν.
Ἔνθα πύλαι νυκτός τε καὶ ἤματός εἰσι κελεύθων,
καί σφας ὑπέρθυρον ἀμφὶς ἔχει καὶ λάϊνος οὐδός,
αὐταὶ δ' αἰθέριαι πλῆνται μεγάλοισι θυρέτροις·
τῶν δὲ Δίκη πολύποινος ἔχει κληΐδας ἀμοιβούς·
τὴν δὴ παρφάμεναι κοῦραι μαλακοῖσι λόγοισι
πεῖσαν ἐπιφραδέως, ὥς σφιν βαλανωτὸν ὀχῆα
ἀπτερέως ὤσειε πυλέων ἄπο· ταὶ δὲ θυρέτρων

Exordium, vss. 1-30 (ἵπποι — ἀληθής), citat Sextus Empiricus adv. Math. VII, s. 111; quibus versibus continuo ordine subjungit vss. 52-57 (ἀλλὰ συ τῆσδ' — — — λείπεται), ceteris omissis, quos aliunde interposuimus.

PARMENIDIS CARMEN.

DE NATURA.

Equi, quibus vehor, quo animi impetus tenderet
me duxerunt, siquidem in celebrem me vexerunt viam
Daemonis quae per arcana omnia fert doctum virum.
Hac ferebar; namque hac me solertes portabant equi
currum agentes. Nymphae autem iter ducebant,
Heliades nymphae, noctis domum egressae,
in lucem, velaminibus de capite rejectis.
Axis autem in foraminibus ciebat fistulae stridorem
fervens, - binis enim agitabatur tornatis
rotis utrimque - quando vehere festinarent.
Illic est porta noctis et lucis viarum,
quam supra hyperthyrium, infra limen lapideum continet;
ipsa autem aetheria clauditur ingentibus valvis,
quarum ultrix Justitia tenet reciprocas claves.
Hanc igitur nymphae blandis verbis deprecatae,
scite ei persuaserunt, ut sibi balano munitum vectem
incunctanter disjiceret a foribus; statim porta valvis

Vs. 11 tangit Porphyrius de Antr. Nymph. cap. 22.

χάσμ' ἀχανὲς ποίησαν ἀναπτάμεναι, πολυχάλκους
ἄξονας ἐν σύριγξιν ἀμοιβαδὸν εἱλίξασαι
γόμφοις καὶ περόνῃσιν ἀρηρότας· ᾗ ῥα δι' αὐτῶν
ἰθὺς ἔχον κοῦραι κατ' ἀμαξιτὸν ἅρμα καὶ ἵππους.
καί με Θεὰ πρόφρων ὑπεδέξατο, χεῖρα δὲ χειρὶ
δεξιτερὴν ἕλεν, ὧδε δ' ἔπος φάτο καί με προσηύδα·
Ὦ κοῦρ', ἀθανάτοισι συνήορος ἡνιόχοισιν,
ἵπποις ταί σε φέρουσιν ἱκάνων ἡμέτερον δῶ,
χαῖρ', ἐπεὶ οὔτι σε μοῖρα κακὴ προὔπεμπε νέεσθαι
τήνδ' ὁδὸν,– ἦ γὰρ ἀπ' ἀνθρώπων ἐκτὸς πάτου ἐστίν·–
ἀλλὰ θέμις τε δίκη τε. Χρεὼ δέ σε πάντα πυθέσθαι,
ἠμὲν ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεκὲς ἦτορ,
ἠδὲ βρότων δόξας τῇς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθὴς
ἀλλ' ἀπατή· καὶ ταῦτα μαθήσεαι ὥς τε δοκοῦντα
χρὴ δοκίμως ἰέναι διὰ παντὸς πάντα περῶντα.

Τὰ πρὸς ἀληθείαν.

Εἰ δ' ἄγ', ἐγὼν ἐρέω, κομίσαι δὲ σὺ μῦθον ἀκούσας,
αἵπερ ὁδοὶ μοῦναι διζήσιός εἰσι νοῆσαι·
ἡ μὲν, ὅπως ἔστι τε καὶ οὐκ ἔστι μὴ εἶναι,
πειθοῦς ἐστι κέλευθος, ἀληθείη γὰρ ὀπηδεῖ·
ἡ δ', ὡς οὐκ ἔστι τε καὶ ὡς χρεών ἐστι μὴ εἶναι, –

Vss. 28-32 (*χρεὼ δέ σε — — περῶντα.*) laudat Simplicius de Coelo f. 138 A. ed. Ald. quae tamen editio nihil aliud est quam interpretatio e Latina Moërbekae versione Graece facta. Simplicii manum e codice Taurin. restituit Am. Peyron, l. l. p. 55.
Vss. 28-30 (*χρεὼ δέ — — ἀληθής*) Diogenes L. IX, 22; Vss. 29 et 30 Plutarchus

pansis immanem hiatum fecit, aeratos
in fistulis cardines retrorsum convertens
nexos clavis et fibulis; per eamque
cito rexerunt nymphae lato tramite currum.
Ac Dea me propitia accepit, dextraque dextram
prehendit, et his locuta verbis me affata est:
O puer, divinis comitate aurigis,
equis qui te vehunt ad nostram domum delate,
macte! siquidem non mala te fors induxit ire
hanc viam,- nam longe a trita mortalium semita distat,-
sed religioque fidesque. Oportet autem omnia te nosse,
et veritatis benesuadae mentem sinceram,
et mortalium visa, in quibus non vera fides
sed fallacia; et haec nosces quomodo existimantem te
oporteat clare perdiscere omnia pervestigantem.

De Veritate.

Age vero, ego dicam, tu dicta teneto audiens, (sitae:
quae solae sint quaerendi viae ad cognoscendum propo-
altera, quod est neque potest non esse,
Suadae via est; veritas enim comitatur;
altera, quod non est et quod necesse est non esse, -

---

adv. Colot. p. 1114. Vol. X. p. 585 R. Clemens Alex. Strom. V, p. 576. Proclus in Plat. Timaeum, II, p. 105.

Vss. 33 40 (εἰ δ' ἄγ' — — φράσαις) citat Proclus in Timaeum l. l. post vss. 29 et 30, interjecto καὶ πάλιν, hos subjiciens.

Vss. 35-40 (ἡ μὲν ὅπως — — φράσαις.) Simplicius Phys. I, f. 25 A.

τὴν δή τοι φράζω παναπειθέα ἔμμεν ἀταρπόν·
οὔτε γὰρ ἂν γνοίης τό γε μὴ ἐὸν, – οὐ γὰρ ἀνυστόν, –
οὔτε φράσαις.
τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν ἐστί τε καὶ εἶναι.

* * *

ξυνὸν δέ μοι ἐστὶν,
ὁππόθεν ἄρξωμαι, τόθι γὰρ πάλιν ἵξομαι αὖθις.

* * *

Χρὴ τὸ λέγειν τε νοεῖν τ' ἐὸν ἔμμεναι· ἔστι γὰρ εἶναι,
μηδὲν δ' οὐκ εἶναι· τά τέ σε φράζεσθαι ἄνωγα·
πρῶτον τῆςδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα.
αὐτὰρ ἔπειτ' ἀπὸ τῆς ἣν δὴ βρότοι εἰδότες οὐδὲν
πλάζονται δίκρανοι· ἀμηχανίη γὰρ ἐν αὐτῶν
στήθεσιν ἰθύνει πλαγκτὸν νόον· οἱ δὲ φορεῦνται
κωφοὶ ὅμως τυφλοί τε τεθηπότες, ἄκριτα φῦλα,
οἷς τὸ πέλειν τε καὶ οὐκ εἶναι ταὐτὸν νενόμισται
κ' οὐ ταὐτόν· πάντων δὲ παλίντροπός ἐστι κέλευθος.

* * *

Ἀλλὰ σὺ τῆςδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα,

Vs. 40 (τὸ γὰρ αὐτὸ — εἶναι) separatim memorant Plotinus, Ennead. V, 1, 8. p. 489. Clemens Alex. Strom. VI, p. 627 B.

Vs. 41 sq. (ξυνὸν — — αὖθις) Proclus Comment. in Parm. T. IV, p. 120. Cousin.

Vss. 43-51. Initium (χρὴ τὸ λέγειν — μηδὲν δ' οὐκ εἶναι.) affert Simplicius Phys. f. 19 A; eosdem versus cum sqq. 43-51 (ἔστι γὰρ εἶναι — — κέλευθος) ibid. f. 25 A.

hanc vero tibi ajo plane falsam esse viam:
nam non ens nec animo comprehendas, (fieri enim nequit)
nec verbis eloquare.
idem est enim cogitare et esse.

* * *

aequale autem mihi est,
unde incipiam; namque rursus illuc revertar.

* * *

Oportet, dicere ac cogitare esse ens: namque est ens,
nihil vero non est; quod te animo tenere jubeo.
Primum ab ista quaerendi via mentem abstrahe.
Deinde vero ab illa, qua mortales utique ignari
errant ambigui; haesitatio enim in eorum
cordibus jactat fluctuantem mentem; illi autem feruntur
surdique caecique, stupore obsessi, dementia secla,
quibus esse et non esse idem aestimatur
et diversum: omnium quae hi probant contraria est via.

* * *

Tu vero ab hac quaerendi via mentem detine;

Vs. 50 sq. (οἷς τὸ πέλειν — κ'οὐ ταὐτόν.) idem f. 17 A.

Vss. 52-57 init. (Ἀλλὰ σὺ τῆσδ' — — λείπεται.) Sextus Empir. ut notavimus modo ad vs. 1. — vs. 52 citat Plato Soph. p. 237 A, 258 D. Simplicius Phys. f. 17 A, 152 B. — vss 53-55 (μηδέ σ' ἔθος — — ἔλεγχον) Diogenes L. IX, 22.

μηδέ σ' ἔθος πολύπειρον ὁδὸν κατὰ τήνδε βιάσθω,
νωμᾶν ἄσκοπον ὄμμα καὶ ἠχήεσσαν ἀκουὴν
καὶ γλῶσσαν· κρῖναι δὲ λόγῳ πολύδηριν ἔλεγχον
ἐξ ἐμέθεν ῥηθέντα. Μόνος δ' ἔτι μῦθος ὁδοῖο
λείπεται, ὡς ἔστι. ταύτῃ δ' ἐπὶ σήματ' ἔασι
πολλὰ μάλ', ὡς ἀγένητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστιν,
οὖλον μουνογενές τε, καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον·
οὔ ποτ' ἔην οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν,
ἓν ξυνεχές. τίνα γὰρ γέννην διζήσεαι αὐτοῦ;
πῇ πόθεν αὐξηθέν; οὔτ' ἐκ μὴ ἐόντος ἐάσω
φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν· οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν
ἐστιν ὅπως οὐκ ἔστι· τί δ' ἄν μιν καὶ χρέος ὦρσεν
ὕστερον ἢ πρόσθεν τοῦ μηδενὸς ἀρξάμενον φῦναι;
οὕτως ἢ πάμπαν πέλεμεν χρεών ἐστιν ἢ οὐκί.
οὐδέ ποτ' ἐκ τοῦ ἐόντος ἐφήσει πίστιος ἰσχὺς
γίγνεσθαί τι παρ' αὐτό. τοὔνεκεν οὔτε γενέσθαι
οὔτ' ὄλλυσθαι ἀνῆκε δίκη, χαλάσασα πέδῃσιν,
ἀλλ' ἔχει. ἡ δὲ κρίσις περὶ τούτων ἐν τῷδ' ἐστίν·
ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν. κέκριται δ' οὖν, ὥσπερ ἀνάγκη,

Vss. 56-111 (*Μόνος δ' ἔτι μ. — — ἀπατηλὸν ἀκούων.*), omissis vss. 89-92, Simplicius Phys. f. 31 A, B.

Vss. 56-69. (*Μόνος δ' ἔτι μ. — — χαλ. πέδῃσιν*) Simplicius ibid. f. 17 A. Vss. 58-60 ibid. f. 7 A.

Vss. 58 et 59 Clemens Alex. Strom. V, p. 603 A; ex hoc Eusebius Praep. Eu. XIII, p. 680 C.

Vs. 59. Plutarchus adv. Colot. p. 1114 D. (Vol. X, p. 584 R.) et in Strom. apud Eusebium Praep. Eu. I, p. 23 C. Theodoretus Therap. Serm. IV, p. 67 Sylb. Philoponus Phys. Lit. B, p. 9 (Venet. 1535.) Simplicius de Coel. III, f. 138 A. Phys. f. 26 A. et initium versûs ibid. f. 19 A.

Vs. 60 tangit Ammonius Herm. *περὶ Ἑρμηνείας*, Lit. D f. 7 Ald. Philoponus, l. l. Proclus in Parm. T. IV, p. 62 Cous.

neve vulgaris te consuetudo cogat in vagam hancce viam,
attendere caecos oculos et obtusas aures
vocemque; sed ratione judica argumentationem
a me propositam. Una igitur argumentationis via
restat, ens esse; in qua indicia insunt
permulta, ingenitum illud esse et immortale
totum unigenamque et immobile atque perenne;
non fuit olim neque erit, quoniam nunc est simul omne,
unum continuum. Quam enim materiem ejus invenies?
unde, qua ratione ortum? ex non ente nec dicere te
sinam nec cogitare: nam nec dici nec cogitari
potest non esse. Quae autem vis illud excitasset
ut post magis quam ante non ens exsisteret?
Ergo vel esse omnino vel non esse necesse est.
Nec umquam e non ente permittet fidei vis
fieri quidquam praeter ens ipsum. Quocirca nec natum esse
nec interire illud sinit justitia, remissis vinculis,
sed cohibet. Iudicium autem de his in hocce positum:
aut est aut non est. Jam vero decretum est, sicut necesse,

Vss. 61-65 (τίνα γὰρ γέννην — φῦναι) repetit Simplicius Phys. f. 34 B. Eosdem usque ad 64 init. (ἐστιν ὅπως οὐκ ἔστι) idem de Coelo apud Peyron. p. 56 sq.

Vss. 58-69 Bessarion adv. Platonis Calumn. II, 11. f. 31 B. ita fecit latinos:

Ingenitum quando est, sit et immortale necesse,
unigenum, immotum, immensum, sine fine perenne,
quod nec erat nec erit, totum nunc esse fatendum est,
unum, continuum. Nam quem ejus dixeris ortum?
Aut quo tandem? aut unde? nec ex non ente putandum est;
Nec dici ore potest, nostra nec mente revolvi,
Quod nihil est. Nam quid post ipsum fecit oriri
Aut prius? Entis enim non sunt primordia primi.

τὴν μὲν ἐᾶν ἀνόητον, ἀνώνυμον, - οὐ γὰρ ἀληθής
ἐστιν ὁδός - τὴν δ' ὥστε πέλειν καὶ ἐτήτυμον εἶναι.
πῶς δ' ἂν ἔπειτα πέλοι τὸ ἐόν; πῶς δ' ἄν κε γένοιτο;
εἴ γε γένοιτ', οὐκ ἔστ', οὐδ' εἴ ποτε μέλλει ἔσεσθαι·
τῶς γένεσις μὲν ἀπέσβεσται καὶ ἄπιστος ὄλεθρος.

Οὐδὲ διαίρετόν ἐστιν, ἐπεὶ πᾶν ἐστὶν ὅμοιον,
οὐδέ τι τῇ μᾶλλον τό κεν εἴργοι μιν ξυνέχεσθαι,
οὐδέ τι χειρότερον· πᾶν δὲ πλέον ἔστιν ἐόντος·
τῷ ξυνεχὲς πᾶν ἐστίν, ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει.
Αὐτὰρ ἀκίνητον μεγάλων ἐν πείρασι δεσμῶν
ἐστὶν, ἄναρχον, ἄπαυστον, ἐπεὶ γένεσις καὶ ὄλεθρος
τῆλε μάλ' ἐπλάγχθησαν, ἄπωσε δὲ πίστις ἀληθής·
τωὐτὸν δ' ἐν τωὐτῷ τε μένον καθ' ἑωυτὸ τε κεῖται·
οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει· κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη
πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει τέ μιν ἀμφὶς ἐέργει.
οὕνεκεν οὐκ ἀτελεύτητον τὸ ἐὸν θέμις εἶναι·
ἐστὶ γὰρ οὐκ ἐπιδευές, μὴ ἐὸν δέ κε παντὸς ἐδεῖτο.

Vs. 76 (τῶς γένεσις κ. τ. λ.) Simplicius de Coelo apud Peyron. p. 56; f. 138 A. Ald.
Vs. 77. idem Phys. f. 19 A; ibidemque vs. 81.
Vs. 80 ultima verba, ἐὸν γὰρ ἐ. π. memorant Plotinus Enn. VI. L. IV, c. 4. p. 648 A. Proclus in Parm. T. IV, p. 62, et 120. Philoponus Phys. Lit. B, p. 9.
Vss. 81-88. (Αὐτὰρ ἀκίνητον — — παντὸς ἐδεῖτο.), intermisso vs. 84, Simplicius

---

Numquam ergo aut semper, de quo nunc dicimus, ens est;
Ex nihiloque nihil fieri sententia perstat:
Ergo ortus nullus nec erit post secula finis.

alterum mittere, incomprehensibile, ineffabile, - non enim
vera est ista via - alterum vero constare et verum esse.
Quî igitur postea foret ens? vel quî antea exstitisset?
si exstiterit, non est, neque si quando futurum sit:
sic et ortus exstinctus est et infidus interitus.

Neque dividuum est, siquidem omne sui simile est,
nec alia parte valentius, quod prohibeat ipsum cohaerere,
alia parte debilius; sed omne plenum est entis:
ideo continuum est omne; nam ens enti cohaeret. (minis,
Est vero immotum magnis constrictum vinclorum ter-
principiique finisque expers, quoniam ortus et interitus
procul admodum refugerunt, quos repulit veritatis fides.
Ast idem eodem in statu ipsum per se consistit;
sic firmiter constitutum manet: dura enim necessitas
fatalibus vinculis cohibet circumque coërcet.
Quocirca finitum esse ens non licet:
non enim est sui indigens; non ens contra omnibus eget.

Phys. f. 9 A. Vss. 81-83 (*Αὐτὰρ ἀκ. — ἐπλάγχθησαν*) ibid. f. 17 B; sequentes 84-88 (*τωὐτόν — ἐδεῖτο*) f. 7 A.

Vs. 84 (*τωὐτὸν — μένον*) tangit Proclus in Parm. T. IV, p. 32.

Vss. 81-88 Bessarion l. l. f. 32 A, 31 B, sic vertit:

Immotum validis injecta in finibus arcent
Vincula, principiique expers finisque futuri;
Hinc etenim longe finisque ortusque recedunt:
Vera fides haec est, nec hoc qui credit aberrat.

* * *

Λεῦσσε δ' ὅμως ἀπέοντα νόῳ παρέοντα βεβαίως·
οὐ γὰρ ἀποτμήξει τὸ ἐὸν τοῦ ἐόντος ἔχεσθαι,
οὔτε σκιδνάμενον πάντῃ πάντως κατὰ κόσμον
οὔτε συνιστάμενον.

* * *

Τωὐτὸν δ' ἐστὶ νοεῖν τε καὶ οὕνεκεν ἔστι νόημα·
οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος, ἐν ᾧ πεφατισμένον ἐστίν,
εὑρήσεις τὸ νοεῖν· οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται
ἄλλο πάρεξ τοῦ ἐόντος· ἐπεὶ τό γε μοῖρ' ἐπέδησεν
οἶον ἀκίνητον τελέθειν τῷ παντὶ ὄνομ' εἶναι,
ὅσσα βροτοὶ κατέθεντο, πεποιθότες εἶναι ἀληθῆ,
γίγνεσθαί τε καὶ ὄλλυσθαι, εἶναί τε καὶ οὐχί,
καὶ τόπον ἀλλάσσειν, διά τε χρόα φανὸν ἀμείβειν.
Αὐτὰρ ἐπὶ πεῖρας πύματον τετελεσμένον ἐστὶ,
παντόθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ,
μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ· τὸ γὰρ οὔτε τι μεῖζον
οὔτε τι βαιότερον πέλεναι χρεών ἐστι τῇ ἢ τῇ·

Vss. 89-92 (*Λεῦσσε — — συνιστάμενον.*) Clemens Alex. Strom. V, p. 552 D.
Vs. 89 Theodoretus Therapeut. Serm. I, p. 13 Sylb.

Est et idem per seque manens ens semper eodem,
Immotum fixumque simul; vis magna necessi
Implicat hoc circum, summo quoque fine coërcet.
Quodsi fine vacet, nequaquam dicimus esse:
Si quid namque deest, opus est ens omne deesse.

* * *

Etiam absentia animo ut praesentia firme contemplare;
nihil enim ens ab ente, quominus cohaereat, divellet,
neque ut figurâ dissipetur omnino prorsus,
neque ut concilietur efficiet.

* * *

Idem autem est cogitare et id cujus caussa est cogitatio:
non enim seorsum ab ente, in quo repositum est,
cogitare reperies; neque est vel erit quidquam
aliud praeterquam ens: quoniam hoc fatum constituit,
unum immotumque universo contingere nomen esse,
quaecumque mortales opinati sunt, vera putantes,
et nasci et interire, et esse et non esse,
et locum mutare, et laetam speciem convertere.
Atqui ad extremum finem perfectum est,
undique rotundae sphaerae simile globo,
undique a medio aequale: nam neque majus
neque minus hac illave ex parte esse potest:

Vs. 93 sqq. Simplicius primario loco, quem indicavimus vs. 56.

Vss. 93-97 (τωὐτὸν — — ὄνομ' εἶναι.) idem abrupte memorat Phys. f. 19 A; vss. 93-95 (τωὐτὸν — εὑρήσ. τὸ νοεῖν.) ibid f. 31 A. Vs. 97 (οἷον κτλ.) Plato Theaet. p. 180 D; ex hoc Simplicius l. l. f. 7 A.

Vss. 102-104 (παντόθεν — — τῇ ἢ τῇ.) Plato Soph. p. 244 E; e Platone Proclus Theol. Platon. III, 20. p. 155; Simplicius Phys. I, f. 12 A, 19 B; Boëthius Consolat. philos. L. III. Eosdem citat Aristoteles de X. Z. G. cap. 2. Stobaeus Ecll. I, 15. p. 352.

οὔτε γὰρ οὐκ ἐόν ἐστι τό κεν παύῃ μιν ἱκεῖσθαι
εἰς ὁμὸν, οὔτ' ἐόν ἐστιν ὅπως εἴη κενεὸν ἐόντος
τῇ μᾶλλον, τῇ δ' ἧσσον, ἐπεὶ πᾶν ἐστιν ἄσυλον.
ᾗ γὰρ παντόθεν ἶσον ὁμῶς ἐν πείρασι κυρεῖ.

Ἐν τῷ σοι παύω πιστὸν λόγον ἠδὲ νόημα
ἀμφὶς ἀληθείης· δόξας δ' ἀπὸ τοῦδε βροτείας
μάνθανε, κόσμον ἐμῶν ἐπέων ἀπατηλὸν ἀκούων.

Τὰ πρὸς δόξαν.

Μορφὰς γὰρ κατέθεντο δύο γνώμης ὀνομάζειν·
τῶν μίαν οὐ χρεών ἐστιν, ἐν ᾧ πεπλανημένοι εἰσίν·
ἀντία δ' ἐκρίναντο δέμας, καὶ σήματ' ἔθεντο
χωρὶς ἀπ' ἀλλήλων· τῇ μὲν φλογὸς αἰθέριον πῦρ,
ἤπιον ἐὸν, μέγ' ἀραιὸν, ἑωυτῷ πάντοσε τωυτόν,
τῷ δ' ἑτέρῳ μὴ τωὐτόν· ἀτὰρ κἀκεῖνο κατ' αὐτὸ,
ἀντία νύκτ' ἀδαῆ, πυκινὸν δέμας ἐμβριθές τε.

Vss. 102, 103 pr. (*παντόθεν — ἰσοπαλές*) Aristoteles l. l. cap. 4; Proclus in Tim. p. 160 Bas. Simplicius Phys. f. 27 B.

Vss. 103, 104 (*οὔτε τι μεῖζον — — χρεών ἐστι.*) Proclus in Parmen. T. IV, p. 62. Dictum *μεσσόθεν ἰσοπαλὲς* saepius laudatur; ut ab Aristotele Phys. III, 6; Proclo in Parm. T. IV, p. 120.

Vss. 109-120 (*Ἐν τῷ σοι παύω — — παρελάσσῃ*) Simplicius Phys. f. 9 A; vss. 109-118 (*ἐν τῷ σοι π. — — ἐμβριθές τε*) ibid. f. 7 B.

Vss. 109-118 Bessarion l. l. f. 32 A sic vertit, parum accurate:

Hactenus et veri mentem intemerataque verba;
Nunc res mortales, carmen quoque sumite fallax.

neque enim non ens est, quod prohibeat ipsum constipari
in unum, neque ens ullo modo ente vacuum esse potest
hic magis illic minus, quia totum est intemeratum.
Nam aequabile undique simul in terminis haeret.

Hic tibi jam finio fida dicta et cogitata
de veritate; visa deinceps mortalia
cognosce, ordinem versuum meorum fallacem audiens.

De Visis.

Formas enim mentibus statuerunt duas designare,
(quarum unam ponere non licet, in eoque falluntur;)
easque bifariam distinxerunt materie, notasque addiderunt
sibi oppositas: hinc aethereae flammae ignem,
levem, pertenuem, sui omnino similem,
contrario dissimilem; verum hoc quoque sibi consentiens,
alteri oppositum, noctem obscuram, materiem densam ac
gravem.

Vss. 109-111 (Ἐν τῷ σοι π. — ἀκούων.) idem de Coelo, III f. 138 A, Ald. apud Peyronum, p. 55. — Vss. 112-118 (Μορφὰς — — ἐμβριθές τε) idem Phys. f. 38 sq.

Principio duplicem statuerunt dicere formam;
Altera sed minus est tali cognomine digna,
Quod simulans verum fallit mortalia corda.
Has contra adverso statuerunt ordine metas:
Hic flammam aetheriam statuunt raramque levemque;
Ipsa sui similis semperque sibi undique constat;

Τῶν σοι ἐγὼ διάκοσμον ἐοικότα πάντα φατίζω,
ὡς οὐ μή ποτέ τις σε βροτῶν γνώμη παρελάσσῃ.

* * *

Αὐτὰρ ἐπειδὴ πάντα φάος καὶ νὺξ ὀνομάσται
καὶ τὰ κατὰ σφετέρας δυνάμεις ἐπὶ τοῖσί τε καὶ τοῖς,
πᾶν πλέον ἐστὶν ὁμοῦ φάεος καὶ νυκτὸς ἀφάντου,
ἴσων ἀμφοτέρων, ἐπεὶ οὐδετέρῳ μέτα μηδέν.

* * *

Αἱ γὰρ στεινότεραι ποίηντο πυρὸς ἀκρίτοιο,
αἱ δ' ἐπὶ ταῖς νυκτός, μετὰ δὲ φλογὸς ἵεται αἶσα·
ἐν δὲ μέσῳ τούτων Δαίμων ἣ πάντα κυβερνᾷ·
πάντα γ' ἄρα στυγεροῖο τόκου καὶ μίξιος ἀρχὴ
πέμπουσ', ἄρσενι θῆλυ μίγεν τό τ' ἐναντίον αὖθις
ἄρσεν θηλυτέρῳ.

* * *

πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

* * *

Vss. 121-124 (*Αὐτὰρ ἐπειδὴ — — μέτα μηδέν.*) Simplicius Phys. f. 39 A.
Vss. 125-127 (*Αἱ γὰρ στεινότ. — — κυβερνᾷ·*) id. f. 9 A. — Vss. 126-130 (*αἱ δ' ἐπὶ ταῖς — — θηλυτέρῳ*) id. f 7 B.

Illic obscuram adversantemque undique noctem,
Incomptam, humentem, gelidam, densamque gravemque.

Quorum ego tibi dispositionem, qualis videatur, omnem
ut ne ulla te mortalium doctrina fugiat. (exponam,

* * *

Quum autem omnia nominata sint lux et nox
et quae secundum suam potestatem huc illucve pertinent,
universum completum est luce nocteque obscura; (inest.
quorum utrumque est aequale, quoniam neutri inane

* * *

Angustiores enim orbes conflati sunt luce crassiore;
hos qui sequuntur, nocte, quam inter volitat ignis flamma;
in medio autem horum est Dea quae cuncta gubernat.
Cuncta enim dirae generationis coitûsque appetitu
incitante, et femina mari et contrario rursus
mas feminae conjugata sunt.

* * *

primum quidem omnium deorum formavit Amorem.

* * *

Vs. 130 (πρώτιστον κτλ.) citant Plato Sympos. p. 178 B; Aristoteles Metaph. I, 4. p. 646 E; Plutarch. Amator. p. 756 F (IX, p. 32 Reisk.); Sextus Emp. adv. Math. IX, 9; Stobaeus Ecll. Phys. I, 10. p. 274; Simplicius Phys. f. 9 A.

Εἴσῃ δ' αἰθερίαν τε φύσιν τά τ' ἐν αἰθέρι πάντα
σήματα, καὶ καθαρᾶς εὐαγέος ἠελίοιο
λαμπάδος ἔργ' ἀΐδηλα, καὶ ὁππόθεν ἐξεγένοντο,
ἔργα τε κύκλωπος πεύσῃ περίφοιτα σελήνης
καὶ φύσιν· εἰδήσεις δὲ καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα,
ἔνθεν ἔφυ τε καὶ ὥς μιν ἄγουσ' ἐπέδησεν ἀνάγκη
πείρατ' ἔχειν ἄστρων.

* * *

πῶς γαῖα καὶ ἥλιος ἠδὲ σελήνη
αἰθήρ τε ξυνὸς γάλα τ' οὐράνιον καὶ ὄλυμπος
ἔσχατος ἠδ' ἄστρων θερμὸν μένος ὡρμήθησαν
γίγνεσθαι.

* * *

νυκτιφαὲς περὶ γαῖαν ἀλώμενον ἀλλότριον φῶς.

* * *

αἰεὶ παπταίνουσα πρὸς αὐγὰς ἠελίοιο.

* * *

Vss. 132-138 (εἴσῃ δ' αἰθερίην — — ἄστρων.) Clemens Alex. Strom. V extr. p. 614 A.
Vss. 139-142 (πῶς γαῖα — — — γίγνεσθαι.) Simplicius de Coelo, III, f. 138 B. Ald. apud Peyron. p. 55 sqq.

Nosces autem et aetheriam naturam et quaecumque
sunt in aethere signa, et splendidi clara solis
face labores occultos, et unde haec exstiterint;
gestaque rotundae disces circumvaga lunae
naturamque; nosces quoque coelum omnia cingens,
et unde exstiterit et quomodo regens ipsum necessitas
ut astrorum terminos teneat. (adligarit

* * *

ut terra utque sol et luna
communisque aether lacteusque orbis et olympus
summus et astrorum fervida vis coeperint
exsistere.

* * *

Noctilucum terram circumvagans lumen alienum.

* * *

semper solis radios adversa intuens.

* * *

Vs. 143 (νυκτιφαὲς) Plutarchus adv. Colot. p. 1116 A. (Vol. X, p. 590. Reisk.)
Vs. 144 (αἰεὶ παπτ.) Plutarchus Qu. Rom. p. 282 B; de Facie lun. p. 929 A. (Vol. VII, p. 138; Vol. IX, p. 671 R.)

145. Ὡς γὰρ ἑκάστῳ ἔχει κρᾶσις μελέων πολυπλάγκτων,
τὼς νόος ἀνθρώποισι παρέστηκεν· τὸ γὰρ αὐτό
ἐστιν ὅπερ φρονέει μελέων φύσις ἀνθρώποισι
καὶ πᾶσιν καὶ παντί· τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα.

* * *

δεξιτεροῖσιν μὲν κούρους, λαιοῖσι δὲ κούρας.

* * *

* * *

Οὕτω τοι κατὰ δόξαν ἔφυ τάδε, νῦν τε ἔασι,
καὶ μετέπειτ' ἀπὸ τοῦδε τελευτήσουσι τραφέντα·
τοῖς δ' ὄνομ' ἄνθρωποι κατέθεντ' ἐπίσημον ἑκάστῳ.

Vss. 145-148 (Ὡς γὰρ ἑκάστῳ — — νόημα.) Aristoteles Metaph. III, 5. p. 671 C. Theophrastus, fragm. de sensu, princ.

Vs. 149 (δεξιτεροῖσιν κτλ.) Galenus in Hippocrat. Epidem. VI, 48. Comment. II. (T. IX, p. 430. Charter.)

Nam uti cuique comparata est caducorum temperies membrorum, sic cuique intellectus inest: hoc enim ipsum est quod sapit, corporis natura, mortalibus et omnibus et singulis; quod enim valentius, intelligentia est:

* * *

dextris quidem partibus pueros, laevis autem puellas.

* * *

Femina virque simul Veneris cum germina miscent
Venis, informans diverso ex sanguine virtus,
Temperiem servans, bene condita corpora fingit;
At si virtutes, permixto semine, pugnent
Nec faciant unam, permixto in corpore dirae
Nascentem gemino vexabunt semine sexum.

* * *

Sic quidem ex opinione haec exstiterunt, et nunc sunt, et postea dehinc matura facta interibunt; his autem homines nomen cuique certum imposuerunt.

Vss. 150-155 (*Femina* — — *sexum.*) Latine redditos servavit Coelius Aurelianus, de morb. chron. IV, 9. p. 545. Wetsten.

Vss. 156-158 (*οὕτω τοι κατὰ δ.* — — *ἐπίσημον.*) Simplicius de Coelo III, f. 138 B; apud Peyron. p. 55 sq.

Ῥήματα Παρμενίδῃ ἀνατεθέντα.

1. Plato Soph. p. 237 A: Παρμενίδης δ' ὁ μέγας ... ἀρχόμενός τε καὶ διὰ τέλους τοῦτο ἀπεμαρτύρατο, πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων·
» Οὐ γὰρ μήποτε τοῦτ' οὐδαμῇ (φησιν) εἶναι μὴ ὄντα,
» ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα."
Idem dictum memorat Plato ibid. p. 258 D; Aristoteles Metaph. XIII, 2. p. 761 B. (p. 294 Br.); e Platone Simplicius Phys. f. 29 B, 31 A, 53 B.

---

2. Simplicius Phys. I, f. 7 B: Καταλογάδην μεταξὺ τῶν ἐπῶν ἐμφέρεταί τι ῥησείδιον, ὡς αὐτοῦ Παρμενίδου, ἔχον οὕτως·
» Ἐπὶ τῷδε ἐστὶ τὸ ἀραιὸν, καὶ τὸ θερμὸν, καὶ τὸ φάος, καὶ τὸ
» μαλθακὸν, καὶ τὸ κοῦφον· ἐπὶ δὲ τῷ πυκνῷ ὠνομάσται τὸ
» ψυχρὸν, καὶ τὸ ζόφος, καὶ τὸ σκληρὸν, καὶ τὸ βαρύ· ταῦτα γὰρ
» ἀπεκρίθη ἑκατέρως ἑκάτερα."

---

3. Suidas: Ὡς .. λίαν. Παρμενίδης· » θαυμασίως ὡς δυςανάπειστον."

---

4. Idem: » Μακάρων νῆσοι", ἡ ἀκρόπολις τῶν ἐν Βοιωτίᾳ Θηβῶν τὸ παλαιὸν, ὡς Παρμενίδης.
Similiter Photius Lex. V. » Μακάρων νῆσος," κτλ.

COMMENTARIUS.

COMMENTARIUS

IN

PARMENIDIS CARMEN

DE NATURA.

Vs. 1. sqq. Splendida allegoria carmen orditur. Fingit philosophus se sublime elatum ad Sapientiae adytum tendere, ibique e sancto Deae ore praecepta et rationes de veritate et rerum natura accipere, quae deinde illius quasi voce in carmine exponit. Allegoria ducta ab itineris similitudine; addita equorum et currus imago, petita ex antiquorum exemplo, qui Deos ipsumque Jovem equis vehi fingunt, sicut Homerus illustri loco Iliad. θ, 41-46, deinde frequenter tam a poëtis quam philosophis usurpata ad ingenii mentisque impetum et veluti cursum designandum. Cf. Pindarus Ol. VI, vs. 22 (37) sqq.

— ἀλλὰ ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων
ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ
βάσομεν ὄκχον —

ubi Boeckh. Parmenidis locum exemplo fuisse nobili Platonis allegoriae in Phaedro p. 246, animadvertunt veteres. Hermias in Phaedr. p. 125: οὐ πρῶτος δὲ ὁ Πλάτων ἡνίοχον καὶ ἵππους παρέλαβεν, ἀλλὰ πρὸ αὐτοῦ οἱ ἔνθεοι τῶν ποιητῶν, Ὅμηρος, Ὀρφεύς, Παρμενίδης. Cf. Ast. ad Phaedr. p. 290 sq. Empedoclis εὐσεβίης εὐήνιον ἅρμα (vs. 343), quod Fuellebornius comparat, his non admodum conveniens est. Simili methaphora utitur Archytas apud Jamblichum, sapientem laudans, quod ei contingat di-

4*

vina perspicere, atque τούταν ἁρματήλατον ὁδὸν ἐκπορευόμενος τῷ νόῳ κατ' εὐθεῖαν ὁρμαθῆναι καὶ τελοδρομῆσαι κτλ. Vid Gale Opusc. mythol. p. 734.

Dolendum vero praeclarum hoc exordium pluribus partibus corruptum et mutilatum esse: quod eo fortasse factum quod Sextus, cum proposuisset sibi Parmenidis mentem et sententiam declarare, ea, quae ad descriptionis ornatum pertinerent, minus curaverit.

Vs. 1. Ἵπποι ταί με κτλ.) Initium abruptum, et, ut mihi videtur, capite truncatum. Ἵπποι ταί με φέρουσι, similiter vs. 25; idem valet quod ἅρμα καὶ ἵπποι vs. 21, simplicius Ἵπποι ἐμαί. Hervetus, vertens *me portant quoque equi*, pro ταί suo arbitrio, ut interdum facit, legit καὶ. — Sequentia sic ordinanda: πέμπον με ἐφ' ὅσον θυμὸς ἱκάνοι. dubium quidem, utrum ἐπὶ cum ὅσον τε an cum ἱκάνοι jungi praestet; illa tamen constructio aptior videtur. Similis ambiguitas est in aliis locis, ut Iliad. γ, 12:

τόσσον τίς τ' ἐπιλεύσσει, ὅσον τ' ἐπὶ λᾶαν ἵησιν.

Hymn. in Apoll. 45:

τόσσον ἐπ' ὠδίνουσα Ἑκήβολον ἵκετο Λητώ.

ubi scribendum censeo ὅσον τ' ἔπι, τόσσον ἔπι; simplex ὅσον τε significat *circiter*. vid. Iliad. λ, 25; Herodoteum Lexic. in V. Particulam τὲ, quae post ὅσος, ὃς et similia in antiquo sermone jungitur, neque adeo, ut quondam opinabatur Heinrichius, hic in γὲ mutanda est, bene explicat Franke ad Homeri Hymn. I, vs. 139. — θυμὸς ἱκάνοι, hoc valde offendit Heinrichium, qui censet, ut recte dicatur, exempli gratia, ἵμερος θυμὸν ἱκάνει, ita simpliciter θυμὸς ἱκάνει dici non posse, idque pariter et a recta loquendi ratione et a Graecae dictionis usu esse alienum. Ergo pro ἱκάνοι reponi suadet ἀνώγοι, quod per compendium scriptum ανοι, facile librariorum inscitia in ἱκάνοι potuerit mutari. Commendat hanc conjecturam multis Homeri exemplis, cujus dictionem quam frequenter seriores epici, et ipse Parmenides imitatus sit, notum est. Vid. Iliad. ζ, 439.

π, 102 al. Quamvis vero ingeniosa sit haec viri eruditissimi conjectura et docte exposita, tamen a vulgata lectione discedendum mihi non videtur. Si enim Graece dicitur, ut ipse concedit, ἵμερος ἱκάνει θυμὸν, quidni eadem ratione dicatur, θυμὸς vel ἐπιθυμία ἱκάνει με. Hoc autem pronomen facile ex antecedentibus hic intelligi potest, si verba sic explanentur: ἔπεμπον με ἐπὶ τόσον, ἐφ' ὅσον πέμπεσθαι (φέρεσθαι) θυμός με ἱκάνοι. Sed, etiam nullo intellecto pronomine, θυμὸς ἱκάνει significare potest *animus tendit, pertendit,* similiter ut vulgo θυμὸς ὁρμᾶται, *animus fertur;* quod hic optime congruit.

Sextus Empiricus ἵππους intelligit τὰς ἀλόγους τῆς ψυχῆς ὁρμάς τε καὶ ὀρέξεις. quam interpretationem sive arrepserit e comparatione Platonici illius loci in Phaedro, sive duxerit e significatione vocabuli θυμός, quod apud doctos τὴν ἄλογον animi partem notat, ab hoc loco certe aliena est. Parmenides contra equos suos mox vocat πολυφράστους.

Vs. 2. ἐπεί μ' ἐς ὁδὸν) Indicant haec, quo tenderet, quo ferretur ipsius animus. Itaque ἐπεὶ vertendum *quum, siquidem*. Fatendum tamen cum Brandisio, duriorem hoc loco esse hanc particulam, et parum apte copulari sententiam. Non mirarer si post πέμπον quaedam intercidissent, ac deinde haec sententiae pars cum sequentibus male esset conglutinata. Auget hanc suspicionem, quod mox vs. 4 eadem fere verba repetantur; cujusmodi repetitio post aliquot versuum intervallum optime conveniret; nunc autem nescio quomodo frigida videtur. Si vero nulla sit lacuna, vide num fortasse sic legendum sit:

> ἵπποι, ταί με φέρουσιν, ὅσον τ' ἔπι θυμὸς ἱκάνῃ
> πέμπουσ', ἐπεί μ' ἐς ὁδὸν βῆσαν . . . . ,
> τῇ φερόμην κτλ.

»Equi, qui me vehunt et quo animus tendat deducunt, postquam me in Sapientiae viam detulerunt, eâ pergebam etc." ut postrema faciant apodosin, antecedentia protasin. Sed in hujusmodi locis lubrica est conjectura. — βῆσαν, activa potestate; vid. Iliad, α, 438. Pindar. Olymp. VI, 24. Vitiose nonnulli

libri *ζῆσαν*, Stephanus in Poësi phil. *γ' ἧσαν*. — *ὁδὸν πολύφημον* magnifice dicit viam ad sapientiam.

Vs. 3. *Δαίμονος*) Qualis Daemon significetur, palam est; intelligitur Dea cognitionis et sapientiae; quo autem proprio nomine a Parmenide notata sit, non patet. Fuellebornio non improbabile videtur, *τὴν Φύσιν* significari, Daemonem universae naturae auctorem, omniaque vi sua et mente complectentem, quae celebratur in Orphicis. At haec notio potius convenit illi Deae, quam infra in describenda natura praedicat totius mundi gubernatricem vs. 127, quae cum hac confundenda non est. Probabile est, Parmenidem hanc Daemonem, quam pro suo arbitrio finxit, nullo proprio nomine designasse, sed universe *Δαίμονος* vel *Θεᾶς* appellatione significasse. Ipsi quoque veteres, qui hos versus retulerunt, nomen ejus silent, vim tantum significant. Sextus Empiricus interpretatur *τὸν φιλόσοφον λόγον* sive *φιλοσοφίαν*. Proclus in Parm. T. IV, p. 34, Cousin. de Parmenidis ente loquens, dicit: *ἐκεῖνο δὲ πρεσβυτικῆς εἶναι διανοίας καθορᾷν καὶ οὐδὲ ἀνθρωπίνης, ὡς ἐν τοῖς ποιήμασι φησὶν, ἀλλὰ νύμφης ὑψιπύλης τινός*, h. e. *excelsae cujusdam Divae*; ipsam hanc *Δαίμονα* significat. Cousinus ibi perperam *Ὑψιπύλης* scripsit, tanquam proprium nomen.

Ibid. *ᾗ κατὰ πάντ' ἀδαῆ φέρει*) Sic obliteratam lectionem meo arbitrio interpolare ausus sum, ne versus mutilus et sine sensu relinqueretur. Veteres Sexti editiones: *ἣ κατὰ πάντα φέρει τῇ*. Stephanus: *ἣ κατὰ πάντ' ἀτηφέρει*.. Similiter e duobus Sexti codicibus edidit Fabricius, quem vulgo sequuntur; etsi vocabulum *ἀτηφέρειν* nihili est. Alii divisim: *ἄτη φέρει*; Codex Ciz. *πάντα τῇ φέρει*, sensu nullo. Hervetus vertens: *via quae fert per singula doctum*, molestum illud *τῇ* vel *ἄτη* evitavit. Multa ad emendandum versum excogitarunt viri docti. Heynius volebat: *ἣ κατὰ πάντ' ἄντην φέρει ἔσβατα* vel *ἔμβατα φῶτα*, quod vix Graecum. Heinrichius recepit *ἄντην*, antiquum *εἰδότα* retinens; non magis probabiliter. Fuellebornius vertit, tanquam legeretur: *ἣ κατὰ πάντ' ἀΐδῆ φ. Dea quae ad occulta*

quaevis mortalem ducit; sensu bono. Brandis reponendum censet: *κατὰ πάντα σαφῆ φ. ad manifesta quaeque*; mutatis quidem verbis, sensu vero eodem quo Fuelleb. Nam quae per se manifesta et intelligentiae clara, eadem vulgari sensui occulta et obscura; hoc autem loco, ubi nondum explicata et patefacta sunt, convenientius est *occulta* vocari. Itaque F. conjecturam probarem, nisi vocabulum ἀϊδῆς admodum insolens, et unice ad oculorum sensum relatum occurreret, in Hesiodi Scut. Herc. 477. Quod reposui ἀδαῆς, notum est vocabulum, ductum a δάω; significat cum *indoctum, ignarum*, tum etiam *ignotum, obscurum*; simili, si non eadem plane significatione, infra dicitur νύκτ' ἀδαῆ, vs. 118. Sententiam universe adumbrat Sextus Empiricus, qui sic interpretatur: κατὰ δὲ τὴν πολύφημον ὁδὸν πορεύεσθαι (φησὶν), ... ὡς λόγος προπέμπου δαίμονος τρόπον ἐπὶ τὴν ἁπάντων ὁδηγεῖ γνῶσιν. — εἰδότα φῶτα dicit, qui supra vulgus sapit, sapientiae studiosum, quamquam nondum doctrina perfectum; contrario vs. 44 εἰδότες οὐδὲν homines rationis expertes, ἄκριτοι. ὁ εἰδὼς, οἱ εἰδότες hoc modo absolute tam apud poëtas et oratores quam apud philosophos usurpatur.

Vs. 4. πολύφραστοι.) Hoc vocabulum non unam capit interpretationem. Ductum a φράζω, *dico*, notat idem quod πολύῤῥητος, πολύφημος, *multum celebratus*; a φράζω, *cogito*, idem valet quod πολυφραδής, *valde intelligens*; notum est enim verbalia in τος pleraque tam activam quam passivam habere potestatem. Hoc loco priorem significationem, quae magis est vulgaris, secuti sunt interpretes; mihi posterior unice probanda videtur, quae etiam obvia est in Oppian. Cyn. 4, 6. laudante Schneidero in Lex. Optime enim equi illi, qui poëtam in veritatis viam deducunt, *solertes, cordati* appellantur.

Vs. 5. sqq. Κοῦραι δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον) Levem hic fecimus versuum transpositionem. Nam vulgo post hunc versum statim ponuntur vss. 8—10: ἄξων δ' ἐν χνοίῃς — πέμπειν, tum deinceps ii quos ego collocavi 6 et 7: Ἡλιάδες — καλύπτρας.

Quae dispositio parum congrua mihi videbatur. Mirum enim, poëtam, nymphis his uno verbo memoratis, priusquam dixerit quae et quales sint, interponere volantis currus descriptionem, tum denuo ad illas reverti, et quales sint describere. In his unusquisque sentiat nullum esse ordinem; nunc contra, transpositis duobus versibus, omnia bene cohaerere videntur.

Vs. 6. Ἡλιάδες κοῦραι, κτλ.) Heliadum nomen e fabula petitum, fictio Parmenidi propria. Ut vulgo veritas cum sole et luce comparari solet, sic Heliades, *Sole natas*, appellat deas quae ad divinam veritatis lucem deducunt. Simili allegoria, ut admonet Brandisius, Empedocles finxit daemonem Ἡλιόπην, vs. 11. Sturz. Has autem virgines informat tanquam προπόμπους δαίμονας, currum regentes viamque monstrantes, secutus poëtarum morem qui similiter heroës et semideos a magnis dîs in coelum evehi fingunt. Res nota et a me quoque tacta in Specim. Pindar. p. 113 sq. — δώματα νυκτός, h. e. νύκτα, ut bene accepit Fuelleborn, ne quis de Noctis palatio, tanquam Heliadum domo, hic cogitet, quod fraudi fuit Heinrichio. Parmenides fingit has virgines e nocte in lucem evehentes, sic ut vulgo Aurora fingitur, mane cubile linquens. — εἰς φάος jungendum vel cum proximo προλιποῦσαι, vel, quod commodius, cum superiori ὁδὸν ἡγεμόνευον. Sic quoque melius cohaeret quam si, retento pristino versuum ordine, construas: σπερχοίατο πέμπειν εἰς φάος. Sextus conjungit εἰς φάος ὠσάμεναι, quod probat quam parum diligenter haec legerit.

Vs. 7. ὠσάμεναι κροτάφων ἄπο κτλ.) Pro κροτάφων ἄπο legebatur vulgo κρατερῶν ἀπὸ —, quod aperte vitiosum. Heynius conjecerat κρατεραῖς, sicut jam olim Hervetus, vertens *validis manibus*. At de virginibus certe dixisset ἁπαλαῖς, *teneris manibus*. Brandis κρατεροῖς, quod si minus durum, est tamen non satis aptum. Acutissime Heinrichius κροτάφων, quod recipere non dubitavi, quum mihi ipsi antea in mentem venisset κρατῶν, *a capitibus*, quod sensu nihil differt. —

Additum χερσὶ nostro sensu supervacaneum et frigidum; sed antiquae praesertim Epicorum loquendi consuetudini conveniens; vid. Homer. Iliad. α, 298. Hesiod. Theogon. 575. — κάλυπτρα, capitis velamen a mulieribus et puellis gestari solitum. Iliad. χ, 406, Hecuba filii necem deplorans, ἀπὸ δὲ λιπαρὴν ἔῤῥιψε καλύπτρην. Cf. Od. ε. 232. In Hesiodi Theogon. 574, Minerva Pandoram ornans,

κατὰ κρῆθεν δὲ καλύπτρην
δαιδαλέην χείρεσσι κατέσχεθε.

Vid. praeter alios Archilochi epigramma in Jacobs. Anthol. Vol. I. Part. I. p. 153. Aeschyl. Supplic. 115, 126. ed. Wellauer. Apollon. Rhod. Argon. III, 834. Callimach. fragm. 125. Cf. Meurs. ad Lycophron. p. 125. Winckelman, Gesch. d. Kunst, Opp. Vol. V. p. 37. Ut autem moerentium, vel dormientium est habitus *obtenta submittere lumina palla* (ut ait Statius XII, 469. ad q. l. Barth.), sic virgines has, alacres lucis viam ingredientes, optime decent frons aperta, revelata tempora. Similiter artifex in Lipperti dactylioth. I, n. 55, Divam aquilâ sublime vehentem expressit flammeo rejecto et circum humeros demisso.

Vs. 8. ἄξων δ' ἐν χνοιῇς ἵει κτλ. Versus hic in libris mutilatus est sic: ἄξων δ' ἐν χνοιῇσιν σύριγγος ἀϋτήν. Scaliger pro ἀϋτὴν reposuit ἀΰτει, quo sensum quidem reddidit, metrum non curavit. Heynius corrigendum censuit: — σύριγγος ἐπ' αὖον ἀΰτει. Placet Heinrichio et Brandisio; videtur tamen quaesitum nec satis aptum; nam αὖον ἀΰτειν proprie dicitur de rauco crepitu et fragore, veluti lignorum aridorum, non autem de acuto axis stridore; ut declarat ipse Heynius ad Virgil. Georg. I, 357; Wakefield ad Lucret. VI, 118. Equidem mutando χνοιῇσιν in χνοιῇς ἵει, quae facillime in unam vocem coalescere potuerunt, versum reparasse mihi videor. Cf. Homerus Iliad. γ, 221: ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει. Ne autem alicui suavius fortasse videatur χνοιῇσιν ἵει, animadvertendum ἵημι semper primam habere longam. Vid. Brunck.

ad Aristoph. Ran. 1462. Accentum in χνοιῆς sic posui cum Stephano; Scaliger χνοίῃσι; similiter Fabricius ceterique editores, contra grammaticorum praeceptum qui jubent has vocabulorum formas sic notari: πνοιά, πνόα. χροιά, χρόα, et simili modo cetera. Vid. Oudendorp. ad Thom. Mag. p. 786; Schaefer. ad Gregor. Corinth. p. 220 sq. Creuzer. ad Plotin. de pulcr. p. 195; etsi fatendum, huic regulae librorum scripturam frequenter repugnare. χνοιὰ seu χνόα est *fistula* rotae, cujus foramini immittitur axis; σύριγξ *fistula* proprio sensu, cantûs instrumentum; idem tamen vocabulum alibi latiore quoque significatione pro χνοιὰ ponitur, et ambo inter se permutantur, ut infra vs. 19: ἄξονας ἐν σύριγξιν. Hesychius, χνόαι ... αἱ τοῦ ἄξονος σύριγγες.

Vs. 9. ἐπείγετο, ὑπ. ὁ ἄξων. Virgilius Georg. III, 107: *volat vi fervidus axis*. Volventibus quippe rotis, axis agitatur et teritur; hinc fervet et volat.

Vs. 10. ὅτε σπερχοίατο πέμπειν.) Dubites, *equi* an *Heliades* intelligendae sint: equos malim, quoniam de aurigis currum agentibus non σπέρχεσθαι, sed σπέρχειν dici oportuerat. — Optativus autem post ὅτε, quem moleste ferebat Brandisius, hoc significat, axem strepuisse, non *usque dum* currus ferretur, sed *quoties* equi citius et impetuosius se proriperent. Haec ist vis optativi. Homerus Il. α, 610; γ, 233:

ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι. —
πολλάκι μιν ξείνισσεν Ἀρηΐφιλος Μενέλαος
οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο.

Quos locos laudat et explicat Bernhardy, Synt. L. Gr. p. 406. Etiam ipsa conjunctio ὅτε Brandisio inepta videbatur; malebat ὅπῃ, sic verba jungens: ἐπείγετο ... ὅπῃ σπερχοίατο πέμπειν Ἡλιάδες, volabat currus, *quocunque* Heliades festinarent. Sed, mutata interpunctione, haec difficultas, credo, jam sublata est. Conferatur Hesiod. Scut. Herc. vs. 64:

Ἅρματα δ' εὐποίητα καὶ ἄντυγες ἀμφαράβιζον,
ἵππων ἱεμένων.

Vs. 11. Ἔνθα πύλαι νυκτὸς κτλ.) Aditus ad templum Deae describitur. Est coeli regio in qua sitae sunt lucis et noctis viae, locus non omnibus patens, sed januis septus quas custodit Justitia; per has januas est aditus ad templum. — Viarum descriptio non admodum clare a poëta est expressa; dubitatum est adeo, utrum duas fingat vias, alteram lucis, alteram noctis, an unam, qua dies et nox alternis procedant. Expressa quidem aut potius adumbrata est notio ex antiquiorum carminibus, ut jam Fuelleborn. animadvertit; νυκτός τε καὶ ἤματος κέλευθοι memorantur Odyss. κ, 86. Simili fictione in nympharum antro Odyss. ν, 109 sqq. finguntur binae fores, quarum

αἱ μὲν πρὸς βορέαο, καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν,
αἱ δ' αὖ πρὸς νότου εἰσὶ, θεώτεραι.

In Orph. fragm. VI, vs. 25. (Herm.) memorantur item duae viae,

ἀντολίη τε δύσις τε, θεῶν ὁδοὶ οὐρανιώνων.

Aliter vero apud Hesiodum. Fingit hic Theogon. 747 sqq. palatium in inferis, in quo Nox et Dies se invicem excipiunt, alternis cursum perficientes:

ἀεὶ ἑτέρη γε δόμων ἔκτοσθεν ἐοῦσα
γαῖαν ἐπιστρέφεται, ἡ δ' αὖ δόμου ἐντὸς ἐοῦσα
μίμνει τὴν αὐτῆς ὥρην ὁδοῦ, ἔστ' ἂν ἵκηται.

Hesiodi hanc imaginem in Parmenidem transfert Heinrichius: »Prodeunt, inquit, Heliades e Noctis palatio (vs. 6.) »ubi porta est Noctis et Lucis, per quam alternis vicibus Nox »et Lux procedunt." In his varia sunt confusa. Porta illa et viae non sunt in Noctis palatio (quod Parmenides ne cogitavit quidem; cf. ad vs. 6.), sed in coelesti regione positae; deinde Parmenidis menti multo quoque convenientius est, non unam, sed duas et diversas intelligi vias, alteram noctis, alteram lucis; quibus significet duas illas rationes, veritatis et opinionum, quas deinde explicat. Simili fictione usus est etiam Plato in inferis describendis, ubi duae viae, ἡ μὲν εἰς

μακάρων νήσους, ἡ δὲ εἰς τάρταρον. Gorg. p. 524 A, et Virgilius Aen. VI, 540.

Harum autem viarum aditus clauditur portâ. Mos est poëtis, abdita quaeque et arcana portis et claustris obserata fingere. Similiter Lucretius, *arta Naturae portarum claustra* dicit, I, 71 sq. Vocabulum autem *πύλαι* plurali numero unam portam significat, cui una quoque custos, *Justitia*, praeest; ne quis putet duas fingi portas, quibus ambae viae discludantur, sicut male accepit Porphyrius, Homeri vss. modo citatos explicans, antro Nymph. cap. 22: *τῶν δύο πυλῶν τούτων μεμνῆσθαι καὶ Παρμενίδην ἐν τῷ φυσικῷ φασί.*

Vs. 12. *καί σφας ὑπέρθυρον κτλ.*) *καὶ* initio hujus versus languidum videtur; non mirer, si inter hunc et praecedentem versum aliquid exciderit, quo hae viae explicatius sint descriptae. Jam sequitur brevis portarum descriptio, qua earum praecipuae partes notantur; cf. Homerica descriptio Odyss. *η*, 88-90. *ὑπέρθυρον*, frequentius *ὑπερθύριον*; similiter *πάννυχος* et *παννύχιος* (Iliad. *ψ*, 217 sq.), *ἀκρόθινα* et *ἀκροθίνια* (Pind. Olymp. II, init.), aliaque interdum variantur. *λάϊνος οὐδός* occurrit etiam Iliad. *ι*, 404; Odyss. *θ*, 80. Hymn. in Apoll. 296.

Vs. 13. *αὐταὶ δ' αἰθ. πλῆνται*) *πλῆνται* inusitatum, usu receptum *πλῆντο*; quod etsi facile posset reponi, alterum tamen nec analogiae repugnat et tempore cum verbo *ἔχει*, in antecedenti et proximo versu, congruit: quamobrem nihil muto. Interpretatio autem duplex se offert, pro duplici potestate verbi *πλῆντο*. Quod si ductum sit a *πελάζω*, significat idem quod *προςεπέλασαν*; si a *πλήθω*, notat idem quod *ἐπληροῦντο*. Vulgo interpretes priorem significationem secuti sunt, et *αὐταὶ* retulerunt ad *Heliades*; sicut jam olim Hervetus, reddens:

Illae autem aetheriae veniunt, portisque propinquant.

Tamen nympharum mentio inter mediam portarum descriptionem parum apta est, neque satis commodum hoc sensu *πλῆνται*,

quod temporis continuitatem notat; requireretur πλῆντο, ut vs. 5, ἡγεμόνευον; vs. 16, πεῖσαν; vs. 21, ἔχον. Mihi multo aptius videtur, αὐταὶ referre ad πύλας, et πλῆνται altera significatione interpretari, *implentur*, h. e. *obstruuntur*, *clausae sunt*. Hesiod. Scut. Herc, vs. 148, de serpente: τοῦ καὶ ὀδόντων πλῆτο στόμα, h. e. *os dentium vallo munitum erat*. Apud Parmenidem autem pro genitivo positus est dativus instrumenti (θυρέτροις), quod non minus ferri potest quam Euripidis hoc Bacch. 18: Ἕλλησι βαρβάροις θ' ὁμοῦ πλήρεις ἔχουσα... πόλεις, pro Ἑλλήνων βαρβάρων θ'.

Vs. 14. Δίκη πολύποινος κτλ.) Justitia fingitur templi custos, sicut Horae portas coeli custodire finguntur apud Homerum. πολύποινος, ait Fuelleborn. »solenne hujus Deae epitheton: cf. Orph. fragm. XX, p. 481. Herm. Δίκη autem, Jovis filia et πάρεδρος apud veteres (Hesiod. Ἔργ. 256 sqq. Orph. l. l.), summa virtute et sapientia excellens. Orph. hymn. 62." κληΐδας ἔχειν praecipue dicuntur aedium et templorum custodes et antistites, unde etiam κληδοῦχοι appellantur, ut Io κληδοῦχος Ἥρας, Aesch. Suppl. 288. ed. Wellauer. cf. Spanhem. ad Callimach. in Cerer. 45. p. 782 cit. Fuell. — ἀμοιβοὶ dicuntur κληΐδες ab ἀμείβεσθαι, h. e. a *reciprocando*, quia permutatis vicibus januas vel claudunt vel aperiunt; hîc *aperiendi* notio potissimum spectatur, similiter ut vs. 19: ἄξονας ἀμειβαδὸν εἰλίξασαι, de pansis foribus. Alio sensu apud Homer. Il. μ, 456, ὀχῆες ἐπημοιβοὶ dicuntur. Sextus h. l. interpretari videtur ἀσφαλεῖς.

Vs. 16 sq. βαλανωτὸν ὀχῆα.) ὀχεὺς sive μόχλος, *pessulus*, *vectis*, munitus erat βαλάνῳ, i. e. ferro oblongo, a glandis similitudine nominato, quod per januae foramen transmissum, vectem foribus committebat, ita, ut eo injecto clauderentur fores, retracto aperirentur: fiebat id per clavem, quae inde proprie βαλανάγρα nominata. Ita fere explicant Salmasius ad Solin. p. 649 sq. Sagittarius de januis XI, 7. cf. Suidas v. βαλανάγρα, et ibi Kuster. — ἀπτερέως, i. e. ἑτοίμως, ἐλαφρῶς; legitur

etiam apud Apollonium Rh. Argon. IV, 1765; olim legebatur eadem vox apud Hesiodum, teste Etymologo in v. ubi pro ἀπροθύμως corrig. προθύμως. cf. Albert. ad. Hesych. v. ἄπτερος.

Vs. 17 sq. ταὶ δὲ θυρέτρων κτλ.) Versus hic multum moratus est interpretes. Fuellebornius ταὶ refert ad κούρας; sed obstat participium ἀναπτάμεναι, quod ille perperam activa potestate accepit. Brandisius intelligi vult Δίκην *cum suis* (quasnam illas?), et ἀναπτάμεναι mutari in ἀναπταμένως, vocabulum inauditum, ni fallor, nec elegans. Vere Heinrichius vidit, pronomen unice ad πύλας posse referri. Verba autem sic explicanda: *Portae fecerunt ingentem januarum hiatum;* hoc est simplicius: *porta pandit fores;* dictum, si non vulgare, haud tamen insolens: nam πύλας et θύρας (s. θύρετρα) proprie diversas esse nemo nescit. Hoc solum offensionem habet, quod πύλας modo pro *foribus* posuit, nunc autem proprio sensu pro *porta;* minus diligenter id quidem, ferendum tamen, quia voces illae usu frequenter confundi solebant; quod apparebit, comparatis inter se Homeri locis Iliad. μ, 121, 454 et 291. In latina versione pro uno vocabulo duobus, *foribus* et *porta*, usi sumus, quo difficultas evitatur.

ἀναπτάμεναι convenit cum πύλαι, pro quo proprie dici oportuerat ἀναπταμένων, np. θυρέτρων; non enim *porta* revolvitur, sed *fores* revolvuntur sive panduntur. Hypallage haec est Graecis admodum usitata, qua verbum passivum accipit vim medii; ut cum Euripides dicit Electr. 317: ἀμφὶ... Ἰδαῖα φάρη... ἐζευγμέναι. Similiter hic explicandum πύλαι ἀναπταμέναι sc. θύρετρα. Cf. Heindorf ad Horat. Sat. I, 6, 74.

Vs. 19 sq. ἄξονας ἐν σύριγξιν tetigimus ad vs. 8. — ἀμοιβαδὸν εἱλίξασαι Heinrichius vertit: *versantes per vices*, ut valvae alternatim patefiant. Mihi ἀμοιβαδὸν vertendum videtur *retrorsum*. Vid. ad vs. 14. — Cardines γόμφοις καὶ περόνῃσιν ἀρηρότας, np. ταῖς πύλαις, *portis adfixos; γόμφους* interpretor *cuneos* sive compages ligneos quibus cardines foribus commit-

tuntur; *περόνας* *clavos* quibus adfixi sunt. Utriusque vocabuli vaga nec satis definita significatio.

Vs. 20. *ἦ ῥα*. Vulgo hae particulae in interrogando vel adfirmando adhibentur; hic pro *ἦ* aptius videtur *καὶ*, quod per compendium scriptum solo propemodum spiritu ab illo differt; unde ambae hae voces saepius sunt confusae, teste Schaefero ad Gregor. Cor. p. 384 not. Bastio, Comment. Palaegr. ibid. p. 815. Cum tamen *ἦ* saepius copulandi vim habere videatur, ut vs. 27, et vs. 108, *ἦ γὰρ*, a mutando abstinui. — *κατ' ἀμαξιτὸν* Stephanus; codices nonnulli uno vocabulo *καταμαξιτόν*; editt. *κατ' ἄμαξ*. Cf. Iliad. *χ*, 146.

Vs. 21. *ἰθὺς ἔχον κτλ.*) Idem color in Hesiod. Scut. Herc. 97:

ἰθὺς ἔχειν θοὸν ἅρμα καὶ ὠκυπόδων σθένος ἵππων.

Horat. Carm. I, 34: *egit equos volucremque currum.*

Vs. 22 sq. *καί με Θεὰ κτλ.*) Transitus denuo abruptior; priusquam Deam audias ipsum compellantem, introitum in templum significari exspectasses. *Θεὰ* eadem quae supra *Δαίμων* appellata; vid. ad vs. 3. Miram quomodo viri docti, nuper etiam Ritter. Gesch. der Philos. Vol. I, p. 465, hanc confundere potuerint cum *Δίκῃ*, quae ut modo vidimus, *κληδούχου* et antistitis munere fungitur.

χεῖρα δὲ χειρὶ κτλ.) Simili venustate scriptor *Αἰθικῶν*, cit. Brandis. vs. 95:

καί μιν ἑλὼν χερὶ χεῖρα προςηύδων ἠδ' ἐπέεσσιν.

Virgilius Aen. I, 408: *Cur dextrae jungere dextram non datur?* Ovidius Heroid. II, 31. Dextram prensare, antiquo more fidei et benevolentiae pignus; Homer. Iliad. *ζ*, 233; *ω*, 672.

Vs 24 sq. *συνήορος* dedit Brandis pro *συνάορος*. Cf. Hom. Odyss. *θ*, 99. De verborum structura ambigitur, utrum post *ἡνιόχοισι* comma ponendum, an hoc cum proximo *ἵπποις* conjungendum sit, ut facit Fabricius. At *ἡνίοχοι* appellari non possunt e q u i; intelligendae H e l i a d e s, quae iter ducunt (vs. 5.), currumque regunt (vs. 21.). Itaque post *ἡνιόχοισιν* interpunxi, ut facit etiam Scaliger in ms. Leyd.

In vs. sequenti, *Ἵπποις — ἱκάνων* edidit e mss. Fabricius, pro quo editiones antea habebant *Ἵπποι — ἱκανόν*, quam lectionem viri docti variis modis emendare tentaverant. Scaliger in Poësi phil. p. 217 corrigebat: *Ἵκανον* (in vocativo) *ἐς ἡμέτερον δῶ*; idem tamen in ms. Leyd. veram lectionem exhibet.

Vs. 26-28. *οὔτι σε μοῖρα — δίκη τε.*) h. e. non temere, non pravo consilio ad philosophiam ductus es, sed veri sanctique amore. *μοῖρα*, humanarum rerum moderatrix, est vel *κακὴ* vel *ἐσθλή*, prouti mortalibus *κακὸν φέρει ἠδὲ καὶ ἐσθλόν*, ut est in versu Solonis. Vulgo *μοῖραν*, et deinceps *θέμιν* ac *δίκην*, tanquam deas a Parmenide memorari arbitrantur, ex quo difficultas oritur, quod poëta, quum modo *Δίκην* templi custodem finxerit, nunc eandem una cum Themide ut *προπόμπους δαίμονας* inducat. Sed poëta cum has quasi personas usurpat, non ideo deas praedicat, sed communem secutus est poëtarum loquendi morem, qui rerum caussas, vires, virtutesque tanquam personas et agentes memorare solent.

V. 27. *ἦ γὰρ ἀπ' ἀνθρώπων ἐκτὸς π.*) Jungi potest: *ἐκτὸς ἀπὸ πάτου ἀνθρώπων. ἐκτὸς ἀπό*, similiter ut *χωρὶς ἀπό*, *νόσφιν ἀπό*, saepe junguntur: sic Timo Phliasius *ἐκτὸς ἀπ' ἀνθρώπων.* apud Sextum Empir. Pyrrh. I, 224. Possunt etiam, separatis his vocibus, verba sic construi: *ἀπ' ἀνθρώπων, longe ab hominibus; ἐκτὸς πάτου, extra vulgarem viam.* Quo sensu pro *ἀπὸ* scribendum esse *ἄπο* docet Bast. ad Gregor. Corinth. p. 210 not. — Caeterum color non admodum diversus in notissimo Lucretii versu, IV pr. quem citat Fabricius:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo.

nec dissimilis sensus in eo quod idem de Epicuro praedicat, I, 76:

et extra
Processit longe flammantia moenia mundi.

Vs. 28. *χρεὼ δέ σε πάντα κτλ.*) Jam ad argumenti propositionem accedit. Prius vero quam interpretando progrediamur, pauca sunt de versuum dispositione praemonenda. Nam usque

ad verba πίστις ἀληθής (vs. 30) Sextum Empiricum ducem secuti, in his quae deinceps sequuntur ordinandis ab eo discessimus. Ille post versum 30 statim subjungit hos quos inferius collocavimus, 52—57: ἀλλὰ σὺ τῆςδ' ἀφ' ὁδοῦ ..... μῦθος ὁδοῖο λείπεται. Qui versus quam parum apte inter se cohaereant, unusquisque, re attentius considerata, sentiet. Scriptorem enim, modo exordium facere aggressum, et argumento tribus verbis proposito, jam statim perversam philosophandi viam reprehendere, in vulgi judicium invehi, parum est consentaneum; prius exspectares utramque viam et rationem ab ea exponi, tum alteram argumentis probari, alteram vulgarem refelli. Attamen a Sexto sic referuntur. Verum huic non erat propositum Parmenidis versus ordine omnes referre, sed id agebat ut ex ejus dictis ostenderet, sensuum judicium ab eo sperni, rationis fidem probari. Ideo excerpsit ea tantum, quibus hoc maxime demonstrari posset, caetera facile omisit. Indicant hoc ipsius Sexti verba in paraphrasi quam laudatis illis vss. subjungit: ἐπαγγέλλεται (ὁ Παρμενίδης) δύο ταῦτα διδάξειν, ἡμὲν ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεμὲς ἦτορ, ὅπερ ἐστὶ τὸ τῆς ἐπιστήμης ἀμετακίνητον βῆμα· ἕτερον δὲ, βροτῶν δόξας ταῖς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθής, τουτέστι, τὸ ἐν δόξῃ κείμενον πᾶν ὅτι ἦν ἀβέβαιον. addit deinceps: καὶ ἐπὶ τέλει προςδιασαφεῖ τὸ μὴ δεῖν ταῖς αἰσθήσεσι προςέχειν, ἀλλὰ τῷ λόγῳ. Haec ergo, quibus sensuum judicium vituperat, Parmenides ἐπὶ τέλει προςδιασαφεῖ, *extremo loco insuper* explicuit; quocirca in ipso argumentationis initio collocari non possunt. Etiam Diogenes Laert. IX, 22, versus hos, Χρεὼ δέ σε πάντα .... πίστις ἀληθής (28-30), et sequentes, μήδε σ' ἔθος πολύπειρον κτλ. (53-55.) separatim memorat. Etsi hoc quidem minoris est momenti. Plurimum vero valet Simplicii testimonium, de Coelo f. 138 A, qui versui 30 (— πίστις ἀληθής) duos subjungit cum eo arcte cohaerentes: quo omnis sane dubitatio tollitur. Ergo, hoc auctore, primum duos illos versus interposuimus; deinde eos quibus Parmenides rationis suae summam

explicat, quid verum sit docet et probat, falsum refellit adversariorumque opiniones explodit (33-51.); tum demum sequuntur ii qui apud Sextum leguntur, de sensuum fallacia et vulgaris judicii perversitate (52-57). His denique adnectuntur versus a Simplicio laudati (56 sqq.), cum illis non solum sententia sed ipsis quoque verbis plane cohaerentes: Simplicius enim in medio versu 56, eodem dicto incipit quo desinit Sextus, ut ibi notabimus. Versibus ita dispositis, omnia, ni fallor, apte cohaerent et argumentatio ordine procedit.

Vs. 28. *χρεὼ δέ σε πάντα.*) Sextus *χρέω*; Simplicii codd. *χρῶ*, et quidem confusis literis, *χρῶδες ἐπάντα*: quo deceptus Ald. interpres vertit *διεγείρω*. Unice verum, quod jam interpretes correxerunt *χρεώ*, idem quod *χρεών ἐστι* sive *χρή*. cf. vs. 37, 66.

Vs. 29 sq. *ἠμὲν ἀληθείης κτλ.*) Pro *ἠμὲν* — *ἠδὲ*, Proclus *τὸ μὲν* — *ἠδὲ*; Clemens *ἥ μέν* — *ἥ δὲ*. Proponit duplex ad cognoscendum argumentum, alterum veritatem, alterum mortalium visa; idem in disputationis fine (vs. 109 sq.) repetit. Diogenes Laert. IX, 22: *διττήν τε ἔφη εἶναι τὴν φιλοσοφίαν, τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν, τὴν δὲ κατὰ δόξαν.* Veterum interpretationes diligentius exponemus in dissert. de Parm. philosoph. § 2. Discrimen inter *εἶναι* et *δοκεῖν*, *εἰδέναι* et *δοξάζειν*, plures etiam ante Parmenidem notarunt. Simonides apud Schol. Eurip. Orest. vs. 235, et Platon. Rep. II, 8. p. 365 C: *τὸ δοκεῖν καὶ τὰν ἀλάθειαν βιᾶται.* Aeschylus in notissimo versu Sept. adv. Theb. 577:

οὐ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλων.

Agamn. 1377. Sophocles Trach. vs. 425 sq. laudd. a Casaub. Cf. id. ad Diogen. L. l. l. Democritus in Opusc. Gr. moralibus, ed. C. Orell. T. I, p. 118, n. 132: *οἱ πολλοὶ τὴν μὲν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι.* Sed illi spectarunt communem vitam, hominum mores et consuetudinem; Parmenides hanc distinctionem ad naturae contemplationem transtulit et in philosophiam induxit; a Parmenide in Atticam, Platonicam praesertim, philosophiam manavit. Sic Plato Soph.

p. 233 C: δοξαστικὴν ἄρα τινὰ περὶ πάντων ἐπιστήμην ὁ σοφιστὴς ἡμῖν, ἀλλ' οὐκ ἀλήθειαν ἔχων ἀναπέφανται. et saepe alibi. Aristot. Gener. et corr. I, 3. p. 389 C: συμβαίνει δὴ κατὰ δόξαν καὶ κατὰ ἀλήθειαν ἄλλως, κτλ.

ἀληθείης ἦτορ, pro ἀλήθεια, eodem modo quo βίη Ἡρακλέος, ἲς Τηλεμάχοιο, et similia apud poëtas. Sic infra vs. 141, ἄστρων θερμὸν μένος, h. e. ἄστρα. Quamquam ἦτορ hoc constructionis modo insolens sit, est tamen aptissimum, quoniam cor opinione veterum mentis et sapientiae sedes habita. Multo insolentius est notum illud Ennii, qui oratorem M. Cethegum *Suadae medullam* vocavit. Vid. Quinctil. II, 15. § 4. — εὐπειθέος, pro hoc Proclus εὐφεγγέος, Simplicius εὐκύκλεος, (— εος), unde Aldina lectio κυκλικῆς fluxit; reliqui εὐπειθέος quod unice probandum. Sic enim ἀλήθεια vocatur, tanquam *persuasionis comes*, ut dicit vs. 36:

πειθοῦς ἐστι κέλευθος, ἀληθείη γὰρ ὀπηδεῖ.

contrario falsum παναπειθέα ἀταρπὸν vocat vs. 38; sicut mox etiam versu sq. veritati opponit opiniones, τῆς οὐκ ἔνι πίστις ἀληθής. Itaque εὐπειθὴς valet idem fere quod πιστή, quemadmodum infra vs. 109: πιστὸν λόγον ἠδὲ νόημα ἀμφὶς ἀληθείης. Lectio εὐφεγγέος fluxit e notione τοῦ νοεροῦ φωτὸς, qua maxime delectabantur Platonici, ut significat ipse Proclus interpretans: τὴν ἀλήθειαν εὐφεγγῆ κέκληκεν, ὡς τῷ φωτὶ τῷ νοερῷ λάμπουσαν. εὐκύκλεον facile ortum ex eo, quod Simplicio obversaretur Parmenidis σφαίρῃ εὐκύκλῳ (vs. 102.), quae est veritatis imago.

ἀτρεκές. Super hoc vocabulo major est controversia; ἀτρεκές Plutarchus et Diogenes; sed Clemens, Proclus et Simplicius ἀτρεμές, cui respondet etiam Ald. lectio ἄφοβος; Sexti editt. quidem ἀτρεκές; ipse tamen legit ἀτρεμές, ut indicat interpretatio quam subjicit: τὸ τῆς ἐπιστήμης ἀμετακίνητον βῆμα. Eandem lectionem Brandis aliique receperunt. Quum autem ob literarum similitudinem admodum facilis fuerit confusio, vera lectio unice ex utriusque vocabuli potestate et usu dijudicanda est. Ἀτρεκής, vox antiqua, poëtis et Ionicis praeser-

tim scriptoribus usitata, frequens apud Homerum et Herodotum; notat idem quod ἀληθής, ἀκριβής. Pindarus Nem. V, 17: ἀλάθει' ἀτρεκής. hinc quoque ἀτρέκεια eodem sensu, Olymp. XI, 13. Democritus apud Sextum Emp. adv. Mathem. VII, 136: ἡμεῖς δὲ τῷ μὲν ἐόντι οὐδὲν ἀτρεκὲς συνίεμεν. Patet ex his, vocabulum illud usu et significatione h. l. plane congruere. Ἀτρεμὴς autem (de quo accuratius ad vs 59.) significat ἀκίνητος; vocabulum antiquis non ignotum, studiosius tamen usurpatum a serioribus praesertim Platonicis, ad *immobilem idearum statum* significandum. Itaque cum ab his praesertim tractata sint Parmenidis carmina, non mirandum foret, si verbum vulgare doctiore vocabulo obliteravissent. Praeterea h. l. non satis aptum est: nam licet ἀλήθεια ἀτρεμὴς optime dicatur, tamen ἦτορ ἀτρεμὲς parum conveniens est, nisi forte, sicut Sextus, interpretari velis ἀμετακίνητον βῆμα, *cor* scilicet pro *statu* vel *gradu* accipiens. Contra ἀτρεκὲς ἦτορ aptissimum est: quamobrem hoc unice probandum censeo.

Vs. 30. βροτῶν δόξας τῆς κτλ.) Nonnulli δόξαις; pro τῆς vulgo ταῖς. Diogenes τῶν οὐκ ἔτι; Sextus et Proclus ταῖς οὐκ ἔτι. Simplicii cod. Oxon. δόξαν τῆς. — δόξα, *opinio*, sive ἡ δύναμις τοῦ δοξάζειν, subjective; δόξαι, *opinionis placita, visa*, objective. Prior significatio frequens Platoni; posteriore praecipue sensu usurpat Parmenides. Timo Phliasius φαντασίας vocat, apud Diogen. L. IX, s. 23, de Parmenidé dicens:

ὅς ῥ' ἐπὶ φαντασίας ἀπάτης ἀνενείκατο νώσεις.

h. e. ὃς τὰς νοήσεις εἰς φαντασίας ἀπατηλὰς ἀνέφερε, *qui animi sensuumque notiones ad vanas species reduxit.* Plato ambo vocabula, ut similia, conjungit Theaet. p. 161. extr. ἐλέγχειν τὰς ἀλλήλων φαντασίας τε καὶ δόξας.

πίστις ἀληθής.) πίστις, in qua est πειστικὴ δύναμις, (cf. vs. 67) propria veritati, opinionibus aliena. Quod Parmenides πίστιν ἀληθῆ, id seriores, magis definita vocabuli potestate, simpliciter πίστιν appellant; sic ἀληθέϊ λόγῳ interdum eodem sensu ac simplex λόγῳ ponitur apud Herodotum; vid. Lex. Schweigh.

v. λόγος, II, 3. Verbum autem apud doctos vario sensu usurpatum varieque definitum. Parmenides ad veritatem refert; sic quoque Philolaus, Theolog. Arithm. p. 61: πίστις γε μὴν καλεῖται (ἡ δεκὰς), ὅτι κατὰ τὸν Φιλόλαον δεκάδι καὶ τοῖς αὐτῆς μορίοις περὶ τῶν ὄντων οὐ παρέργως καταλαμβανομένοις πίστιν βεβαίαν ἔχομεν. Plato in opinione ponit, nec in iis quae sunt, sed quae videntur. Tim. p. 29 C: ὃ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια. Hinc quod Rep. VI, p. 511 extr. πίστιν et εἰκασίαν ut cognata conjungit, quibus opponit νόησιν et διάνοιαν; illa ad fluxa et incerta, haec ad vera et aeterna refert. Praecipue vero celebrata ἡ πίστις a patribus Christianis, quam interpretantur eam animi affectionem quae non scientiae cognitione, sed divina auctoritate divinoque instinctu ad credendum adducitur. Eodem sensu πίστιν a Parmenide intelligi putat Theodoretus Serm. I, p. 14. Sylb. καὶ Παρμενίδης ὁ Ἐλεάτης, ὁ τοῦ Κολοφωνίου Ξενοφάνους ἑταῖρος, πίστει τοῖς νοητοῖς προςβάλλειν παρεγγυᾷ. Φησὶ γάρ· Λεῦσσε δ' ὅμως κτλ. (vss. 89 sqq.) Qui tamen versus ad hanc sententiam probandam parum valent.

Vs. 31. sq. ἀλλ' ἀπατὴ κτλ.) Duo hi versus in Simplicii codice Taurin. sic leguntur:

ἀλλ' ἔμπις καὶ ταῦτα μαθήσεται ὡς τὰ δοκοῦντα
χρῆν δοκίμως εἶναι διὰ παντὸς πάντα περῶντα.

Cod. Oxon. in altero versu vitiose: δοκίμους — πάντα περ ὄντα. Peyronus lectionem Taur. sic emendat: ἀλλ' ἔμπης κ. τ. μαθήσεαι, ὡς τὰ δ. χρὴ δ. ἰέναι κτλ. quae ita vertit: *attamen haec disces, qua ratione oportet te semper probate ire sensibilia quaeque* (τὰ δοκοῦντα πάντα) *pertranseuntem.* Probat Brandisius; mihi tamen fateor istam lectionem parum satisfacere. Emendandi viam monstrat Moërbekae interpretatio: quibus non est vera fides, — *sed deceptio. Et haec discite quomodo quae videntur oportebit probata esse per omne omnia terminàntia.* Unde expressa Ald. lectio: οὐκ ἔστι πίστις ἀληθής, ἀλλ' ἀπαθῆ. καὶ ταῦτα μάθετε πῶς τὰ δοκοῦντα δεῖ δοκιμάζειν εἶναι, διὰ παντὸς πάντα

δρίζοντα. Haec quamvis depravata sint, facile tamen Moërbekae auctoritate pro ἀλλ' ἔμπης recipiemus ἀλλ' ἀπατή, quod oppositum praecedenti πίστις ἀληθής; similiter infra τὸν περὶ δοξῶν λόγον appellat ἀπατηλόν, vs. 111. Deinde τὰ δοκοῦντα post praecedens ταῦτα, frigide repetitum esse, quis non sentit? imo ineptum paene videtur, quum non opinabilia solum, sed vera praesertim cognoscenda sint. Ideo correxi ὥς τε δοκοῦντα, et participium refero non ad praecedens ταῦτα, sed ad pronomen quod intelligitur σέ, quo pertinet etiam sequens περῶντα, a Moërbeka perperam pro neutro plurali habitum. Itaque constructio est: καὶ ταῦτα μαθήσεαι, ὥς τε (πῶς) χρὴ δοκίμως δοκοῦντα ἰέναι διὰ παντὸς περῶντα πάντα. Verba ἰέναι, περᾶν, ἐλαύνεσθαι, similiter ut nomina πόρος, ὁδός, saepe ad mentis cogitationem disceptationemque transferuntur; sic Empedocles vs. 328: πάντοσ' ἐλαυνόμενοι. vs. 350: ὀπόσῃ πόρος ἐστὶ νοῆσαι. Hic tamen pro ἰέναι (al. εἶναι) mallem κρῖναι, verbum Parmenidi usitatum; et deinceps construi πάντα διὰ παντὸς, h. e. omnia omnino, per pleonasmum, ut appellant, quo interdum utitur Parmenides, ut vs. 91: πάντῃ πάντως. vs. 148: καὶ πᾶσιν καὶ παντί.

Vs. 33. εἰ δ' ἄγ', ἐγών.) Sic emendavi vulgatum ἔγε τῶν, mutata litera T in Γ, quae ambae quam saepe a librariis confusae sint, non dictu opus est. Vid. Bast. Palaeogr. p. 710 et passim. Similiter Empedocles vs. 165:

... εἰ δ' ἄγ', ἐγώ τοι νῦν λέξω πρῶθ' ἥλιον ἀρχήν.

Homerus Iliad. ι, 262:

εἰ δέ, σὺ μέν μευ ἄκουσον, ἐγὼ δέ κέ τοι καταλέξω.

Vs 34. αἵπερ ὁδοὶ μοῦναι κτλ.) Proclus pro μοῦναι habet μοῦσαι, quod ineptum mihi videtur. Nam musam quidem pro carmine vel sapientia vel arte dici, notum est et probabile; sed tenuem philosophi argumentationem, dialecticam interrogatiunculam, musam appellari quis ferat? Quae est autem ista verborum constructio: ὁδοὶ μοῦσαι διζήσιος? Ὁδὸς διζήσιος propria locutio est et Parmenidi usitata; interjectum μοῦσαι languidum et absurdum. Fuellebornius vero μούσας pro adjectivo

habet derivato a μοῦσος, quod saepius occurrere dicit. Vellem indicasset. Exemplum quod affert ex Euripidis Alcest. 965 nihil valet. A philosophis et grammaticis quaesita videtur haec explicatio, qui μούσας quasi μῶσας, *quaerendi studiosas*, a μῶσθαι, *quaerendo*, nominatas voluerunt. Plato Cratyl. p. 406 A: τὰς δὲ μούσας τε καὶ ὅλως τὴν μουσικὴν ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, ὡς ἔοικε, καὶ τῆς ζητήσεώς τε καὶ φιλοσοφίας τὸ ὄνομα τοῦτο ἐπωνόμασαν. Etymologus M. Μοῦσα.... μῶσά τίς ἐστι· μῶ γὰρ καὶ μῶμαι τὸ ζητῶ. Cf. Heindorf. ad Platon. l. l. Sed ejusmodi doctorum commenta quam parum valeant ad usum et significationem verbi probandum, quisque videt. Itaque Brandisii conjecturam μοῦναι, ut sententiae congruam et a vulgata scriptura parum distantem, recepi. — ὁδὸς διζήσιος, idem quod Plato dicit, ζητήσεώς τε καὶ φιλοσοφίας, occurrit etiam infra vs. 52; eodem sensu διζῶν vs. 61.

νοῆσαι. Dubitari potest utrum referendum sit ad superius verbum ἀκούσας (ἀκούσας μῦθον ὥστε νοῆσαι, αἵπερ ὁδοὶ... εἰσίν), an pendeat a proximo εἰσί. Prior constructio durior; altera etsi non pertusitata, tamen a Graeci sermonis consuetudine non abhorret, ut αἵπερ... εἰσὶ νοῆσαι dictum sit pro ἅςπερ ὁδούς ἐστι νοῆσαι. Hujusmodi est dictum Aeschyli Pers. 417 (411): θάλασσα δ' οὐκ ἔτ' ἦν ἰδεῖν. Cf. Bernhardy, Syntax L. Gr. p. 361. Simili ratione complura verba, quae vulgo tanquam impersonalia ponuntur, personae accommodantur, ut nota illa δίκαιός εἰμι, δῆλός εἰμι; e. g. Sophocl. Antig. 400: δίκαιός εἰμι τῶνδ' ἀπηλλάχθαι κακῶν, h. e. δίκαιόν ἐστίν ἐμὲ κτλ. Plato Charm. princ. ἤγγελται ἡ τε μάχη πάνυ ἰσχυρὰ γεγονέναι καὶ πολλοὺς ἐν αὐτῇ τεθνάναι. ubi duplex constructio confunditur.

Vss. 35 sqq. His summa continetur Parmenideae doctrinae. Duplex proposita est ratio: altera quae e s s e affirmat, n o n e s s e negat; altera huic contraria, quae e s s e negat, n o n e s s e statuit; quarum illa veritati consentanea, haec falsa est. — ἔστι, breviter dictum, latius sic explanandum: τὸ εἶναι sive τὸ ὂν ἔστι; sed illud clarius exprimit unam illam et sim-

plicem entis notionem, τὸ ὂν αὐτὸ καθ' αὑτό, in quo nihil est multiplex, nulla subjecti et praedicati diversitas. cf. ad vs. 60. Totam hanc propositionem vs. 71 tribus verbis concludit: ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν.

Vss. 35-37. ἡ μὲν — ἡ δὲ. Simplicius ἠμὲν — ἠδέ; sed articulus praestat, qui referatur ad praecedens ὁδοί. Error facile ex eo natus quod Simplicius antecedentes versus omisit, neque adeo erat quo articulus referretur. vs. 37, οὐκ ἔστι τε καὶ, Proclus γε καί. — vs. 36. πειθοῦς κέλευθος. *Via* pro ratione vel disputatione usitate dicitur tam in poësi quam in soluta oratione. Similiter mox παναπευθέα ἀταρπόν. et vs. 72: οὐ γὰρ ἀληθής ἐστιν ὁδός. Empedocles vs. 33: λόγων ἀτραπὸν μίαν. Linus apud Stobaeum Floril. V, 22. Gaisf.

μύθων ἡμετέρων ἀτραπὸν περὶ παντὸς ἀληθῆ.

Orph. fragm. II, vs. 8. (Herm.) cit. Brandis. Cf. Gesner. ad Argon. vs. 33-35. Heusdius ad Platon. Politic. p. 258 B, in Specim. Platon. p. 130. sq. — πειθὼ quasi persona satis frequens. Vid. Aeschyl. Niobes fr. in Stob Floril. T. CXVIII, 1. Euripid. Antig. Ornatius Empedocles vs. 304: πειθοῦς ἀμαξιτός.

Vs. 38. παναπευθέα ἔμμεν. Vulgo scribunt ἔμμεν', addito apostropho; Simplicius παναπευθέα ἔμμεναι. Notandus autem hiatus ante ἔμμεν, uti et vs. 74 in verbis, πέλει τὸ ἐόν. vs. 156: νῦν τε ἔασι. Posset facile tolli inserendo γ', aliove remedio, quo in multis hujusmodi locis usus est Hermannus: ut Homer. H. Apoll. Del. vs. 54, pro σε ἔσεσθαι corrigit σέ γ' ἔσεσθαι. Similia hiatus exempla apud seriores epicos multa exstant, ut apud Q. Smyrnaeum III, 325, 475. VI, 296. XIV, 114: ἄλσεα ὑλήεντα, στήθεα ἠδὲ χιτῶνας, ὅπποσα ἔστι, al. quae omnia emendatione egere censet Hermannus, de hiatu disserens ad calcem Orphic. p. 743 sqq. Equidem tamen tangere vereor.

Vs. 39 sq. οὔτε γὰρ ἂν γνοίης κτλ.) Inter hunc versum et antecedentem Proclus interponit particulam καὶ, unde suspiceris aliquid intermissum esse; Simplicius tamen uno ordine continuat. Etsi versus bene cohaerent, tamen haud impro-

babile videtur, aliquid intercidisse, quo latius explicitum sit, quod deinde saepius repetitur, non ens esse omnino nihil, idque tanquam inane prorsus esse rejiciendum. — τό γε μὴ ἐὸν, Proclus μὴ ὄν; Ionicam formam praebet Simplicius, quae Parmenidi ubique restituenda, ut monuit Heindorf ad Platon. Soph. p. 239 B, et fecit jam Brandis. μὴ ante ἐὸν producitur vi arseos; alioquin corripiendum, ut vs. 62: ἐκ μὴ ἐόντος ἐάσω.

οὔτε γνοίης — οὔτε φράσαις. Similiter vs. 63: οὔτ' ἐάσω φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν, οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν. Parmenidis vestigia legit Plato Soph. p. 238 C: συννοεῖς οὖν ὡς οὔτε φθέγξασθαι δυνατὸν ὀρθῶς οὔτε εἰπεῖν οὔτε διανοηθῆναι τὸ μὴ ὂν αὐτὸ καθ' αὑτό, ἀλλ' ἔστιν ἀδιανόητόν τε καὶ ἄῤῥητον καὶ ἄφθεγκτον καὶ ἄλογον. Eadem verba, quamquam diversâ sententiâ, exprimit Proclus Theolog. III, 7. p. 131 sq. ἁπάντων τῶν ὄντων... μία.. αἰτία προϋφέστηκεν, ἄῤῥητος μὲν παντὶ λόγῳ καὶ ἄφραστος, ἄγνωστος δὲ πάσῃ γνώσει καὶ ἄληπτος.

ἀνυστόν. Ita Simplicius; Proclus ἐφικτόν. Significatio paene similis: *quod ratione probari* vel *mente comprehendi potest;* ut difficile sit dictu, judice Brandisio, utra lectio anteponenda sit. Ἐφικτὸν occurrit apud Empedoclem, vs. 302:

οὐκ ἔστιν πελάσασθ', οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
ἡμετέροις ἢ χερσὶ λαβεῖν.

apud Democritum in Stobaei Floril. T. CX, 18: ἐλπίδες αἱ τὰ ὀρθὰ φρονεόντων ἐφικταί, αἱ δὲ τῶν ἀξυνέτων ἀδύνατοι. — ἀνυστὸν et compositum ἀνήνυστον habet etiam Empedocles vs. 125: τὸ ὂν ἐξόλλυσθαι ἀνήνυστον, h. e. ἀμήχανον. Anaxagoras fr. 14, p. 125 Schaub. οὐδὲ ἀνυστὸν πάντων πλείω εἶναι, κτλ. Melissus apud Simplicium Phys. f. 23 B. extr. οὐ γὰρ ἀεὶ εἶναι ἀνυστὸν, ὅ τι μὴ πᾶν ἐστί. ibid f. 24 A. οὐδὲ μετακοσμηθῆναι ἀνυστόν. cf. Brandis. § 7, 12. Etsi autem utrumque vocabulum antiquis usitatum, posterius tamen, isto quidem sensu, priscis magis proprium mansisse videtur, illud a serioribus quoque usurpatum. Hesychius: ἐφικτὸν, δυνατὸν (καταλαβέσθαι), καταληπτόν. Cf. interpp. ad h. l. Eunapius, Vita Porph. p. 10. ed. Boiss.

Quamobrem probabilius videtur, vocabulum antiquius alteri magis noto cessisse; tum etiam Simplicii auctoritas in laudandis veterum dictis Proclo anteponenda est.

Vs 40. τὸ γὰρ αὐτὸ κτλ.) Versiculum hunc a Plotino et Clemente separatim memoratum, non animadversum ab interpretibus, hic interposui, quod et sententia et numeri cum proximis verbis aptissime cohaerent. Sensus universe hic est: Non ens ne cogitari quidem potest: nam quodcumque cogites, esse cogitas; si esse tollatur, tollitur etiam ipsum cogitare; ergo si cogitare statuas, esse quoque fatendum est: idem adeo est dicere cogitare et esse. Οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος εὑρήσεις τὸ νοεῖν, dicit similiter vs. 94, quae cum his conferenda. Plotinus hoc dictum sic interpretatur, Parmenidem τὸ ὂν idem dixisse νοῦν, atque ens intellexisse cogitantem naturam. Hic Neo-platonica cum Parmenideis confudit. Agemus de hoc in dissertatione de Parm. philos. § 12.

Vs. 41 sq. ξυνὸν δέ μοι κτλ.) Apud Proclum haec leguntur: ὁ μὲν γὰρ Παρμενίδης αὐτὸ τὸ ὂν ἑώρα... τὸ πάντων ἐξῃρημένον καὶ ἀκρότατον τῶν ὄντων,... οὐχ ὡς ἀγνοῶν τὸ πλῆθος τῶν νοητῶν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ φάς, ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει (vs. 80.), καὶ πάλιν,

ξυνὸν δέ μοι ἐστὶν ὁπόθεν

ἄρξομαι.

τόθι γὰρ πάλιν,

ἵξομαι αὖθις.

καὶ ἐν ἄλλοις, μεσσόθεν ἰσοπαλές. (vs. 103.) Sic haec verba apud Cousinum sunt disposita. At statim patet, ὁπόθεν non posse ultimam versus sedem obtinere; obstat enim metrum: itaque ad initium versus sequentis rejeci. Deinde verba τόθι γὰρ πάλιν si a sequentibus ἵξομαι αὖθις dispescantur, nullus omnino subest sensus; versiculi partem esse, poëtica etiam particula τόθι indicat. Si autem sensum quaeras, videtur in eo nihil esse reconditum, sed transitum modo facere ad inchoandam disputationem. Scriptor, diversis propositis argu-

mentis et quasi disserendi viis, tanquam incertus quo primum ingrediatur, videtur hoc dicere: *Nihil interest, unde initium capiam: nam mox illuc revertar.* Possent, si opus esset, similia poëtarum dicta conferri, ut hoc Empedoclis, in fragm. Peyron. p. 53:

> *αὐτὰρ ἐγὼ παλίνορσος ἐλεύσομαι ἐς πόρον ὕμνων,*
> *τὸν πρότερον κατέλεξα* —

et vulgaria illa: *ἐπανελθεῖν βούλομαι, ὅθεν εἰς ταῦτα ἐξέβην*, similiaque, quorum multa exempla profert Wyttenbachius ad Phaedon. p. 194. Sed res explicatione non eget. Illud tantum quaeritur, quae argumenta Parmenides hic spectet. Pertinere ad disputationem sive carminis partem *περὶ τοῦ ὄντος*, apparet e Proclo. Iam opinari posses, spectari duo illa argumenta quae in carminis prooemio proponit, de veritate et de opinione; quorum utrum prius tractare instituat velut ambigens, hoc dicat. At ista quidem partitio non erat temeraria neque fortuita. Potius spectasse credo duplicem illam viam seu rationem, quam initio argumentationis de ente proponit: utrum e s s e an n o n e s s e sit statuendum. Hoc mihi non improbabile visum, ideoque hoc loco, quo aptiorem sedem non facile invenias, interposui. Si autem Proclum interpretantem audiamus, verbis his gravis et recondita subest sententia, quae paucis exploranda est: *διὰ γὰρ τούτων ἁπάντων*, inquit, (iis nempe quae modo attulimus) *δείκνυσιν ὁ Παρμενίδης, ὅτι καὶ π ο λ λ ὰ εἶναι τίθεται νοητὰ, καὶ τ ά ξ ι ν ἐν τούτοις π ρ ώ τ ω ν καὶ μ έ σ ω ν καὶ τ ε λ ε υ τ α ί ω ν, καὶ ἕ ν ω σ ι ν ἄφραστον αὐτῶν.* Vult ergo, Parmenidem his dictis ostendere, et multa esse entium sive intelligibilium rerum genera; et perfectum in iis ordinem, in quo sit initium, medium et extremum; et varia illa inter se unitate incomprehensibili contineri. Horum primum, *πολλὰ εἶναι νοητά*, efficit e dicto quod laudat, *ἐὸν ἐόντι πελάζει*; quibus videlicet verbis palam sit, *ens enti* a Parmenide addi; ergo non unum sed plura entia poni. Alterum, esse *τάξιν πρώτων καὶ μέσων καὶ τελευταίων*, efficit e verbis *μεσσόθεν ἰσοπαλές*.

nam quodcumque medium habeat, extrema quoque habeat necesse sit. Postremum, esse ἕνωσιν τῶν νοητῶν, e versu quem nunc tractamus, ξυνὸν δὲ κτλ. colligendum. Ista interpretatio profecto tam ingeniosa est tamque subtilis, ut Neo-platonico paene acumine opus sit ad eam intelligendam et explicandam. Videor tamen Procli sensum posse enucleare. Nimirum duxit hanc interpretationem e vocabulo ξυνόν, h. e. κοινόν, quod apud philosophos interiorem habet sensum: sic enim appellant *summum genus, cujus communione cuncta contineantur.* Aristoteles Metaph. III, 3. p. 667 D; Eudemus in Simplicii Phys. f. 29 A, de Parmenidis ente agens: τὸ μὲν οὖν κοινὸν οὐκ ἂν λέγοι· οὔτε γὰρ ἐζητεῖτό πω τὰ τοιαῦτα, ἀλλ᾽ ὕστερον ἐκ τῶν λόγων προῆλθεν. Simplicius ibid. f. 28 B: τὸ μὲν γένος δύο ἔχει, τό τε οὐσιῶδες καὶ τὸ κοινόν. De eodem Proclus ipse paullo ante (in Parm. T. IV, p. 119) dicit: ἔστι δὲ αὖ τῶν πολλῶν δεσμὸς τὸ ἐν αὐτοῖς κοινόν. Hanc igitur significationem Proclus, ut sagacissimus verborum interpres, in hunc locum transtulit. Hinc illa explicatio, in qua non essem tam diu immoratus, nisi exemplo esset, qua arte usi sint Platonici in interpretandis veterum scriptis, qua effecerunt, ut in omnibus tam poëtarum quam philosophorum libris ubique suae doctrinae vestigia reperirent, et suas adeo rationes, tanquam totius antiquitatis consensu firmatas et probatas, celebrarent.

Vs. 43 sq. χρὴ λέγειν τε κτλ.) Argumentum idem quod antecedentis versus 40; demonstrare vult, cogitare et dicere ens esse, quod hac ratiuncula concludit: dicere et cogitare est; quodcumque est, necessario ens est; ergo dicere et cogitare ens est. Argumentatio haec e Parmenidis mente non eo valet, ut omne discrimen inter esse et cogitare, omnisque adeo rerum diversitas tollatur; sed hoc docet, nihil non-esse, ens patere per omnia, nec sine hoc dici cogitarive quidquam posse, sicut vs. 94 dicit: οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος.. εὑρήσεις τὸ νοεῖν· οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἄλλο πάρεξ τοῦ ἐόντος. Simplicius l. l. f. 19 A, sententiae hujus summam sic exponit: εἰ οὖν ὅπερ

ἄν τις ἢ νοήσῃ ἢ εἴπῃ τὸ ὂν ἐστι, πάντων εἷς ἔσται λόγος ὁ τοῦ ὄντος. Recte. Strictius tamen pro ὅπερ ἄν τις ἢ νοήσῃ ἢ εἴπῃ dixisset, ut Parmenides, τὸ νοεῖν τε καὶ λέγειν sive πᾶσα νόησίς τε καὶ ῥῆσις. . Simplicii interpretatio in errorem induxit Heindorfium, ut statim videbimus.

ἔστι γὰρ εἶναι, μηδὲν δ' οὐκ εἶναι.) Simplicius uno loco (f. 19 A.) pro οὐκ εἶναι legit οὐκ ἔστιν. Parum differt; commodius tamen εἶναι et οὐκ εἶναι sibi opponi videntur, eodem sensu ac si dixisset: ἔστι γὰρ τὸ ἐὸν, τὸ δὲ μὴ ἐὸν οὐδέν. Notionem τοῦ μὴ ὄντος declarat Platonis Parmenides p. 163 C: τοῦτο τὸ μὴ ἔστι, λεγόμενον ἁπλῶς, σημαίνει ὅτι οὐδαμῶς οὐδαμῇ ἔστιν οὐδέ πῃ μετέχει οὐσίας τό γε μὴ ὄν.... οὔτε ἄρα εἶναι δύναιτο ἂν τὸ μὴ ὂν οὔτε ἄλλως οὐδαμῶς οὐσίας μετέχειν. Sententiam Parmenidis, non verba reddit Proclus in Parm. T. V, p. 280: τὸ γὰρ οὐκ ὂν οὐδέν, αὐτὸς ἦν ὁ λέγων ὁ Παρμενίδης.—Caeterum Heindorf. ad Platon. Soph. p. 239 B, Simplicii ductu locum hunc sic corrigendum putabat:

χρὴ τὸ λέγειν, τὸ νοεῖν τ' ἐὸν ἔμμεναι· ἔστι γὰρ εἶναι,
μὴ δ' εἶν' (εἶναι) οὐκ ἔστιν.

Recte τ' (τε) ἐὸν emendavit pro τὸ ὄν, quod legitur in Simplicio; ad eundem modum τὸ λέγειν τε νοεῖν τ' scripsi pro vulgato τὸ λέγ. τὸ ν. τ'. Caetera autem nulla emendatione egere videntur. In sqq. τά τέ σε φράζεσθαι, τε inseruit Heindorfius, postulante metro. Est autem locutio Homerica, ut Fuelleborn. notat. Vid. Odyss. α, 269; Hesiod. Ἔργ. 367. al.

Vs. 45. πρῶτον τῆςδ' ἀφ' ὁδοῦ) Sic versum hunc e conjectura refinxi. Simplicius legit: πρώτης γὰρ ἀφ' ὁδοῦ ταύτης. ταύτης, quod turbat metrum, ejecerunt Fuelleb. et Brandis; tamen pronomen requiritur. Praeterea vero suspectum mihi erat γὰρ, quod metro repugnat, neque ullum habet sensum. Quam frequenter haec particula, in citandis veterum dictis, inseri soleat, latet neminem; similiter vs. 60 pro οὔ ποτ' Hermias οὐ γάρ. Denique πρώτης non satis congruit sequenti αὐτὰρ ἔπειτ', quod illi respondet. Ideo ταύτης et γὰρ utrum-

que, ut temere intrusum, ejeci; πρώτης autem mutavi in πρῶτον τῆςδ', quod sequentis versûs initio optime respondet. Probabile est scripturae compendium hanc labem fecisse, quam deinde interpretes vel librarii suo arbitrio suppleverint.

Vs. 46 sqq. αὐτὰρ ἔπειτ' ἀπὸ τῆς κτλ.) Quum primum non esse redarguit, deinceps se opponit eorum sententiae qui esse simul et non esse dicunt, τοῖς τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὂν συμφέρουσιν, interprete Simplicio; h. e. qui esse quidem ajunt, sed fluxa ista et mortalia, non constans illud et aeternum. Ad quos spectet, infra in dissert. § 5. quaeremus. Nunc, quo clarius Parmenidis mens pateat, verba ejus accuratius consideranda sunt.

Vs. 47 sq. πλάζονται δίκρανοι.) δίκρανος, biceps, in ratiocinando ambiguus et contrarius, κορυφὰς ἑτέρας ἑτέραισι προςάπτων, ut Empedoclis dicto utar (apud Plutarch. def. oracul. c. 15.). Simili modo versutus sophista a Platone πολύκεφαλος appellatur, Sophist. p. 240 C. — πλάζεσθαι dicitur qui ambigit, in sententia fluctuat. Sic Plato Rep. V, p. 479 D, de vulgi opinionibus dicit: τὰ τῶν πολλῶν νόμιμα... μεταξύ που κυλινδεῖται τοῦ τε μὴ ὄντος καὶ τοῦ ὄντος εἰλικρινῶς. Lucianus, (cit. Brandis.) in Fugit. § 10 (T. III, p. 370 Hemst.): τὸ σοφιστῶν φῦλον ... οἷον τὸ ἱπποκενταύρων γένος σύνθετόν τι καὶ μικτὸν ἐν μέσῳ ἀλαζονείας καὶ φιλοσοφίας πλαζόμενον. Huic cognata sunt verba πλάνος, πλάνη, πλανᾶσθαι, quae quam frequenter de rebus fluxis vagisque opinionibus a Platone et Platonicis usurpentur, notum est. Vid. e. g. Parm. p. 135 E; Soph. p. 245 E; Phaedon. p. 79 D; Tim. p. 48 A. Verbum translatum a navigii cursu fluctibus agitati, cui congruunt etiam sequentia: ἰθύνει, πλαγκτὸν νόον, φορεῦνται.

ἀμηχανίη — πλαγκτὸν νόον). ἀμηχανίη vocabulum latae significationis: vulgari usu universe consiliorum inopiam, vel molestiarum sollicitudinem notat; apud philosophos autem haesitationem in argumentando, rationum ambiguitatem, inconstantiam. Sextus Empir. Pyrrhon. I, 7, de scepticismo: ἀπορητική, inquit, ista ratio appellatur ἀπὸ τοῦ ἀμηχανεῖν πρὸς συγκατάθε-

ειν ἢ ἄρνησιν, quod anceps est tam ad affirmandum quam ad negandum. Cf. Brandis. — πλαγκτὸν usurpat Homer. Od. φ, 363; Parmenides vs. 145: μελέων πολυπλάγκτων. — φορεῦνται scripsi pro φοροῦνται.

Vs. 49. κωφοὶ ὅμως τυφλοί τε) Notantur ii qui non rationis judicium, sed sensuum commenta sequuntur; de quibus vs. 54 dicit: νωμᾷν ἄσκοπον ὄμμα καὶ ἠχήεσσαν ἀκουήν. Parmenides fuit in primis qui oculorum auriumque sensus vituperavit, mentis judicium commendavit. Comparanda cum hoc aliorum dicta Parmenidi fere aequalium, ut Epicharmi celebratissimus versus:

νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

in Stobaei Florileg. T. IV, 42. Gaisf. Cf. Potter. ad Clement. Alex. I. p. 442, aliique; Heracliti dictum apud Sextum Emp. adv. Mathem. VII, 126: κακοὶ μάρτυρες ἀνθρώποισιν ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα, βαρβάρους ψυχὰς ἐχόντων. Empedoclis illud de mundi harmonia, vs. 53:

τὴν σὺ νόῳ δέρκευ, μηδ᾽ ὄμμασιν ἧσο τεθηπώς.

Utrumque vocabulum τυφλὸς et κωφὸς frequenter ad intelligentiam transferuntur. Heraclitus apud Clement. Alex. Strom. V, p. 604 A: ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖς ἐοίκασιν. Sophocles Oedip. Tyr. vs. 371:

τυφλὸς τά τ᾽ ὦτα τόν τε νοῦν τά τ᾽ ὄμματ᾽ εἶ.

Idem in Aiace vs. 911: ἐγὼ δ᾽ ὁ πάντα κωφὸς, ὁ πάντ᾽ ἄϊδρις. Plato Phaedr. p. 270 E: οὐ μὴν ἀπεικαστέον τόν γε τέχνῃ μετιόντα ὁτιοῦν τυφλῷ οὐδὲ κωφῷ Cf. Brandis.

ἄκριτα φῦλα) ἄκριτος, rationis expers, judicandi imperitus; significatio non vulgaris. Cf. Gatakerus ad Antonin. L. II, § 17. κρίνειν propriè dixit Parmenides de rationis cognitione; vs. 55: κρῖναι δὲ λόγῳ. vs. 70: κρίσις περὶ τούτων.

Vs. 50. οἷς τὸ πέλειν κτλ.) Qui esse et non esse statuunt, hos redarguit eo, quod utrumque diversum simul idemque faciant: nam quum non-ens enti opponunt, diversa statuunt; quum ambo esse asseverant, idem faciunt.

Hoc autem placitum est eorum qui esse ponunt in rebus fluxis et mortalibus, quae oriuntur et occidunt, non autem constant. Sic infra vs. 99 conjungit γίγνεσθαί τε καὶ ὄλλυσθαι, εἶναί τε καὶ οὐχί. Illustrat Plato Rep. V, p. 479 C: καὶ γὰρ ταῦτα (res fluxae) ἐπαμφοτερίζει, καὶ οὔτ' εἶναι οὔτε μὴ εἶναι οὐδὲν αὐτῶν δυνατὸν παγίως νοῆσαι, οὔτ' ἀμφότερα οὔτε οὐδέτερον. Quod Plato vocat ἐπαμφοτερίζειν, est idem quod Parmenides dicit, παλίντροπός ἐστι κέλευθος. Cf. Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 108. — τὸ πέλειν id. q. τὸ εἶναι, ut vs. 66; articulum vero hic deleri mallem, quia saepius omittitur (ut vs. 43: ἔστι γὰρ εἶναι), in ejusque locum supponi particulum γέ, quae hic minime foret supervacanea. In verbis autem construendis ambiguum, utrum jungendum sit πέλειν τε καὶ οὐκ εἶναι, an sic ordinandum: πέλειν τε καὶ οὐκ (h. e. οὐ πέλειν) et sequens εἶναι cum proximo ταὐτὸν νενόμισται copulandum sit. Priorem rationem praeferrem, nisi πέλειν et οὐκ εἶναι minus apte opponi viderentur; potius dixisset εἶναι τε καὶ οὐκ εἶναι, vel πέλειν τε καὶ οὐ πέλεναι. Posterior ratio Graecis non inusitata; ut vs. 66: πέλεμεν χρεών ἐστιν ἢ οὐκί (πέλεμεν). Plato Soph. p. 245 E: τοὺς διακριβολογουμένους ὄντος τε πέρι καὶ μή (ὄντος). Quae constructio si hic, ut mihi videtur, praeferenda est, pro εἶναι legi malim ἔμεναι, tam propter numerum, quam ut ambiguitas leniatur: nam εἶναι usurpat Parmenides, quando ipsum τὸ ὂν notat; quum vero pro copula ponitur, saepius utitur forma ἔμμεναι; ut vss. 38, 43. Itaque versum etsi non statuo, opinor tamen sic legendum:

οἷς γε πέλειν τε καὶ οὐκ ἔμεναι ταὐτὸν νενόμισται
κοὐ ταὐτόν.

Vs. 51. πάντων δὲ παλίντροπος) πάντων, nempe ἃ λέγουσιν; Brandis conjiciebat πάντως. παλίντροπος notat vel *redux* vel *in contrarium versus*: nam πάλιν in compositis utrumque significare, et *rursus* et *contra*, notum est. Hic παλίντροπος κέλευθος est ratio anceps, ipsa sibi repugnans. Eodem fere sensu Plutarchus de Cicerone, mortis angore in diversas partes

jactato, in Vit. c. 47: ταραχώδη καὶ παλίντροπα βουλεύματα τῆς γνώμης μεταλαμβάνων. Hinc παλιντροπίαι fluctuantis animi sollicitudines vocantur ab Apollon. Rhod. III, 1156. Similis est significatio vocabuli παλίντονος in celebratissimo Heracliti dicto, apud Plutarch. Is. et Osir. p. 369 B: παλίντονος γὰρ ἡ ἁρμονίη κόσμου, ὅκωςπερ λύρης καὶ τόξου. pro quo apud eundem de Animi gener. in Tim. p. 1026 C, legitur παλίντροπος. Sed hoc ut melius congruit voci κέλευθος, qua Parmenides utitur; ita illud magis conveniens est cum ἁρμονίῃ. Denique παλίμβολος quoque eodem sensu interdum ponitur; sic Aristaenet. Ep. I, 29, παλίμβολον appellat ἱστὸν Πηνελόπης, telam illam textam assidue et retextam. cf. Timaei Lex. p. 204. Cum Parmenidis dictis propter coloris similitudinem comparanda sunt haec Numenii Pythagorici verba, quibus Academicum Arcesilam insectatur, apud Euseb. Praep. Eu. XIV, 5. p. 730 A: καὶ ἔλεγε καὶ ἀντέλεγε, καὶ μετεκυλινδεῖτο κἀκεῖθεν κἀντεῦθεν, ἑκατέρωθεν ὁπόθεν τύχοι, παλινάγρετος καὶ δύσκριτος καὶ παλίμβολός τε ἅμα καὶ παρακεκινδυνευμένος, οὐδέν τε εἰδώς, ὡς αὐτὸς ἔφη.

Vs. 52 sqq. ἀλλὰ σὺ τῆςδ' κτλ.) Devenimus jam ad versus illos a Sexto relatos, de quorum collocatione ad vs. 28 vidimus. Parmenides, suis rationibus expositis, refutatis adversariis, hortatur, ut in his dijudicandis non vulgarem viam, non oculorum auriumque judicium sequantur, sed ratione verum discernant. Argumentationis ordinem et nexum indicat Simplicius Phys. f. 17 A: μεμψάμενος (ὁ Παρμενίδης) τοῖς τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὂν συμφέρουσιν, . . . ἀποστρέψας τῆς ὁδοῦ τῆς τὸ μὴ ὂν ζητούσης, ἀλλὰ σὺ (λέγων) τῆςδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα, ἐπάγει· μόνος δ' ἔτι μῦθος ὁδοῖο λείπεται κτλ. Ex hoc patet, viam, quam Parmenides sequi dissuadet, esse τὴν τὸ μὴ ὂν ζητοῦσαν, sive eorum rationem qui negant esse, non esse statuunt, quam initio jam reprehendit et hîc identidem refutat. Intelligitur inde, versus nonnullos eo spectantes hic intercidisse; quod significant etiam Platonis verba de Parmenide, Soph. p. 237 A: οὐ γὰρ μήποτε τοῦτ' οὐδαμῇ φησιν

εἶναι μὴ ἐόντα, ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα. quae Brandisius, ut lacunam suppleret, tanquam ipsius Parmenidis dicta hic inseruit; nobis, quia verba illa nec numeris constant nec argumentationem interruptam justo modo explent, melius visum e versuum ordine excludere et inter prosae orationis fragmenta referre infra, ubi de his accuratius. Miretur vero aliquis, Simplicium l. c. versus illos, quibus Parmenides sensuum fidem perstringit (53-55), plane omittere, neque ullam facere eorum mentionem. Ratio est, quod Simplicius eo loco id agit ut Parmenidis argumenta περὶ τοῦ ὄντος explicet, caetera satis habuit uno verbo (ἀποστρέψας τῆς ὁδοῦ κτλ.) indicare.

Vs. 53. μηδέ σ' ἔθος πολύπειρον ὁδὸν) Fuellebornius admonet celebratissimorum versuum Hesiodi Ἔργ. 288, ubi duae viae, altera virtutis, altera injustitiae describuntur; unde hunc Parmenidis locum expressum vel adumbratum esse, post illum alii quoque judicarunt, ut Astius ad Platon. Phaedr. p. 379. Tamen quam parum sit inter utrumque similitudinis, non opus est multis explicare, monuisse sufficiat, ne dissimilibus inter se comparandis hujus loci sensus obscuretur.

ἔθος, vulgaris hominum consuetudo, opiniones, ὅσσα βροτοὶ κατέθεντο, πεποιθότες εἶναι ἀληθῆ, ut dicit vs. 98. Diogenes habet μή σε θεός, confusis literis. — πολύπειρον, sive illud referatur ad ἔθος sive ad ὁδόν, non potest usitata significatione accipi, qua notat *experientia doctus, prudens*; sed accipiendum eadem significatione qua πολυπείρων, *multivius, multimodus*, apud Orpheum Argon. vs. 33: μαντείης πολυπείρονας οἴμους. quae vocabula ambo ejusdem sunt originis et cognatae significationis: ducuntur enim ambo a πεῖρα, quod et *experientiam* et *viam* notat (Sophocl. Ai. 290.); terminationes autem in ος et ων interdum nullo discrimine permutantur, ut in ἄπειρος et ἀπείρων, ποικιλόδερμος et ποικιλοδέρμων. Alioquin addito apostropho scribi posset πολυπείρον' ὁδόν. Itaque significatur vulgare hominum judicium non unam sequens rationis viam,

sed per multas sensuum ambages oberrans, anceps, ambiguum.

Vs. 54. *νωμᾶν ἄσκοπον ὄμμα κτλ.*) His similes sunt versus Empedoclis 248 sqq.

μήτε κατ' ὄψιν ἔχων πίστιν πλέον' ἢ κατ' ἀκουήν,
ἢ ἀκοὴν ἐρίδουπον ὑπὲρ τρανώματα γλώσσης,
μήτε τι τῶν ἄλλων ὁπόση πόρος ἐστὶ νοῆσαι.

quorum versuum primum leviter refinximus, quum apud Sturz. sic legatur: *μήτε τιν' ὄψιν ἔχων πίστει πλέον* — sed de hoc alibi. Comparandus quoque Epicharmi versiculus citatus ad vs. 47, aliaque omnium quondam ore pervagata; quae spectat Plato Phaedon. p. 65 B, sic rogans: *ἆρα ἔχει ἀλήθειάν τινα ὄψις τε καὶ ἀκοὴ τοῖς ἀνθρώποις; ἢ τά γε τοιαῦτα καὶ οἱ ποιηταὶ ἀεὶ ἡμῖν θρυλλοῦσιν, ὅτι οὔτ' ἀκούομεν ἀκριβὲς οὐδὲν οὔτε ὁρῶμεν.* ad quem locum largam doctrinae messem praebet Wyttenbach. Annotat. p. 151 sq. — *ἄσκοπον ὄμμα.* Cf. Homer. Il. *ω*, 157; Timo Phlias. apud Sextum Empir. adv. Mathem. IX. 57. — *ἠχήεσσαν ἀκουήν* id. q. *ἐρίδουπον* apud Empedoclem, l. c. monente Brandisio.

Vs. 55. *κρῖναι δὲ λόγῳ*) *κρίνειν*, *discernere*, a philosophis proprie de intelligentiae judicio usurpari coeptum. Anaxagoras de sensuum imbecillitate loquens, *ὑπὸ ἀφαυρότητος*, inquit, *οὐ δυνατοί ἐσμεν κρίνειν τἀληθές.* (apud Sextum Empir. adv. Math. VII, 90.) Hanc significationem Parmenides magis etiam declarat addito *λόγῳ*, quae locutio etiamsi vulgari quoque consuetudine usurpatur (ut *δηλοῦν λόγῳ*, similia; Herodot. VIII, 61; cf. Lex. Herodot. Schw. II, p. 78.), tamen apud philosophos propriam habet potestatem. Hi *λόγον* appellant *ratiocinandi* et *disserendi facultatem*, quae eadem postea arte constituta *διαλεκτικὴ* seu *λογικὴ* dicta est. Hoc sensu *λόγος* hic opponitur *ἔθει*, *communi sensuum consuetudini.* Similiter *τῇ ἐμπειρίᾳ* opponitur a Platone Legg. IX, p. 857 C: *ἰατρὸς τῶν ταῖς ἐμπειρίαις ἄνευ λόγου τὴν ἰατρικὴν μεταχειριζομένων.* cf. Aristotel. Metaph. I, 1. Eodem vocabulo utitur Platonis Parmenides p. 135 D: *οὐκ ἐν τοῖς ὁρωμένοις οὐδὲ περὶ ταῦτα τὴν*

πλάνην ἐπισκοπεῖν, ἀλλὰ περὶ ἐκεῖνα ἃ μάλιστά τις ἂν λόγῳ λάβοι. quod idem Plato Phaedon p. 79 A (37 Wytt.) sic exprimit: τῶν δὲ κατὰ τὰ αὐτὰ ἐχόντων οὐκ ἔστιν ὅτῳ ποτ' ἂν ἄλλῳ ἐπιλάβοιο ἢ τῷ τῆς διανοίας λογισμῷ. Sic λογίζεσθαι quoque de mentis cogitatione a sensu remota; ibid. p. 65 C. (15 W.). Parmenidis autem aetate vocabulum λόγος hac notione apud doctos nondum valde invaluisse videtur; usitatius νοῦς et νοεῖν. Empedocles, vs. 351:

γυίων πίστιν ἔρυκε, νόει δ' ᾗ δῆλον ἕκαστον.

Euripides, in Valckenarii diatr. p. 244:

οὐ γὰρ ὀφθαλμὸς τὸ κρῖνόν ἐστιν, ἀλλὰ νοῦς.

Utrumque significatione cognatum quidem, nec tamen plane par; νοῦς significat cogitationem, intelligentiam, universe; λόγος rectam intelligendi rationem vel instrumentum. Hinc utrumque interdum conjungitur a Platone, ut Tim. p. 27 D: τί τὸ ὂν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν ἀεί, ὂν δὲ οὐδέποτε; τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ... τὸ δὲ αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου. quae spectat Proclus in Alcib. I, p. 22 (Creuz.): ὁ Τίμαιος ἀνάλογον τοῖς οὖσι τὰς γνώσεις διελόμενος, νοήσει μὲν ἡμᾶς καὶ λόγῳ παρακελεύεται τὰ ὄντα κρίνειν, δόξῃ δὲ καὶ αἰσθήσει τὰ μὴ ὄντα μὲν, γινόμενα δὲ καὶ ἀπολλύμενα. Phileb. p. 62 A: φρονῶν (i. q. νοῶν) ἄνθρωπος αὐτῆς περὶ δικαιοσύνης, ὅ τι ἐστι, καὶ λόγον ἔχων ἑπόμενον τῷ νοεῖν. h. e. qui quid sit justitia cum intelligit, tum rationem reddere potest. Ocellus Lucanus librum περὶ τοῦ παντὸς sic orditur: Τάδε συνέγραψεν Ὤκελλος, ... τὰ μὲν τεκμηρίοις σαφέσι παρ' αὐτῆς τῆς φύσεως ἐκμαθών, τὰ δὲ καὶ δόξῃ μετὰ λόγου τὸ εἰκὸς ἀπὸ τῆς νοήσεως στοχαζόμενος. Hic verbis quidem usus est Platonicis, sensu vero et significatione ab eo plane distat, siquidem notiones diversas inter se confundit, ut arguit Theaet. p. 201 C.

πολύδηριν ἔλεγχον ἐξ ἐμ. ῥηθ.) Intelligit eam argumentationem qua refutavit istos, qui aut non esse aut esse simul et non esse ponerent. πολύδηριν edidi secundum Meibomium apud Diogen. Laërt. ubi alii libri πολύπειρον, quod probat Menagius

Observv. p. 401. Utrumque vocabulum non usitatum quidem, tamen antiquae notae. Alterum derivatum a δῆρις, *rixa*, (Homer. Il. ρ. 42; Empedocl. vs. 12.) sign. *litigiosus*, sive alios acriter impugnans, sive ab aliis multum impugnatus; alterum ductum a δῆνος, unde plur. δήνεα apud Homer. Il. δ, 361, quod grammatici interpretantur βουλεύματα; legitur quoque in Silentiarii versu apud Salmas. Exerc. Plin. p. 851 A, restitutum ab Hermanno in Addendis ad dissert. de aetate scriptt. Argon. p. XXIX; a quo derivata ἀδηνής, ἀδηνείη, caet. Vid. Hesychius v. δήνεα, ibique intpp. Apollonius Lex. Hom. h. v. Schneider. Lex. Gr. δῆνος. Forma πολύδηνις, pro — ής, respondet Homericis θέσπις, πολύμητις, aliisque similibus, probabiliter ab obsoleto δῆνις repetenda; notat autem *prudens*, *peritus*, *argutus*, quae significatio hîc maxime congrua est. Sextus Empir. vero hîc iterum legit πολύπειρον, quod retinet Brandis; sed ista ejusdem vocabuli repetitio, et quidem contrario plane sensu, vix ferenda est, eaque lectio nihil aliud videtur quam interpretatio verbi πολύδηνις, sicut ἀδηνής, ἀδηνείη, grammatici interpretantur ἄπειρος, ἀπειρία.

Vs. 56. μόνος δ' ἔτι μῦθος ὁδ. λείπ.) Haec postrema sunt apud Sextum; iisdem incipit Simplicius; e quo patet, superiores versus cum his qui jam sequuntur cohaerere. Simplicius uno loco (f. 31 A.) vitiose: μόνος δέ τι μ. ὁδ. λείπεται. Sextus vero: μόνος δέ τι θυμὸς ὁδ. λείπ. ubi Fabricius pro τι correxit γε, reliquit θυμὸς, quod manifesto e v. μῦθος litterarum confusione natum, sicut modo vs. 53 θεὸς vidimus pro ἔθος. Fefellit tamen hoc et frustra exercuit viros doctos, qui non viderunt, haec Sexti verba eadem esse quae apud Simplicium leguntur; mecum consentire video Scaligerum in ms. Leyd. Constructio est: μόνος δ' ἔτι λείπεται ὁ μῦθος τῆς ὁδοῦ ταύτης, ὡς ἔστι. Sic vs. 35: ἡ μὲν (ὁδὸς) ὅπως ἔστι.

Vs. 57 sqq. ταύτῃ δ' ἐπὶ σήματ') Deinceps notas indicat, quibus entis speciem informat. σήματα, vulgari consuetudine, σημεῖα, τεκμήρια. Multum autem in his variant scriptores:

vs. 58 Simplicius uno loco (f. 17 A.) ὡς.. ἀνώλεθρον ὂν ἐστιν, quod respuit ipsum metrum; maior est discrepantia in vs. 59, ubi Simplicius τε post μουνογενὲς nunc addit, nunc omittit; omittit Philoponus; pro ἀτέλεστον Simplicius semel (f. 17 A.) ἀτέλευτον, quod eodem redit; alibi (f. 26 A.) ἀγένητον, quo tamen loco Parmenidis verba non accurate refert, sed tantum perstringit, dicens: ἔστι γὰρ οὖλον μουνόγ. τε καὶ ἀτρ. ἠδ' ἀγένητον καὶ ἀκίνητον καὶ ἀΐδιον καὶ ἀδιαίρετον καὶ μυρία ἄλλα. similiter de coelo III, quae emendata dedit Peyronus l. l. p. 55; eodemque modo Philoponus, Clemens, Plutarchus adv. Colot. qui versum sic citat:

ἔστι γὰρ οὐλομενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀγένητον.

οὐλομενὲς vel confusis litteris natum ex οὖλον μουνογενὲς, vel mutandum in οὐλομελές, glossema, quod Plutarcho memoriter haec referenti facile subrepere potuit; usurpat hoc vocabulum Simplicius Phys. f. 29 B: τὸ ὄν... ὁλομελὲς εἶναι, πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ, μεσσόθεν ἰσοπαλές (vs. 102.), quod idem alibi ὁλοτελές, ὁλόκληρον vocat. Eusebius e Plutarchi Stromatis versum sic refert: εἶναι γὰρ αὐτὸ μόνον μουνογενές τε καὶ.... ἀγένητον. Idem alibi e Clemente ita legit: μοῦνον μουνογενὲς δὲ κτλ. Hic utroque loco praebat μοῦνον seu μόνον, quod tamen non illis, quos nominat auctores, sed ipsi Eusebio tribuendum. Similiter Theodoretus: μοῦνον ... ἀγένητον, qui tamen ipse fatetur se Parmenidis versum fama tantum referre. Apparet ex his, lectionem μοῦνον pro οὖλον nulla probabili auctoritate niti; de altera autem, utrum ἀτέλεστον an ἀγένητον sit legendum, dubios esse testes. Videamus singulorum deinceps verborum significationem.

Vs. 58. ἀγένητον . . ἀνώλεθρον, ut praecipua, primo loco ponit, et ad eadem saepius revertitur, ut vs. 82: ἐστὶν ἄναρχον, ἄπαυστον. His caetera subjiciuntur.

Vs. 59. οὖλον, h. e. *integrum*, omnibus numeris completum et absolutum. Notionem hanc vidimus jam apud Xenophanem, fragm. II, p. 35. Hinc quod etiam apud Platonem in

Eleaticis quaestionibus (Soph. Parm. al.), τὸ ὅλον quid sit, disceptatur; eodem fere valet quod statim dicit: νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν. et vs. 107: πᾶν ἐστιν ἔμπλεον. Simplicius Phys. f. 31 A ὁλόκληρον interpretatur. Eleaticam dictionem imitatur Damascius in Parmen. (cit. a Jo. Camotio in Theophr. Metaph. f. 100 B.): ὁ μὲν νοητὸς κόσμος ἀδιαίρετός ἐστιν (Parmenides vs. 77.), μόνος ὁλοτελής, ἐν τῷ μένειν ἔχον τὸ εἶναι (vs. 84).

μουνογενές, dicitur vulgo de *prole*. Hesiodus Ἔργ. 376: μουνογενὴς δὲ παῖς σώζοι πατρώιον οἶκον. Orph. hymn. 28, 2, Περσεφόνη dicitur μουνογένεια θεά. A progenie ad *stirpem* quoque translatum ab Euripide, Helen. 1701: γεγῶτ' ἀδελφῆς μονογενοῦς ἀφ' αἵματος. De *mundo* dicit Plato Tim. p. 31 B: εἷς ὅδε μονογενὴς οὐρανὸς γεγονὼς ἔστι τε καὶ ἔσεται. quod cum Parmenidis dicto solet comparari. Sed Plato vocabulum proprio sensu posuit, siquidem mundum generatum facit a Deo, quemadmodum etiam Cicero Univ. c. 4, expressit: *mundum singularem et unigenam procreavit*. Parmenides ab usitata significatione recessit, siquidem in ens nulla cadit generatio; sed significat esse illud *unum* et *simplex* (μόνον), sicut de mente dicit Anaxagoras: ὁ νοῦς μόνος αὐτὸς ἐφ' ἑωυτοῦ ἐστιν. (fragm. ed. Schaubach. p. 110.) Plato de idea, Symp. p. 211 B: αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν. Quod idem usurpat Proclus in Alcibiad. I. p. 21, 103. Creuz. Eandem fere notionem Parmenides vs. 84 exprimit his verbis:

ταὐτόν τ' ἐν ταὐτῷ τε μένον καθ' ἑωυτό τε κεῖται.

Proclus, ut solet, Platonem, Parmenidem, Orpheum in interpretando confundit, et omnes in suam torquet sententiam, in Parm. T. IV, p. 120. et in Tim. p. 139. Priore loco haec dicit: ὥσπερ αὐτὸς ὁ θειότατος Πλάτων οἶδε μὲν πολλὰ ζῶα νοητά, πάντων δὲ ἕνωσιν καὶ περιοχὴν ἄληπτον πᾶσι περὶ τὸ αὐτοζῶον ὑποτίθεται καὶ μοναδικὸν ἐκεῖνο καὶ μονογενὲς ὄν,.... οὕτω δὴ καὶ ὁ Παρμενίδης ἐκ τε τοῦ ἑνὸς ὄντος οἶδε τὸ πλῆθος τὸ νοητὸν προϊὸν καὶ πρὸ τῶν πολλῶν ὄντων τὸ ὂν ἓν ἱδρύμενον, περὶ ὃ τὸ τῶν νοητῶν πλῆθος τὴν ἕνωσιν ἔχειν. Altero loco: τὸ

μὲν μονογενὲς τὴν μοναδικὴν αἰτίαν ἀπεικονίζεται καὶ τὴν πάντων περιεκτικὴν τῶν δευτέρων καὶ τῶν ὅλων ἐπικρατοῦσαν οὐσίαν ἐνδείκνυται. καὶ γὰρ ὁ θεόλογος τὴν Κόρην μονογένειαν εἴωθε προςαγορεύειν, ὡς τῶν ἐγκοσμίων ἁπάντων ἡγεμονικῶς προϊσταμένην. Brandisius, a quo nonnulla hic mutuatus sum, affert etiam Suidam, qui *μονογενῆ* interpretatur *τὴν μονότητα* (*solitatem*), citans Davidem Psalm. XXI, 21: *ἐκ χειρὸς κυνὸς τὴν μονογενῆ μου.* Sed haec interpretatio parum luculenta est; certe ad Parmenidem illustrandum nihil facit. Bessarion *οὖλον μουνογενές τε* reddens uno verbo *unigenum*, legisse videtur *μοῦνον μουνογενές τε.*

ἀτρεμές, i. q. *ἀκίνητον*, vss. 81, 97. Simonides in carm. *περὶ γυναικῶν* vs. 37: *ὥσπερ θάλασσα πολλάκις μὲν ἀτρεμὴς ἕστηκ᾽ ἀπήμων.* Plato, de coelesti beatorum spectaculo loquens, Phaedr. p. 250 C: *εἶδόν τε καὶ ἐτελεσοῦντο τελετῶν ἣν θέμις λέγειν μακαριωτάτην,... ὁλοκλήροι μὲν αὐτοὶ ὄντες καὶ ἀπαθεῖς κακῶν,... ὁλόκληρα δὲ καὶ ἁπλᾶ καὶ ἀτρεμῆ καὶ εὐδαίμονα φάσματα μυούμενοί τε καὶ ἐποπτεύοντες.* Male interpretatur Astius ad h. l. Comment. p. 317; recte vero Hermias p. 158: *διὰ δὲ τοῦ ἀτρεμῆ τὸ ἑδραῖον καὶ τὸ σταθερὸν τῶν νοητῶν ἐνδείκνυται.* Frequentius hoc vocabulo usi sunt Platonici, quo vel tranquillam immotamque animi conditionem, vel immutabilem rerum divinarum statum significarent. Plotinus de Pulcr. p. 54 A: *θεάσησθε μέγεθος ψυχῆς καὶ ἦθος δίκαιον... καὶ σεμνότητα καὶ αἰδῶ ἐπιθέουσαν ἐν ἀτρεμεῖ καὶ ἀκύμονι καὶ ἀπαθεῖ διαθέσει.* Idem de homine ad divinum consortium evecto, p. 770 B: *ἡσυχῇ ἐν ἐρήμῳ καταστάσει γεγένηται ἀτρεμεῖ τῇ αὐτοῦ οὐσίᾳ οὐδαμοῦ ἀποκλίνων.* Vid. Creuzer. ad Plotin. de pulcr. p. 230; et superius ad vs. 29. Vocabulum hoc, si non origine, certe significatione convenit cum *ἠρεμής*, Dorice *ἀρεμής*; et utrumque verbum *ἠρεμεῖν* et *ἀτρεμεῖν* promiscue ponitur in Aristotelico libro, de Xen. Zen. Gorg. c. 3, ubi tamen illud, ut usitatius, praeferendum duximus, in Xenoph. p. 105.

ἀτέλεστον. Multi, ut vidimus, *ἀγένητον* legunt; sed hoc, quum modo jam habuimus, repetitum friget, ne dicam,

ineptum est. Habet praeterea minus auctoritatis, quia scriptores, qui istud praebent, verba haec seorsim memorant, Simplicius vero, qui cunctos illos versus ordine refert, *ἀτέλεστον* legit. Atque haec lectio sententiae maxime conveniens est. Nam quod neque natum est neque moriturum (*ἀγένητον καὶ ἀνώλεθρον*), nullis terminatur finibus, estque adeo *immensum*, *sine fine perenne* (*ἀτέλεστον*). Hoc sensu Parmenidis sententiam interpretatur Simplicius Phys. f. 7 A, ubi hunc cum Melisso comparans dicit: (*Μέλισσος*) *εἰς τὸ κατὰ χρόνον ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον καὶ ἀεὶ ὂν ἀπιδὼν, ἄπειρον ἀπεφήνατο. καὶ ὁ Παρμενίδης τοιοῦτον αὐτῷ μαρτυρεῖ* (i. e. *συμφωνεῖ*), *λέγων δι' αὐτῶν σχέδον τῶν ῥημάτων, ὡς ἀγένητον ἐὸν — ἠδ' ἀτέλεστον κτλ. οὕτω μὲν οὖν καὶ οὗτος ὡς ἀνέκλειπτον καὶ ὡς ἀγένητον καὶ ἄπειρον εἶναί φησι.* Ait ergo Parmenidem Melisso consentientem *ἀτέλεστον* appellare idem, quod alter *ἄπειρον* vocat. At Brandisio incommodum videtur, *ἀτέλεστον* sive *ἄπειρον* dici Parmenidis ens, quod contra ille plerorumque testimonio ens *πεπερασμένον* seu *τετελεσμένον* statuit, cui illud est repugnans; quocirca pro *ἠδ' ἀτέλ.* potius legendum esse *οὐδ' ἀτέλεστον*. At particulam *οὐδὲ* non fert h. l. structurae ratio; legendum esset saltem *ἠδὲ τελεστόν*, modo hoc vocabulum veteribus esset usitatum. Verum ambae illae notiones *ἀτέλεστον* et *πεπερασμένον*, quae inter se repugnare videntur Brandisio, revera non sunt contrariae; *infinitum* appellatur ens, quatenus est aeternum; *finitum* vero, quatenus absolutum et perfectum. Amplius de hoc in dissertat. § 11. Illud potius molestum videatur quod, quum modo jam *ἀγένητον* et *ἀνώλεθρον* praedicavit, *ἀτέλεστον* fere supervacuum sit; quamobrem praeferrem equidem, si legeretur *ἀτρεμὲς ἠδ' ἀμέριστον*, quod idem vs. 77, 81, *ἀδιαίρετον* et *ἀκίνητον*; sed Simplicii auctoritas vix sinit pro arbitrio quid mutare.

Vs. 60. *οὔ ποτ' ἔην — νῦν ἔστι*) *οὔποτ' ἔην* scripsi pro *οὐδέ ποτ' ἦν*, ut Simplicius legit. Ammonius versum hunc sic refert:

οὐ γὰρ ἔην οὐδ' ἔσται (*φησι*) *ὁμοῦ πᾶν ἔστι δὲ μοῦνον.*

Similiter hujus discipulus Jo. Philoponus, qui a magistro depromsit. Ammonium autem, memoriter haec referentem, ultima verba confudisse, ipsa eorum constructio et sensus satis arguit; quare nulla est caussa cur cum Brandisio opinemur, versum quem isti citant non eundem esse atque eum quem vulgo hic legimus, sed ex alia carminis parte excerptum.

Parmenideam hanc notionem ad aeternam essentiam transfert Plato Tim. p. 37 E: *τό τε ἦν τό τε ἔσται χρόνου γεγονότα εἴδη ἀναφέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, οὐκ ὀρθῶς· λέγομεν γὰρ ὡς ἦν, ἔστι τε καὶ ἔσται, τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προςήκει· τὸ δὲ ἦν καὶ ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι.* quae Platonis dicta cum Parmenidis verbis jam comparavit Simplicius Phys. f. 17 A. Idem Phaedon. p. 75 D de rebus aeternis dicit: *ἁπάντων οἷς ἐπισφραγιζόμεθα τοῦτο ὃ ἔστι.* p. 92 D: *ὥσπερ αὐτῆς ἐστιν ἡ οὐσία ἔχουσα τὴν ἐπωνυμίαν τὴν τοῦ ὃ ἔστιν.* Cf. Wyttenb. Annot. in Phaedon. p. 187. Ad Deos transferunt Neo-Platonici, ut Ammonius Herm. in Aristot. de interpret. p. 38; quem citabimus in dissert. de Parm. phil. § 16. Eodem valet quod dicit vs. 75: *εἴ γε γένοιτ', οὐκ ἔστ'* — ubi cf. annotat.

Vs. 60. sq. *ὁμοῦ πᾶν, ἓν ξυνεχές.*) Cf. vs. 80: *ξυνεχὲς πᾶν ἐστίν, ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει.* — *τῷ ὁμοῦ πᾶν* et *ξυνεχὲς* oppositum *τὸ διαιρετόν*, quod tangit vs. 77. Aliter has notiones seu categorias intellexerunt seriores; de quo monebimus in dissert. § 8 sq. — *ὁμοῦ πᾶν*, quod Parmenides de ente, Anaxagoras de mundo dicit: *ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν* (fr. 1. Schaub.). *ὥσπερ περὶ ἀρχὴν, εἶναι καὶ νῦν παντὰ ὁμοῦ* (fr. 12.). Parmenidis dicta usurpat Plotinus Enn. VI, 4, 4. p. 648 A: *ὁμοῦ γὰρ τὸ ὄν, . . . ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει καὶ πᾶν ὁμοῦ.* Imitatur Jamblichus Myst. Aegypt. sect. 1, c. 9, de Deo loquens: *τῶν θεῶν τὸ φῶς ἐκλάμπει χωρίστως ἐν ἑαυτῷ τε μονίμως ἱδρυμένον* (vs. 84), *προχωρεῖ διὰ τῶν ὄντων ὅλως· καὶ μὴν τό γε φῶς τὸ ὁρώμενον ἕν ἐστι συνεχὲς, πανταχοῦ τὸ αὐτὸ* (vs. 77-80.),

ὅ λ ο ν, ὥστε μὴ οἷόν τ' εἶναι χ ω ρ ὶ ς ἀ π ο τ έ μ ν ε σ θ α ι (vs. 90.) *τι αὐτοῦ μόριον.*

Vs. 61 sqq. *τίνα γὰρ γέννην κτλ.*) His demonstrare incipit, ens esse ingenitum. Simplicius uno loco Phys. f. 31 A, *γένναν* pro *γέννην*. similiter de Coelo l. c. ubi quoque vs. 63 sic legitur: *φάσθαι δὲ οὐδὲν νοεῖν, οὐδὲ γὰρ φατὸν κτλ.* Comparentur quae Empedocles vs. 64 sq. de mundo praedicat:

τοῦτο δ' ἐπαυξήσειε τὸ πᾶν τί κε καὶ πόθεν ἐλθόν;
πῇ δέ κε καὶ ἀπόλοιτο; ἐπεὶ τῶνδ' οὐδὲν ἔρημον,
ἀλλ' αὔτ' ἐστί γε ταῦτα.

Similiter plerique deinceps physici statuere, *nihil posse creari de nihilo, neque quod genitum est ad nihilum revocari;* ut ait Lucretius I, 544.

Vs. 64. *τί δ' ἄν μιν καὶ χρέος*) Simplicius f. 34 B verba sic explicat: *τὴν δ' α ἰ τ ί α ν τοῦ δεῖν πάντως ἐξ ὄντος γίγνεσθαι τὸ γιγνόμενον θαυμαστῶς ὁ Παρμενίδης προςέθηκεν· ὅλως γάρ φησιν· εἰ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, τίς ἡ ἀ π ο κ λ ή ρ ω σ ι ς τοῦ τότε γενέσθαι ὅτε ἐγένετο, ἀλλὰ μὴ πρότερον ἢ ὕστερον;* Recte *χρέος* interpretatur *ἀποκλήρωσιν* et *αἰτίαν*, *vim fatalem, naturalem caussam*. Simili, etsi non eadem prorsus, significatione obvium est in Euripid. Herc. Fur. vs. 529; idemque vocabulum in Andromache vs. 336, jure tuetur Lenting. Parmenides, demonstrato e n s non potuisse e n o n e n t e tanquam materie procreari, jam ostendit e n s non potuisse post n o n e n s aliquando exsistere; quoniam, si prius exstitisset n o n e n s, nulla vis neque caussa posset esse vel cogitari, quae e n s protulisset.

ἀρξάμενον φῦναι.) Sic constanter Simplicius. Fuellebornius ait versum esse hypercalecticum, istis (ut dicit) poëtis non infrequentem. Brandisius in metrum redigere conatus, rescripsit scilicet *μηδὲν* pro *μηδενός*. Fuell. autem vellem indicasset, apud quos tandem epicos poëtas hujusmodi versus hypercatalecticus reperiatur, qui mihi quidem plane ignotus est. Credo eum fortasse hunc versum confudisse cum versu dactylico acatalecto, qualis est hic Sophoclis Electr. 134:

ἀλλ' ὦ παντοίας φιλότητος ἀμειβόμεναι χάριν,

cujus ultimus pes est dactylus (de quo genere Hermann. Doctr. metr. II, 25. p. 325. Boeckh. de metr. Pindar. I, 11. p. 69 sq); vel cum heroïco Archilochio, qui tribus ultimis trochaeis clauditur (de quo vid. Liebel. Archilochi rell. § XI, n. 21. p. 30 sq.); vel denique cum versibus illis heroicis, quorum ultima syllaba cum initiali sequentis versus contrahitur, cujusmodi est hic Virgilii, Georg. I, 295:

aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem
et foliis undam tepidi despumat aheni.

vid. Herman. l. l. p. 351. Hîc autem *φῦναι* cum sq. *οὕτως* contrahi posse, quis credat? Ipsa quoque locutio *ἀρξάμενον φῦναι* parum mihi placet; miror ni Parmenides pro hoc scripserit *αὐξηθῆναι*, verbum usitatum et metro pariter sensuique conveniens, cujus illud nil nisi glossema videtur. *αὐξηθῆναι*, oppositum *τῷ φθαρῆναι*, habuimus modo vs. 62: *πῆ πόθεν αὐξηθέν;* Empedocl. 64: *τοῦτο δ' ἐπαυξήσειε τὸ πᾶν τί κε καὶ πόθεν ἐλθόν;* Aristot. Meteor. II, 2. p. 428 A: *φάσκουσι τὸ πρῶτον ὑγρᾶς οὔσης τῆς γῆς ... ἀέρα γενέσθαι καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν αὐξηθῆναι.* — In vs. sequenti *οὐκί* Ionice scripsi pro *οὐχί*, similiter vs. 99.

Vs. 67. *οὐδέ ποτ' ἐκ τοῦ ἐόντος)* Sic correxi, duce Brandisio, qui legi vult *οὐδ. ἔκ γε τοῦ ὄντος;* apud Simplicium constanter legitur *οὐδ. ἐκ γε μὴ ὄντος* vel *μὴ ἐόντος*. At ex non ente seu nihilo nihil posse generari, modo jam docuit; nunc ostendi debet ex ente non posse aliud quam ens generari. In hanc sententiam Parmenidis dicta interpretatur ipse Simplicius, ita hos versus explanans, Phys. f. 17 A: *ταῦτα δὴ περὶ τοῦ κυρίως ὄντος λέγων, ἐναργῶς ἀποδείκνυσιν ὅτι ἀγένητον τοῦτο τὸ ὄν· οὔτε γὰρ ἐξ ὄντος (γενέσθαι),... οὐ γὰρ προϋπῆρχεν ἄλλο ὄν· οὔτε ἐκ μὴ ὄντος,... οὐ γὰρ ἔστι τὸ μὴ ὄν.* item f. 34 B: *Παρμενίδης ὅτι ἀγένητον τὸ ὄντως ὂν ἔδειξεν ἐκ τοῦ μήτε ἐκ τοῦ ὄντος γίνεσθαι, μήτε ἐκ τοῦ μὴ ὄντος.* Haec diligenter legenti apparebit Simplicii interpretationem lectioni ejus repugnare. Praeterea quid hoc sibi vellet: *non ens*

nihil nisi non ens posse generare? quum videlicet non ens plane nihil sit, neque illud generari magis quam generare quid possit. Contra, *ex ente nihil aliud* παρ' αὐτὸ, i. e. *quam ens, posse procreari, neque adeo in non ens posse converti*, justa argumentatio est; unde sequitur, illud esse semper et immortale. Eadem argumentatione utitur Melissus apud Simplicium Phys. f. 22 B, qua probet ens esse immobile: τὸ ἐὸν οὔτ' εἰς ἐὸν δύναται κινέεσθαι, οὐ γὰρ ἔστι τι παρ' αὐτό, ... οὔτε εἰς τὸ μὴ ἐόν, οὐ γὰρ ἔστι τὸ μὴ ἐόν. — vs. 68. γίγνεσθαι ... γενέσθαι, sic Simplicius f. 31 A; alibi (f. 17 A) utroque loco γενέσθαι.

Vs. 69. δίκη χαλάσασα πέδῃσιν) Eodem sensu, quo hic δίκη, alibi ἀνάγκη, alibi μοῖρα memorantur. Cf. vs. 85: κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει. vs. 96: ἐπεὶ τόγε μοῖρ' ἐπέδησεν οἶον ἀκίνητον τελέθειν. Apparet, Parmenidem haec quasi numina non certa ratione distinguere, sed pro lubitu variare. Vincula et compedes sunt firmitatis et necessitatis symbola; Fuelleborn. citat Orph. hymn. 12 (13), 4; 84 (85), 4. Cf. ad vs. 81.

Vs. 70. ἡ δὲ κρίσις — ἐστίν.) Haec verba, quae inserta sunt apud Simplicium f. 31 B, omissa erant ab interpretibus. Fuellebornius ea notavit quidem, putabat vero non esse Parmenidis, sed a Simplicio interposita. Nempe non animadvertit, et metro congruere haec verba, et Simplicium Parmenidis versus continuo ordine referre, de suo nullum verbum interponere. Brandisius ea plane omisit, et argumentationem abrupit interpositis versibus, quos collocavimus 89–92 (Λεῦσσε δ' .... συνιστάμενον.) Restitutis suo loco his verbis, lacunam reparavimus, sicut ante nos fecit etiam Scaliger in ms. Leyd. Sensus manifestus est: in hoc dilemmate, est vel non est, judicii summa de entis aeternitate posita est. κρίσις, i. q. ἔλεγχος. Melissus in Simplicii Phys. I f. 24 (§ 14 Brand.): κρίσιν δὲ ταύτην χρὴ ποιήσασθαι τοῦ πλέω καὶ τοῦ μὴ πλέω. — ἐν τῷδ', ut vs. 109: ἐν τῷ. vs. 110: ἀπὸ τοῦδε.

Vs. 72 sq. τὴν μὲν — τὴν δ' ὥστε π.) h. e. τὴν μὲν ὁδὸν ὡς οὐκ

ἔστι, — τὴν δ' ὡς ἔστι. Notandum hîc τὴν μὲν ad posterius, τὴν δὲ ad superius referri, quod interdum fit; vid. Aristot. Metaph. I, 5. (p. 16 Brand.); Poët. c. 2 fin. c. 5 fin. c. 11 init. Herodot. II, 11. med. Xenoph. Oecon. I, 16. quae exempla citant Petersen Philos. Chrysipp. p. 72, et Prahm. in Annal. philol. ed. Jahn. XII, 3, p. 317. — ἀνόητον non dubitavi scribere pro vulgato ἀνόνητον, quod jam Brandisio corrigendum videbatur; cf. vs. 63: οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν ἐστιν ὅπως οὐκ ἔστι. vs. 39: οὔτε γὰρ ἂν γνοίης τό γε μὴ ἐόν, ... οὔτε φράσαις. In verbis τὴν δ' ὥστε πέλειν, nisi quid vitii lateat, certe constructionis anacoluthia inest: nam, quum praecessit τὴν μὲν ἐᾶν ἀνόητον (εἶναι), sequi oportebat τὴν δὲ φάναι ἐτήτυμον εἶναι; nunc variatur constructio, adhibita particula ὥστε. Quodsi hoc ferri potest, offendit tamen repetitio verborum idem significantium, πέλεναι καὶ ἐτήτυμον εἶναι. Quare mihi quidem corrigendum videtur sic: τὴν δ' ὡς πέλεναι, πανετήτυμον εἶναι, pro τὴν δ' ὡς πέλει sive ὡς ἔστι, ut supra dicit vs. 35 et 37; hic autem infinitivus πέλεναι ponitur, quia cum verbo infinito τὴν δ' ... εἶναι construitur.

Vs. 74. πῶς δ' ἂν ἔπειτα πέλοι τὸ ἐόν) Haec verba mihi quondam depravata erant visa, ét unius literulae ε in ο mutatione sic corrigenda: πῶς δ' ἂν ἔπειτ' ἀπόλοιτο ἐόν. Congruum hoc ei quod modo dixit: οὔτε γενέσθαι οὔτ' ὄλλυσθαι ἀνῆκε δίκη. et quod statim sequitur: τῶς γένεσις μὲν ἀπέσβεσται καὶ ἄπιστος ὄλεθρος. Sed denuo consideranti videtur huic versui respondere versus sequens et verba ἔπειτα πέλοι congruere verbis μέλλει ἔσεσθαι. Itaque haec est sententia: »Quomodo fieri possit, ut ens vel postea futurum sit vel olim fuerit? nam neque si fuerit, est, neque si futurum sit." ἔπειτα πέλειν et μέλλειν ἔσεσθαι accipiend. de nascituro, eo quod nondum est; γενέσθαι de mortuo, quod fuit nec amplius est; similiter γενέσθαι et ἔσεσθαι opponuntur in locis Platonis et Archytae quos statim adscribemús. — τὸ ἐόν, idem hiatus est vs. 87; rem tetigi supra ad vs. 38. — εἴ γε γένοιτ' .... εἰ μέλλει, notetur modorum

variatio; grammatica ratio postularet sic scribi: εἰ γένοιτο, οὐκ ἂν εἴη, οὐδὲ εἰ μέλλοι ἔσεσθαι. Sed εἴη fuisset obscurius; et εἰ μέλλοι soloecum, judice Heindorfio ad Platon. Parm. § 71. Vid. de hujusmodi modorum variatione Bernhardij, Syntax. Ling. Gr. p. 386 sq.

Caeterum cum hac Parmenidis sententia comparandi philosophorum loci, quos citat Brandisius, quibus docetur, id quod revera e s t nulli temporis vicissitudini esse obnoxium, et contra, id quod tempore labitur non esse revera. Plato Tim. p. 37 E, post ea quae modo ad vs. 60 contuli, haec addit: τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως οὔτε πρεσβύτερον οὔτε νεώτερον προςήκει γίγνεσθαι διὰ χρόνον, οὐδὲ γενέσθαι ποτὲ, οὐδὲ γεγονέναι νῦν, οὐδ' εἰςαῦθις ἔσεσθαι. Archytas de Universo, in Simplicii phys. IV, p. 186 B: τῷ δὲ χρόνῳ τὰ μὲν γενόμενα ἔφθαρται, τὰ δὲ γενασόμενα φθαρήσεται, διόπερ ὁ χρόνος ἤτοι τὸ πάραπαν οὐκ ἔντι ἢ ἀμυδρῶς καὶ μόλις ἔντι· ᾧ γὰρ τὸ μὲν παρεληλυθὸς οὐκέτι ἔντι, τὸ δὲ μέλλον οὐδέπω ἔντι, τὸ δὲ νῦν ἀμερὲς καὶ ἀδιαίρετον, ... πῶς ἂν ὑπάρχοι τοῦτο κατ' ἀλάθειαν; Ocellus Lucanus de Universo, init. εἰ γὰρ ἔγχρονον, οὐκ ἂν ἔτι ἦν· οὕτως οὖν ἀγένητον τὸ πᾶν καὶ ἀνώλεθρον.

Vs. 76. ἀπέσβεσται, pro ἀπέσβηται, e Simplicii codice Taur. dedit Peyronus; sed quod in eodem codice legitur ἄπυστος (unus ἄπαυστος), falsum est; ἄπιστος a Parmenide dicitur γένεσις et ὄλεθρος, quia in his non est πίστις ἀληθὴς sed ἀπάτη, ut dicit vs. 82, 83. In Ald. ed. de Coelo pro ἄπιστος ὄλεθρος legitur δακνηρ' ἀπωλεία, quod haud dubio ex aliquo poëta ab interprete expressum.

Vs. 77. οὐδὲ διαιρετόν.) Ita bis apud Simplicium (f. 31 A et B.); uno vero loco (f. 19 A.) καὶ ἀδιαίρετον, ubi tamen Parmenidis sententias non nisi summatim refert. Comparandus est Damascii locus quem citavimus ad vs. 59.

ὁμοῖον, *uniforme*, οὗ ἡ ποιότης μία, ut definit Aristoteles Metaph. IV, 9. p. 681 A. (101. Brand.). Hoc spectat Plutarchus adv. Colot. p. 1114, Parmenideum ens appellans ὅμοιον ἑαυτῷ. Simili-

ter Melissus apud Simpl. Phys. f. 22 B: τὸ γὰρ ἓν ἐὸν ὅμοιον ἀεὶ ἑωυτῷ· τὸ δὲ ὅμοιον οὔτ' ἂν ἀπόλοιτο, οὔτ' ἂν μεῖζον γίγνοιτο, οὔτε μετακοσμέοιτο, οὔτε ἀλγέει, οὔτε ἀνιῆται. Simili sensu vs. 108: πάντοθεν ἶσον ὁμῶς ἐν πείρασι κυρεῖ. Tetigi hoc in Xenophane, p. 101 et 118 sq.

Vs. 78. sq. οὐδέ τι τῇ μᾶλλον — οὐδέ τι χειρότερον.) His vss. entis aequalitatem amplius explicat, docens nullam in eo esse diversitatem naturae, nullum partium discrimen. Verborum constructio non bene cohaeret; vel primum τῇ vitiosum est, vel in sequenti versu pro οὐδὲ postulatur iterum τῇ, quod praecedenti respondeat, quasi hoc modo: οὐδέ τι τῇ μᾶλλον — τῇ δ' αὖ χειρότερον. Sic vs. 104: τῇ ἢ τῇ. vs. 107: τῇ μᾶλλον, τῇ δ' ἧσσον. Mallem tamen, deleto τῇ, sic corrigi: οὐδέ τι μᾶλλον ἐὸν — οὐδέ τι χειρότερον. Nam τῇ prorsus supervacaneum est, quum τὶ — τὶ manifesto sibi sint opposita; μᾶλλον autem, ut adverbium, optime adjunctum habet participium ἐόν; alioquin adjectivo χειρότερον minus recte opponitur. Comparentur autem vss. 103 sq.

οὔτε τι μεῖζον,
οὔτε τι βαιότερον πέλεναι χρεών ἐστι τῇ ἢ τῇ.

Empedocles vs. 133, de universo loquens:

οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει οὐδὲ περισσόν.

Parmenidis hoc dictum spectat Proclus Theol. Plat. V, 33. p. 319, quod ad mentem transfert: εἴ που τινες ἡμῖν τῶν παλαιῶν τὸ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἐπὶ τοῦ νοῦ θεωροῦσι, τὸ μηδὲν αὐτὸν (τὸν νοῦν) ἀπὸ τῶν καταδεεστέρων εἰς ἑαυτὸν χωρεῖν, μηδὲ ἀναμίγνυσθαι τοῖς χείροσιν, κτλ. Ens, quod semetipso contentum est, nullo alio tangi nec affici, etiam Plato dicit, Parm. p. 148 E: ᾗ δὲ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ (ἐστι), τῶν μὲν ἄλλων ἀπείργοιτο ἅπτεσθαι, αὐτὸ δὲ αὑτοῦ ἅπτοιτ' ἂν ἐν ἑαυτῷ ὄν.

Vs. 79. πᾶν δὲ πλέον) Simplicius πλεών. Idem significat quod πᾶν ὁμοῖον et ἓν ξυνεχές. Similiter vs. 106: οὔτ' ἐὸν ἐστιν ὅπως εἴη κενεὸν ἐόντος. Melissus l. l. εἰ οὖν ἔστι μὴ κενεόν, ἀνάγκη πλῆρες εἶναι. Imitatur Simplicius de An. III, f. 72 B:

ὥσπερ τοῖς νοητοῖς οὐδαμῇ φησιν ὁ Παρμενίδης τὸ μὴ ὂν ἐνθεωρεῖσθαι, οὕτω καὶ ἡ οὐσία τῆς ψύχης καὶ ἡ κατὰ τὴν οὐσίαν ἱσταμένη ἐνεργεία, πληρὴς οὖσα ἑαυτῆς, τῷ μὴ ὄντι χώραν οὐ δίδωσι.

Vs. 80. ξυνεχές. Ita bis scribitur apud Simplicium (f. 19 et 31); etsi apud eundem vs. 61 συνεχές, et vs. 78 συνέχεσθαι scribitur, quae correxi; priores editores ubique vulgarant συνέχ. Pro πελάζει Proclus vitiose πελάξαι. Sensus hujus dicti explicatur vss. 90 sq. ubi docet, ens nec secerni posse nec dissipari rursusve in unum congregari, οὔτε σκιδνάμενον.... οὔτε συνιστάμενον.

Vs. 81 sq. αὐτὰρ ἀκίνητον.) Sequitur, ens esse immobile; argumentum hoc cum antecedenti connexum est, quod indicat particula αὐτάρ. Nam quum ens sit unum et se ipso contentum, individuum atque cohaerens, sequitur ut moveri nequeat; quod expresse arguit Melissus apud Simplic. f. 24 A: εἰ διῄρηται τὸ ἐὸν, κινέεται· κινεόμενον δὲ, οὐκ ἂν εἴη ἅμα (i. q. ὁμοῦ sive ξυνεχές). Eleaticorum hanc argumentationem sic concludit Alexander Aphrodisius apud Simplic. Phys. f. 17 AB: ἀκίνητον δεικνύουσι τὸ ὄν, διότι τὸ κινούμενον ἐξίστασθαι δοκεῖ τούτου ἐν ᾧ ἔστιν· εἰ οὖν καὶ τὸ ὂν κινοῖτο, ἐκσταίη ἂν τούτου ἐν ᾧ ἔστι, ἔστι δὲ ἐν τῷ εἶναι· τὸ δὲ ἐξιστάμενον τοῦ εἶναι φθείρεται, ἄφθαρτον δὲ τὸ ὄν. Conclusio haec, si non ipsis verbis, sententiae tamen Parmenidis respondet. Multa super hoc placito veteres disceptarunt, de quo monebimus in dissert. § 9; hic notemus, ἀκίνητον a Parmenide appellari praesertim ratione formae et statûs, id. q. ἀμετάβλητον, quod est semper idem, constans, aeternum.

μεγάλων ἐν πείρασι δεσμῶν) πείρατα et δεσμὰ interdum quidem synonyma sunt, velut in Homer. hymn. Apoll. 129:

οὐδ' ἔτι δεσμά σ' ἔρυκε, λύοντο δὲ πείρατα πάντα.

vid. Apollon. Lex. in v. et ibi Tollius; neque tamen ambo vocabula idem prorsus notant. πείρατα sunt *termini*, praesertim fato et natura constituti; saepe vox per circumlocutionem ponitur ad rei fines et ambitum, h. e. rem ipsam, naturalem

rei conditionem, fatalem sortem, significandum. Exempla illustrabunt. Sic Homerus Il. η, 102, et ex eo Archilochus:

νίκης πείρατ' ἔχονται ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.

νίκης πείρατα, *victoriae sors*. Cf. Heyne ad Il. VI, 143; VII, 102; Pindar. Olymp. II, 34: κέκριται πεῖρας οὔτι θανάτου. Meleager XXI, 8, de Jove loquens: ἐν σοὶ καὶ ζωῆς πείρατα καὶ θανάτου. Itaque hic πείρατα δεσμῶν sunt δεσμὰ ἄλυτα, *fatalia vincula*; dicuntur μεγάλα, h. e. κρατερά, ob necessitatis potentiam. Significat Parmenides certam necessitatis legem, quae id quod per se est non fluxarum rerum instar mutari et labi sinit, sed constans et immotum manere cogit. Idem vs. 108 simpliciter dicit: ἐν πείρασι κυρεῖ. et clarius, inversis verbis, vs. 86: κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη π ε ί ρ α τ ο ς ἐ ν δεσμοῖσιν ἔχει. Perperam nonnulli πεπερασμένον intellexerunt certis spatii finibus circumscriptum. Eleaticam dictionem refert Proclus Theol. Plat. VI, 4, p. 351 sq. de mundo haec dicens: ἀεὶ μὲν ὁ κόσμος ἐνίδρυται ταῖς οἰκείαις ἀρχαῖς, μ έ ν ε ι δὲ ἄ τ ρ ε π τ ο ς ἡ περιφορά, συνέχεται δὲ τ ο ῖ ς ἀ λ ύ τ ο ι ς δεσμοῖς τὸ πᾶν, ... τοῖς ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἑστῶσι ὁμοιούμενον. Idem in Plat. Tim. p. 96 Bas. laudat Orphicum hunc versum:

αὐτὰρ ἐπεὶ δεσμὸν κρατερὸν ἐπὶ πᾶσι τανύσσῃς.

addit: δεσμὸς πάντως κρατερὸς καὶ ἀδιάλυτος, ὁ ἀπὸ τῆς φύσεως καὶ τῆς ψύχης καὶ τοῦ νοῦ. Cf. Orphic. Herm. fr. X, p. 471; et quae modo annotavi ad vs. 69.

Vs. 82 sq. ἄναρχον ἄπαυστον) Simplicius f. 17: ἄναρχον καὶ ἄπαυστον. — vs. 83. τῆλε μάλ' ἐπλάγχθησαν emendatum dedi pro vulgato τῇδε μάλ' ἐπλάγχθ. quod caret sensu. cf. Homer. Il. θ, 14. Consentit Bessarion interpretans: *longe ... recedunt.* Similiter correxisse video Scaligerum.

Vs. 84. τωὐτὸν δ' κτλ.) Ionicam formam, τωὐτόν, ἑωυτό, restitui pro vulgata ταὐτόν, ἑαυτό; cf. vs. 116 sq. Caeterum secutus sum Simplicii lectionem f. 31, nisi quod ibi pro δ' habet τ'; alibi vero sic legit: τ. τε ὂν ἐν τ. τε μένον καθ' ἑαυτὸ κεῖται, repugnante metro. Pro τε μένον Fuell. et Brandis cor-

rexerunt θέμενοι; sed verbum μένειν proprium est hoc sensu neque, quamvis in sequenti versu repetatur, mutandum est. Xenophanes fr. IV, p. 38, de Deo dicit:

αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένει κινεύμενον οὐδέν.

Plutarchus adv. Colot. p. 1114, Parmenidem dicit τὸ ἓν statuisse ὅμοιον ἑαυτῷ καὶ μόνιμον ἐν τῷ εἶναι; deinde: ὅτι τῷ μὲν ὄντως ὄντι προσήκει διαμένειν ἐν τῷ εἶναι. Plotinus Ennead. V, 1, 8: ἀκίνητον δὲ λέγει Παρμενίδης τοῦτο, ... σωματικὴν πᾶσαν κίνησιν ἐξαίρων ἀπ' αὐτοῦ, ἵνα μένῃ ὡσαύτως. Proclus in Parm. T. IV, p. 32: τοιοῦτον γὰρ τὸ κατὰ Παρμενίδην ἓν ὄν, ταὐτὸν ἔτ' αὐτὸ μίμνον, ὥς αὐτός φησιν. Parmenidis verba vitiose citavit, quae quisque facile ex hoc loco corrigat. Ab Eleaticis hanc dictionem mutuati sunt seriores praesertim Platonici, ut Damascius citatus ad vs. 59; Iamblichus ad vs. 60 sq.; Proclus ad vs. 81. Parmenidis hunc locum spectat Plato Theaet. p. 180 E: Μέλισσοί τε καὶ Παρμενίδαι ... διισχυρίζονται ὡς ἕν τε πάντα ἐστὶ καὶ ἕστηκεν αὐτὸ ἐν αὑτῷ, οὐκ ἔχον χώραν ἐν ᾗ κινεῖται. — καθ' ἑαυτὸ idem dicitur ἐφ' ἑαυτοῦ; Anaxagoras de mente loquens: μόνος αὐτὸς ἐφ' ἑωυτοῦ ἐστιν. (fr. 8, p. 100 Schaub.) citat. Brandis. Hippocrates, Epidem. I, s. 3: οὐ γὰρ μόνον αὐτὸς ἐφ' ἑωυτοῦ τοιοῦτός ἐστιν. cf. vs. 117.

Vss. 85–88. κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη — — ἐδεῖτο.) Ex his versibus Simplicius f. 7 AB efficit, ens Parmenidi esse πεπερασμένον, quod amplius explicatur vss. 101 sqq. Argumenta ejus inverso ordine in hunc syllogismum redigit: εἰ γὰρ ὂν ἔστι καὶ οὐχὶ μὴ ὄν, ἀνενδεές ἐστιν· ἀνενδεὲς δὲ ὄν, τέλειόν ἐστι· τέλειον δὲ ὄν, ἔχει τέλος, καὶ οὐκ ἔστιν ἀτελεύτητον· τέλος δὲ ἔχον, πέρας ἔχει καὶ ὅρον. Alio autem loco eandem argumentationen refert non ad τὸ πεπερασμένον, sed ad τὸ ἀκίνητον, dicens, Parmenidem his verbis τὴν αἰτίαν τῆς ἀκινησίας declarasse, spectans praesertim vss. 87 et 88, e quibus hanc conclusionem efficit: ὡς γὰρ τὸ μὴ ὂν ἐνδεὲς πάντων ἐστίν, οὕτω τὸ ὂν ἀνενδεὲς καὶ τέλειον· τὸ δὲ κινούμενον ἐνδεὲς ἐκείνου δι' ὃ κινεῖται· τὸ ἄρα ὂν οὐ κινεῖται. Apparet, Simplicium in interpretando parum sibi constare; in

altera autem conclusione adsumtio (τὸ δὲ κινούμενον ἐνδεὲς κτλ) ab ipso addita est. Attendamus ipsa Parmenidis verba.

Vs. 85. κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη κτλ.) Subjunguntur haec praecedenti dicto, οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει, quibus affirmat, necesse esse ut ens immotum et stabile sit. Simili modo paullo ante dixit ἀκίνητον μεγάλων ἐν πείρασι δεσμῶν; et deinde vs. 96: μοῖρ' ἐπέδησεν οὖλον ἀκίνητον τελέθειν κτλ. — ἀνάγκη infra quoque vs. 137 occurrit, unde effinxerunt placitum, secundum Parmenidem omnia geri κατ' ἀνάγκην; de quo in dissert. § 21.

πείρατος ἐν δεσμοῖσιν illustravi modo ad vs. 81; hinc Simplicius efficit, Parmenidem ens πεπερασμένον statuisse. Pro ἔχει τέ μιν idem uno loco (f. 9) habet ἔχει τό μιν, vitiose; nec tamen vulgata verborum constructio, ἔχει τέ μιν ἀμφὶς ἐέργει, bene se habet; sed vel, transposita particula τε, legendum: ἔχει ἀμφίς τέ μιν εἴργει; vel, quod probabilius etiam, corrigendum sic: ἔχει τε καὶ ἀμφὶς ἐέργει. Nam falli videntur qui putant, τε interdum sic ut καὶ vocabulis anteponi; ut Wellauer verba haec in Aeschyli Eumen. vs. 413 (429), σέβουσαι γ' ἀξίαν τ' ἐπ' ἀξίων, dicta putans pro σέβ. ἀξίαν ἐπ' ἀξίων τε sive ἀξίαν καὶ ἐπ' ἀξίων. At hic particula τε non copulat verba ἀξίαν et ἐπ' ἀξίων, sed significat *et quidem*, vimque addit vocabulo cui subjungitur.

Vs. 87. οὕνεκεν οὐκ ἀτελεύτητον) Simplicius ἀτελεύτητον accipit pro ἄπειρον, ἀτελές; inde οὐκ ἀτελεύτητον interpretatur τέλειον sive πεπερασμένον. Probat Brandisius, τῷ ἀτελευτήτῳ eandem tribuens significationem quam Pythagoraei et Plato tribuunt τῷ ἀπείρῳ, hoc est, *quod omni modo et ratione caret* (ἀνόητον, ἄλογον). Attamen ambo ista verba, quamquam cognatae significationis, tamen similia plane non sunt. ἄπειρον notat universe *infinitum, sine terminis; ἀτελεύτητον*, tempore *infinitum* sive *aeternum*. Ocellus Lucan. p. 506. Gal. ἄναρχον ἄρα καὶ ἀτελεύτητον τὸ πᾶν. Similiter ἀτέλεστον supra vs. 59. Itaque illud latiorem, hoc arctiorem habet potestatem; unde intelligitur, posse quidem ἄπειρον, ut latius patens, pro ἀτελεύτητον dici, non autem contra hoc pro

illo. Sic Aristoteles de Coel. I, 5 extr. ὅτι μὲν οὖν τὸ κύκλῳ κινούμενον οὐκ ἔστιν ἀτελεύτητον οὐδ' ἄπειρον, ἀλλ' ἔχει τέλος, φανερόν. Ibi ἄπειρον, arctiore sensu positum, voci ἀτελεύτητον tanquam synonymum subjungitur. ἀτελεύτητον igitur *aeternum* notat; si vero haec est ejus verbi significatio, quomodo intelligi potest, ens quod modo ἀγένητον, ἀνώλεθρον, ἀτέλεστον, praedicavit, nunc οὐκ ἀτελεύτητον, *non aeternum*, *non infinitum*, appellari. Mihi quidem in eo vitium latere videtur, quod jam veteres fefellerit: pro οὐκ ἀτελεύτ. corrigendum credo οὐδὲ τελευτητὸν, ut sententia sit èa quam latine expressi: Ens necessitatis vinculis constrictum, immotum manet; quocirca interire ac finiri nequit. Huic sententiae plane respondet argumentum vs. 81 sq. ἀκίνητον μεγάλων ἐν πείρασι δεσμῶν ἐστίν, ἄναρχον, ἄπαυστον. Similem errorem apud Aristotelem de Xen. Zen. Gorg. notavimus in Xenophan. p. 106.

Vs. 88. ἔστι γὰρ οὐκ ἐπιδευές.) Ut metrum constet, vel ἐπιδευὲς per synizesin contrahendum, quo fiat trisyllabum (ἐπιδευές), vel, quod nemini facile probatum iri puto, μὴ ἐὸν seu μὴ ὂν in unam syllabam contrahendum. Similiter fere se res habet in versu illo Homeri, Odyss. ξ, 222:

τοῖος ἔα ἐν πολέμῳ, ἔργον δέ μοι οὐ φίλον ἔσκεν.

in quo aut elisione facta cum Wolfio legendum: τοῖος δ' ἐν π. aut τοῖος per synizesin in unam syllabam contrahendum, ut placet Thierschio Gr. Gr. § 149, 5. ed. prim. Similiter χεύας sive χέας monosyllabum notavimus in Xenophan. p. 77.

μὴ ἐὸν δέ κτλ.) Haec apud Simplicium varie leguntur; f. 7 A: μὴ ἐὸν γὰρ ἂν πάντως ἐδ. f. 9: μὴ ἐὸν δ' ἂν παντὸς. f. 31: μὴ ὂν δ' ἂν π. Pro ἂν scripsi Ionice κε. Sensus proprie est hic: Non-ens, si foret, omni parte indigens esset, quippe essentia carens. Pro quo strictius dixisset sic ut latine expressi: τὸ δὲ μὴ ἐὸν παντὸς δεῖται. Est argumentatio e contrario, ut appellant: Ens indigere essentia non potest, quoniam quod essentiâ eget est non ens. Simplicius f. 9 A ita interpre-

tatur: ὡς γὰρ τὸ μὴ ὂν (φησιν) ἐνδεὲς πάντων ἐστίν, οὕτω τὸ ὂν ἀνενδεὲς καὶ τέλειον. Comparanda Eleatae dicta apud Platonem, Soph. p. 245 C: καὶ μὴν ἐάν γε τὸ ὂν ᾖ μὴ ὅλον, ... ἐνδεὲς τὸ ὂν ἑαυτοῦ ξυμβαίνει. ... καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον ἑαυτοῦ στερόμενον οὐκ ὂν ἔσται τὸ ὄν.

Vss. 89—92. Λεῦσσε δ'.... συνιστάμενον.) Apud Simplicium post versum proximum deinceps continuo ordine sequuntur vss. 93 sqq. τωὐτὸν δ' ἐστὶ νοεῖν κτλ. Qui tamen versus quum argumento parum inter se cohaererent, interposuimus hoc fragmentum a Clemente servatum, cui sedem invenire aptiorem non potuimus, quum et argumentum, quod de entis natura inmobili et individua agit, cum antecedentibus conveniat, et quod hic praecipitur, νόῳ λεύσσειν, viam quasi aperiat ad sequentia, quibus vis τοῦ νοεῖν declaratur.

Λεῦσσε, dictum e persona Deae quae loquens inducitur (cf. vs. 33): jubet illa, quae de ente praedicantur (aeternum, immotum, individuum, caet.) quamquam oculis absint, tamen animo praesentia cernere, neque e vulgari sensu credere, nunc esse, nunc non esse, modo dissipari, modo congregari, sed unum esse individuum perque omnia patens. Clemens Alex. hanc addit interpretationem: Παρμενίδης ἐν τῷ αὐτοῦ ποιήματι περὶ τῆς ἐλπίδος αἰνισσόμενος τὰ τοιαῦτα λέγει· deinde citt. versibus haec subjicit: ἐπεὶ ὁ ἐλπίζων, καθάπερ ὁ πιστεύων, τῷ νῷ ὁρᾷ τὰ νοητὰ καὶ τὰ μέλλοντα. Interpretatio magis religiosi hominis quam eruditi interpretis; nec mirum Parmenidem, si sic explicetur, αἰνίσσεσθαι videri. Non multo melius explicat Theodoretus: Παρμενίδης ὁ Ἐλεάτης πίστει τοῖς νοητοῖς προςβάλλειν παρεγγυᾷ· Λεύσσε δ' ὅμως κτλ. νῷ γὰρ μόνῳ πελάζειν τοῖς νοητοῖς δυνατόν· δίχα δὲ πίστεως οὐδὲ ὁ νοῦς ὁρᾷν δύναται τὰ νοούμενα. Agnoscas in his facile hominum studia, ad Christianae religionis doctrinam gentilium philosophorum dicta et placita accommodantium.

Pro λεῦσσε alii Clementis libri λεῦσε; Theodoretus λεύσσει: scriptura λεύσσω et λεύσω variat etiam in Homero. — νόῳ

ambiguum utrum cum λεῦσσε an cum παρέοντα potius jungendum sit; neutrum male; posterius tamen suadet verborum constructio. — ἀπέοντα ... παρέοντα scite conjunguntur, ut in notissima Heracliti sententia apud Clementem Alex. Strom. V, p. 604 A dicitur, ἀπέοντας παρεῖναι. Aristophanes Eqq. vs. 1120: ὁ νοῦς δέ σου παρὼν ἀποδημεῖ. Cicero in Laelio c. 7: amici et *absentes adsunt* et egentes abundant, caet.

Vs. 90. ἀποτμήξει) Ἀποτμήγειν verbum Homericum; vid. Iliad. λ, 468; π, 390. Brandisius dubitat, num legendum sit potius ἀποτμήξεις. Si quid mutandum, corrigerem sic:

οὐ γὰρ ἀποτμηξεῖται ἐὸν μετ' ἐόντος ἔχεσθαι.

articulum non improbabile ab interprete insertum esse, quem recte abesse apparet e vss. 62, 80 al. ἀποτμηξεῖται pro ἀποτμήξεται, forma non solum Dorica, sed eadem Ionum et Atticorum; vid. Maittaire de dial. p. 359 (470 sq. Sturz.); Brunck. ad Aristoph. Ran. vs. 1221. ἔχεσθαι μετά τινος (pro ἔχεσθαί τινος) etsi exemplis probare nequeo, non tamen insolentius dictum videtur quam v. c. ἔχεσθαι ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, (Herodot. VI, 11; Brunck. ad Aristoph. Lysistr. vs. 31.) quo sensu ἔχεσθαι idem valet quod εἶναι; alioquin pro μετ' scribatur περ. Sed etsi haec conjectura mihi non improbabilis videtur, nescio tamen an e superioribus, quae interciderunt, intelligendum sit fortasse nomen, verbo ἀποτμήξει subjectum, e. g. τὸ μὴ ὄν, sicut vs. 105: οὔτε γὰρ οὐκ ἐὸν ἔστι τό κεν παύῃ μιν ἱκέσθαι εἰς ὁμόν; vel etiam intelligi potest indefinitum pronomen τι, ut sit οὔ τι ἀποτμήξει; quemadmodum latine verti.

Vs. 91 sq. οὔτε σκιδνάμενον — οὔτε συνιστάμενον) Spectat physicorum placitum qui, quod vulgus *nasci* et *occidere*, ipsi *congregari* et *dissipari* (συμμίσγεσθαι et διακρίνεσθαι) appellabant. Censuit hoc Anaxagoras, ut testatur fragmentum p. 125 (Schaubach.); Empedocles vs. 105 sqq. Parmenidis verbis respondet contrarie dictum Heracliti apud Schleyerm. p. 357, cit. Brand. (ἡ οὐσία)... σκίδνησι καὶ πάλιν συνάγει κτλ. item Empedoclis versus de naturae elementis, 97 sq.

ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἕνα κόσμον
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.

Utrumque hunc spectat et Eleaticis opponit Plato Soph. p. 242 E: Ἰάδες δὲ καὶ Σικελικαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυννενοήκασιν ὅτι ξυμπλέκειν ἀσφαλέστατον ἀμφότερα κτλ. — κατὰ κόσμον, h. e. *figura, compositione, ordine*; nam κόσμος priscorum sensu non tam ipsum mundum, quam mundi ordinem ornatumque significat; sic Etymologus M. v. κοσμῆσαι, recte dicit: ἡ τῶν ὅλων τάξις κόσμος ὑπὸ Πυθαγόρου (vulgo legitur Πυθῶνος) εἴρηται. Cf. annot. ad Xenophan. p. 177. Hoc loco entis quasi forma et figura intelligenda est.

Vs. 93-95. ταὐτὸν δ' ἐστὶ νοεῖν τε καὶ οὕνεκεν ἔστι νόημα, κτλ.) Placitum his versibus expositum magni est momenti, cujus sensus accuratius nobis explicandus est, ne, ut Platonici fecisse videntur, Parmenidis sententiam pervertamus. Si verba stricte interpretemur, hoc dicit: idem esse cogitare sive cogitationem atque id cujus causså est cogitatio. Id autem, cujus causså est cogitatio, nihil aliud quam ens est, quod patet cum e sequenti dicto: οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος εὑρήσεις τὸ νοεῖν, tum ex eo quod supra docuit, si esse tollatur, nec dici nec cogitari omnino posse; cf. annot. ad vs. 39 sq. Itaque Parmenidis sententia huc redit, τὸ νοεῖν esse idem ac τὸ εἶναι sive τὸ ἐόν; cujus placiti haec vis est: illud quod mente tanquam verum intueamur, idem esse mentis nostrae et cogitationis principium; ens esse fundamentum, quo omnis cogitatio nitatur (τὸ νοεῖν πεφατισμένον ἐν τῷ εἶναι). Quae sententia congruit vulgato illi veterum placito: similia similibus cognosci. Caeterum Simplicius f. 19. A, τὸ οὗ ἕνεκα interpretatur τὸ τέλος τοῦ νοεῖν. ἕνεκεν γὰρ τοῦ νοητοῦ, inquit, ταὐτὸν δ' εἰπεῖν τοῦ ὄντος, ἐστὶ τὸ νοεῖν, τέλος ὂν αὐτοῦ. Vult ens esse principium finale mentis et cogitationis, quod οὗ ἕνεκα sive τέλος appellant docti. Affinxit Parmenidi notionem ab Aristotele potissimum inductam (Metaph. I, 3. p. 645. A, Casaub. et alibi.), veterioribus autem incognitam;

h. l. εὔνεκεν vulgari sensu interpretandum videtur id *cujus caussa* aliquid est, quo quid pertinet, et quo tanquam fundamento nititur. — πεφατισμένον. Hesychius φατίζει interpretatur λέγει, χωρίζει; utraque significatione conjuncta, notabit *ratione aliquid constituere*, *certo consignare loco*; inde κατάφατίζειν, *adfirmare*, *polliceri*, apud Plutarch. Solon. c. 25.

Vs. 95. οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται.) Sic Simplicius f. 19 A legit et sic vulgarunt interpretes, etsi metrum respuit. Idem f. 31 praebet: οὐδ' εἰ χρόνος ἐστὶν; sub quo latere suspicor lectionem, οὐδὲ χρεὼν ἐστιν. cf. vs. 37, 66, 104. Deinde sequens quoque ἢ ἔσται parum mihi satisfacit, quoniam futurum esse non satis apte dicitur de ente, quod esse tantum dici potest (vs. 60). Nescio an levi mutatione fortasse legendum sit: οὐδὲ χρεὼν ἐστί πη εἶναι — vel οὐδὲ χρεὼν ἐστι νοῆσαι κτλ. Audacior videatur haec conjectura; at, quam multae in talibus sint erroris viae, quis nescit? — μοῖρα ἐπέδησεν, ut infra vs. 137. Homerica locutio; vid. Iliad. δ, 517; χ, 5. Pindar. Pyth. IV, 125 (70).

Vs. 97. οἷον ἀκίνητον τελέθ. κτλ.) Versus hic multum est a viris doctis versatus, nec tamen satis explicitus. Lectio variat. Plato in Theaet. l. l. habet: οἷον ἀκίνητον τελέθει τῷ π. in qua lectione libri editi et manu scripti fere consentiunt; in nonnullis tantum codicibus legitur ἀκίνητα ... ὄνομα εἶναι; in plerisque editionibus πάντι, mutato accentu. Simplicius f. 7 A, ubi hunc versum separatim memorat, sic legit:

οἷον ἀκίνητον τελέθει, τῷ πᾶν ὄνομ' εἶναι.

similiter ut Plato, nisi quod πᾶν habet pro πάντι. Sed idem f. 19 A:

οὖλον ἀκίνητόν τ' ἔμεναι ᾧ πάντ' ὄνομα ἔσται.

eodemque modo f. 31 B, extremis tantum verbis ita mutatis, ᾧ πᾶν ὄνομ' ἐστίν. Hinc Buttmannus emendandum censuit: οἷον — ἀκίνητον τελέθειν, ᾧ πάντ'(α) ὄνομ' εἶναι. Quam emendationem etsi probaruut Heindorf. et Brandis, in textum recepit Beckerus, impedita tamen manet sententia, et ineptum est aut saltem supervacaneum vocabulum οἷον. Equidem Platoni-

cam lectionem servavi; tantum pro τελέθει ob verborum nexum edidi τελέθειν, et οἷον mutavi in οἶον. Ostendit hoc et declarat Simplicius, de Parmenidis ente dicens f. 7 A: ἀκίνητον αὐτὸ ἀνυμνεῖ καὶ μόνον, ὡς πάντων ἐξῃρημένον; deinde ipsum versiculum citat. Quod ille appellat μόνον, interpretatio est vocabuli οἶον, quod idem Parmenides vs. 59 μουνογενὲς vocat; lectio οὖλον ex ejusdem versûs initio temere repetita videtur. παντὶ ὄνομ' synizesin facit, ut ἀστέρ' ὀπωρινῷ, Iliad. ε, 5. — Jam verborum constructio haec est: ἡ μοῖρα ἐπέδησεν, τῷ παντὶ τελέθειν ὄνομα οἶον καὶ ἀκίνητον εἶναι, ὅσσα βροτοὶ κτλ. — εἶναι oppositum τῷ γίγνεσθαι, ὄλλυσθαι, caet. Parmenides in Universo unum et aeternum vere esse censet, quod contra vulgus varia et fluxa vera esse existimat. Respondent his dictis quae in contrariam partem dicta sunt apud Platon. Theaet. p. 152 D: ὡς ἄρα ἓν μὲν αὐτὸ καθ' αὑτὸ οὐδέν ἐστιν, . . . ξύμπαντά τε οὕτως ὡς μηδενὸς ὄντος ἑνὸς μήτε τινὸς μήτε ὁποιουοῦν, ἐκ δὲ δὴ φορᾶς καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα ἃ δή φαμεν εἶναι, οὐκ ὀρθῶς προσαγορεύοντες. et p. 157 B: τὸ δὲ εἶναι πανταχόθεν ἐξαιρετέον... ἀλλὰ κατὰ φύσιν φθέγγεσθαι γιγνόμενα καὶ ποιούμενα καὶ ἀπολλύμενα καὶ ἀλλοιούμενα.

Vs. 98. ὅσσα βροτοὶ κατέθεντο κτλ.) Vulgarem perstringit sententiam, quam et alii reprehenderunt, etsi a Parmenide dissentientes, ut Anaxagoras apud Simplic. f. 34 B (fr. 22, p. 135 Schaub.): τὸ δὲ γίνεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι οὐκ ὀρθῶς νομίζουσιν οἱ Ἕλληνες· οὐδὲν γὰρ χρῆμα γίνεται οὐδὲ ἀπόλλυται κτλ. Empedocles vs. 105:

> ἄλλο δέ τοι ἐρέω· φύσις οὐδενός ἐστιν ἁπάντων
> θνητῶν, οὐδέ τις οὐλομένου θανάτοιο τελευτή· —
> — φύσις δὲ βροτοῖς ὀνομάζεται ἀνθρώποισιν.

cit. Brandis. — εἶναί τε καὶ οὐκί (vulgo οὐχί), h. e. varium et mutabile esse (cf. vs. 50.); idem significat quod sequens γίγνεσθαί τε καὶ ὄλλυσθαι; quo sensu acceperunt quoque veteres interpretes, ut Alexander Aphrod. apud Simplic. Phys. f. 17 A adversus Eleaticos disserens, τοὺς λέγοντας μὴ εἶναι τὰ ἄλλα

τὰ ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ ὡς ποτὲ μὲν ὄντα, ποτὲ δὲ μὴ ὄντα, μόνον δὲ εἶναι τὴν ἀΐδιον οὐσίαν, διὰ τὸ μηδαμῶς τοῦ μὴ εἶναι μετέχειν, κτλ.

Vs. 100. τόπον ἀλλάσσειν) Pro τόπον corrigendum puto τρόπον, quae vocabula saepe confusa (ut notat praeter alios Creuzer. ad Plotin. de pulcr. p. 392.), non quod τόπον ἀλλάσσειν per se vitiosum aut a Parmenidis sententia alienum sit, sed quia hîc minus conveniens. Notat Parmenides rerum e vulgari opinione varietatem et vicissitudinem, alienam illam ab immutabili et constanti entis natura. Ista vero varietas potissimum in duobis his cernitur, in conditione ac figura (τρόπος), et in colore sive specie (χρόος). Itaque ut τόπον ἀλλάσσειν parum concinit cum χρόα ἀμείβειν, sic aptissime huic jungitur τρόπον ἀλλ. sine quo alterum paene mancum est. Similiter fere Lucretius, diligens Graecorum lector, II, 1004:

Mors, inquit, *ecficit omnes*
res ita convortant formas mutentique colores.

cf. id. I, 768 sq. Ut hic τρόπος et χροῦς, sic alibi alia similia junguntur, ut in Xenophanis versiculo, fragm. V:

τὴν σφετέρην ἐσθῆτα τ' ἔχειν μορφήν τε δέμας τε.

quemadmodum nos emendandum suasimus p. 39, μορφὴν scribentes pro φωνήν, quod ibi minus aptum videtur. Reprehendit hanc conjecturam doct. Petersen, in Novis Annal. philol. edd. Jahn et Seebode, a. 1831, fasc. 10, vocabula ista (μορφήν et δέμας) ut paene similia minus apte conjungi putans; atqui non magis similia haec sunt, quam quae jungit Homerus Iliad. α, 115: οὐ δέμας οὐδὲ φυήν. β, 58: εἶδός τε μέγεθός τε φυήν τ'. Xenophanes ipse fr. VI, p. 41: ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν. Linus apud Stobaeum, Ecll. I, 11, 5. p. 282:

φαντασίαις ἀλληλοτρόποις καὶ σχήμασι μορφῆς ἀλλάσσει.

quae comparata utramque meam conjecturam, si non certam, tamen admodum probabilem reddunt.

Vss. 101-108. Docetur his versibus, ens esse perfectum,

tali argumentatione: Quum unum est ens, nec quidquam ei contrarium neque diversum (οὔτε γὰρ οὐκ ἐὸν ἔστιν... οὔτε ἐὸν κτλ.), nihil habere potest dispar aut inaequale (οὔτε τι μεῖζον οὔτε τι βαιότερον), sed est omnino aequabile, in sphaerae modum aequaliter undique conglobatum summeque perfectum. Haec est summa; videamus singula.

vs. 101. αὐτὰρ ἐπὶ πεῖρας π.) Vulgo pro ἐπὶ legitur ἐπεί, quo turbatur plane verborum constructio. Nam quando sententia incipit per ἐπεί, sequi debet apodosis, quae hic plane desideratur. Tentavi num restitui posset sic legendo: αὐτὰρ ἐπεὶ π. π. τετελεσμένον ἐστὶ.... πάντῃ, τῷ γ' (pro τὸ γὰρ) οὔτε τι μ. οὔτε τι β. πέλεναι χρεών ἐστι. *quoniam perfectum est... omnino, nihil in eo praestantius nec deterius esse potest.* Huic lectioni codices quidem nihil fere obstant, ut mox ad vs. 103 videbimus; sed obstat argumentatio, quae contrario potius sic procedere debebat: *Quoniam in ente nihil est praestantius nec deterius, ideo aequale et perfectum est.* Melius fortasse sententia cohaereret, interjecto vs. 108, ita: αὐτὰρ ἐπεὶ π. π. τετελεσμένον ἐστίν, ᾗ καὶ πάντοθεν ἶσον ὁμῶς ἐν πείρασι κυρεῖ, πάντοθεν... ἰσοπαλὲς πάντῃ. Sed hanc versuum dispositionem prohibet librorum auctoritas. Quocirca vel ad anacoluthiam confugiendum et, abrupta periodo, apodosis e vs. 108 (ᾗ γὰρ πάντοθεν ἶσον... κυρεῖ) supplenda, vel pro ἐπεὶ reponendum erat ἐπὶ, ultima syllaba propter arsin producta; quo lenissimo remedio omnis nobis difficultas sublata videbatur. Placet hoc et propter dictionem, quia Parmenides solet non per periodos sed incise membratimque loqui, et ob sensum, quia ipsum illud τετελεσμένον ἐστὶ praecipuum est, et reliqua ad hoc probandum afferuntur, non contra hoc ad illa. Ne vero quis fortasse ἐπεὶ pro ἔπειτα accipiendum putet, cavit Hermannus ad Viger. n. 241, p. 784.

Vs. 102. παντόθεν εὐκύκλου σφαίρης) σφαίρης Ionice exhibent tres Florentini Platonis libri cum Simplicio; plerique cum Aristotele σφαίρας; Aristoteles uno quoque loco ἐγκύκλου pro

εὐκύκλου; Boëthius ἐν κύκλοισι. — Ductum hinc celebratum Parmenidis placitum, τὸ ὂν sive τὸ πᾶν σφαιροειδὲς καὶ ὅμοιον, de quo in dissert. § 10 sq. Similiter Xenophanes de Deo dixisse traditur, Fragm. p. 104: πάντῃ ὅμοιον ὄντα σφαιροειδῆ εἶναι· οὐ γὰρ τῇ μὲν τῇ δ' οὐ τοιοῦτον εἶναι, ἀλλὰ πάντῃ. Celebrata quoque Empedoclis sphaera,

σφαῖρος κυκλοτερὴς μονίῃ περιηγέϊ γαίων.

apud Simplicium de Coelo f. 272 B. Ald. in Peyroni excerpt. p. 47. Ambo Parmenidis et Empedoclis versus confusi leguntur apud Proclum in Tim. l. l. qui sic distinguendi: τὸ νοητὸν πᾶν τοιοῦτόν ἐστι, πανταχόθεν εἰς ἑαυτὸ συννεῦον,

πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ,
μέσον (μεσσόθεν) ἰσοπαλές,

καὶ

μόνῃ (μονίῃ) περιηγέϊ χαίρων.

Ultimum etiam versum quidam falso Parmenidi tribuerunt. Animadvertendum autem, Parmenidem ens non appellare sphaeram, sed sphaerae simile, quam imaginem fingit summae perfectionis; unde poëtica fictio vocatur a Simplicio Phys. f. 31 B: εἰ δὲ εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ τὸ ἓν ὂν φησι, μὴ θαυμάσῃς· διὰ γὰρ τὴν ποίησιν καὶ μυθολογικοῦ τινος παράπτεται πλάσματος. Simili sensu Xenophanem de Deo usurpasse, docui in hujus philos. p. 119, 120; improbante quidem Cl. Wendt, in Relationibus liter. Gotting., non tamen redarguente. Antiquiores imitatur Plato, eandem imaginem ad mentem transferens, Legg. X, p. 898 B: λέγοντες νοῦν τήν τε ἐν ἑνὶ φερομένην κίνησιν σφαίρας ἐντόρνου ἀπεικασμένα φοραῖς, οὐκ ἄν ποτε φανεῖμεν φαῦλοι δημιουργοὶ λόγῳ καλῶν εἰκόνων. Cf. Aristoteles qui appellatur, de Mundo c. 2. p. 465 B.

Vs. 103. μεσσόθεν ἰσοπαλές.) ἰσοπαλὴς a πάλος proprie notat ἴσος ἐν κλήρῳ, deinde universe id. q. ἴσος. Ita veteres grammatici; vid. interpretes ad Hesych. T. II, c. 75, 76. Io. Philoponus Phys. III, lit. M, p. 12, recte sic interpretatur: μεσσόθεν εἶναί φησι ἰσοπαλές, τουτέστιν, ἴσον ἐκ τοῦ μέσου

πανταχόθεν ἀπέχον, ἵνα σφαιρικὸν αὐτὸ δείξῃ. Plato Tim. p. 33 B, formam, quam mundo Deus tribuit, describit talem: σφαιροειδές, ἐκ μέσου πάντῃ πρὸς τὰς τελευτὰς ἴσον ἀπέχον, κυκλοτερὲς αὐτὸ ἐτορνεύσατο, πάντων τελεώτατον ὁμοιότατόν τε αὐτὸ ἑαυτῷ σχημάτων. Cf. Timaeus Locr. p. 548 ed. Gal.

Ibid. τὸ γὰρ οὔτε τι μ. κτλ.) Magna in his est lectionis varietas. Platonis Florentini tres: τοῦ γὰρ οὔτε. Simplicius, Platonis verba citans, Phys. f. 19: τῷ γὰρ οὔτε. f. 12: τὸ οὔτε omisso γάρ; sed idem Parmenidis versus ordine referens f. 31 vulgatam lectionem servat. Deinde versu sequente pro βαιότερον veteres Platonis et Aristoteles editiones βεβαιότερον; similiter Proclus l. l. Stobæus βιαιότερον: quos librariorum sordes abstersit jam Spalding. in Comment. in Aristot. de X. Z. G. p. 50. Pro πέλεναι Simplicius uno loco (f. 12) πέλεμεν; Platonis libri nonnulli et veteres editt. πέλει vel πέλειν; similiter Proclus; Stobaei editio Cant. πέλειν ἀχρεόν (pro πέλεναι χρεών), unde Heerenus effinxerat: πέλειν, ᾧ χρεών ἐστι. Denique in Aristotele ultima verba sic corrupta sunt: βεβαιότερον εἶναι μέχρι ὅν ἐστι τῇ ἀρχῇ. Omitto leviora.

Cum his autem comparandi sunt vss. 78 sq. et Platonis haec verba in Parmen. p. 150 E: καὶ μὴν καὶ αὐτό γε τὸ ἓν πρὸς ἑαυτὸ οὕτως ἂν ἔχοι· μήτε μέγεθος ἐν ἑαυτῷ μήτε σμικρότητα ἔχον, οὔτ' ἂν ὑπερέχοιτο οὔτ' ἂν ὑπερέχοι ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἴσου ὂν ἴσον ἂν εἴη ἑαυτῷ.

Vs. 105 sqq. οὔτε γὰρ οὐκ ἐὸν κτλ.) Efficitur his, ens esse omnino a e q u a l e, quippe unum et sui simile. — Dictum τό κεν παύῃ μιν ἱκνεῖσθαι εἰς ὁμόν, idem valet quod vs. 78: τό κεν εἴργοι μιν ξυνέχεσθαι. In versu sequente κενεὸν scripsi pro κενὸν, ἐόντος praebet Simplicius. Nec tamen lectio placet, non tam quod offendat metro, quam quod sensui parum convenit. Nam κενὸν ὄντος nihil aliud est quam μὴ ὄν, quod jam in priore argumentationis membro (οὔτε γὰρ οὐκ ἐὸν ἐστι) refutatum est; praeterea in v a c u u m non cadit τὸ μᾶλλον et ἧττον. Praeferrem pro κενεὸν legi πλέον, hac verborum constructione:

τὸ ἐὸν οὐκ ἔστι τῇ μὲν μᾶλλον τῇ δὲ ἧττον πλέον ἐόντος; sed (ut vs. 79 sq. dixit) πᾶν δὲ πλέον ἐστιν ἐόντος. ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει. Facillimum vero et optimum videtur sic legere:

οὔτ' ἐὸν ἔστιν ὅπως εἴη κεν ἐόντος
τῇ μᾶλλον, τῇ δ' ἧσσον.

Ens ente nec praestantius nec deterius potest esse. Hoc et metro et sensui pariter satisfacit. Si vulgata lectio retineatur, κενεὸν et ἐόντος per synizesin contrahenda in κενὸν 'ὄντος, sicut scripsit Brandisius, etsi hoc quidem minus recte. Vid. Thiersch. Gr. Gr. § 149, 2, b. Dictio οὐκ ἔστιν ὅπως, ὅςτις, caet. usitata Graecis, neque a Brandisio mutanda erat in ὅπως. cf. Aeschyl. Prom. 291; Eurip. Alcest. 52.

Vs. 107. τῇ μᾶλλον τῇ δ' ἧσσον) τῇ — τῇ δὲ, *qua* — *qua*, saepe opponuntur; vid. Aristot. Gen. et corr. I, 9 pr. et quae annotavimus in Xenophan. p. 104. μᾶλλον ἧσσον frequens apud philosophos, quo notant id quod *inaequale*, *varium*, *mutabile* est, cui contrarium τὸ ἴσον, τὸ ὅμοιον, τὸ πέρας. vid. Plato Phaedon. p. 109 A: (p. 83 Wytt.): ἰσόῤῥοπον γὰρ πρᾶγμα ... οὐχ ἕξει μᾶλλον οὐδὲ ἧττον οὐδαμόσε κλιθῆναι, ὁμοίως δ' ἔχον ἀκλινὲς μενεῖ. Phileb. p. 24 E: ὁπόσα ἂν ἡμῖν φαίνηται μᾶλλόν τε καὶ ἧττον γιγνόμενα, ... εἰς τὸ τοῦ ἀπείρου γένος ὡς εἰς ἓν δεῖ πάντα ταῦτα τιθέναι. τὸ ἄπειρον dicit id in quo nullus est modus, nulla constantia. cf. Aristoteles Metaph. III, 4 extr. p. 670 G. Archytas apud Simplic. Categor. f. 73 E. — πᾶν ἐστὶν ἄσυλον, id. q. vs. 79: πᾶν δὲ πλέον ἐστιν ἐόντος. vs. 88: ἐστὶ γὰρ οὐκ ἐπιδευές.

Vs. 108. ἢ γὰρ πάντοθεν ἶσον) ἢ γὰρ, nisi corrigendum, certe accipiendum pro καὶ γάρ. cf. ad vs. 20. — πάντοθεν ἶσον, a sphaerae rursus imagine petitum, i. q. μεσσόθεν ἰσοπαλές. Ἴσον dicitur in quod non cadit τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον, *aequale*, *constans*, *perfectum*. Hoc sensu Anaxagoras apud Simplicium Phys. f. 33 B, de universo dicit: ὅτι πάντα οὐδὲν ἐλάσσω ἐστιν οὐδὲ πλείω, ... ἀλλὰ πάντα ἀεί. Idem Parmenides vs. 77 sic dicit: πᾶν ἐστιν ὁμοῖον, οὐδέ τι μᾶλλον... οὐδέ τι χει-

ρότερον. Proprie ἴσον et ὁμοῖον ita distinguuntur, ut illud in quantitate (ἐν ποσότητι), hoc in qualitate (ἐν ποιότητι) positum sit; quod tamen discrimen a veteribus non diligenter servatum est. Sic in Platonis loco, quem modo citavimus e Phaedone, ἰσοῤῥοπον et ὁμοίως ἔχον permutantur.

Vss. 109-111. ἐν τῷ σοι παύω — — ἀκούων.) His versibus Simplicius f. 31 B priorem hanc carminis partem claudit; iisdem incipit f. 9 A, et sequentem deinceps naturae descriptionem ingreditur. Utramque carminis partem cohaerere expresse docet f. 7 B, citatis illis versibus haec addens: μετελθὼν δὲ ἀπὸ τῶν νοητῶν ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ ὁ Παρμενίδης, ἤτοι ἀπὸ ἀληθείας (ὡς αὐτός φησιν) ἐπὶ δόξαν, ... τῶν μὲν γενητῶν ἀρχὰς ... ἔθετο, ... λέγων ἐφεξῆς τοῖς προτέροις παρακειμένοις ἔπεσι· Μορφὰς γὰρ κατέθεντο κτλ. Et de Coelo III, l. l. συμπληρώσας τὸν περὶ τοῦ ὄντος λόγον καὶ μέλλων περὶ τῶν αἰσθητῶν διδάσκειν, ἐπήγαγεν Ἐν τῷ σοι παύω κτλ. E quibus manifesto patet, Parmenidem ea, quae hactenus de ente disseruit et quae deinceps de natura canit, uno ordine contexuisse.

Pro παύω Simplic. de Coel. habet παύσω; idem in Phys. semel ἀμφὶ pro ἀμφίς; variat lectio in βροτείας et βροτείους, quorum hoc magis vulgare, illud exquisitius. — δόξας βροτείας dicit hominum visa de rebus naturalibus, quorum rationem deinceps Dea, quasi e mortalium opinione, exponit; hinc quod tertiam personam usurpat vs. 112, κατέθεντο. Similiter vs. 120 dicitur βρότων γνώμη. vs. 156: οὕτω τοι κατὰ δόξαν ἔφυ τάδε. Cf. annot. ad vs. 30.

Vs. 112. Μορφὰς γὰρ κατέθεντο κτλ.) De rebus naturalibus acturus initium facit ab elementis, quae his versibus describit. μορφὰς appellat *species* seu *genera* (εἴδη), ad quae rerum elementa et semina reducantur: itaque inest in hoc vocabulo non solum formae sed simul materiei notio, quae ambo natura inter se cohaerentia prisci non disjunxerunt. Idem

vocabulum usurpat Empedocles vs. 69; retinuerunt item seriores, Plato, Aristoteles, Neo-Platonici; sed hi eodem aut simili certe sensu usurpant atque εἶδος et ἰδέα, ut solam formam significet a materie disjunctam. Vid. Wyttenbach. ad Platon. Phaedon. p. 274 sq. Aristoteles Phys. II, 1. p. 263 D, quaerens quid sit ἡ φύσις, dicit: ἕνα μὲν οὖν τρόπον ἡ φύσις οὕτω λέγεται, ἡ πρώτη ἑκάστῳ ὑποκειμένη ὕλη, ... ἄλλον δὲ τρόπον ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος, τὸ κατὰ τὸν λόγον. Idem Metaph. IV, 8. p. 680 F., ubi docet quid sit ἡ οὐσία, συμβαίνει δὴ, inquit, κατὰ δύο τρόπους τὴν οὐσίαν λέγεσθαι, τό θ' ὑποκείμενον ἔσχατον ὃ μηκέτι κατ' ἄλλου λέγεται, καὶ ὃ ἂν τόδε τι ὂν καὶ χωριστὸν ᾖ· τοιοῦτον δὲ ἡ ἑκάστου μορφὴ καὶ τὸ εἶδος. cf. Phys. I, 7. p. 260 C; Metaph. II, 4. p. 661 F. Aristotelici quidem discrimen faciunt inter μορφήν, εἶδος, σχῆμα; sed hoc nihil ad Parmenidem; vid. de eo Simplic. in Phys. f. 61 A; et praesertim in Categor. f. 67 A sq. — κατέθεντο γνώμης non ea significatione accipiendum qua ἐν φρεσὶ θέσθαι, vel θυμῷ ἐμβάλλεσθαι apud Homerum, e. g. Iliad. κ, 447; ν, 121; aut quem ad modum στέρνοις καταθέσθαι, *animo recondere, mandare*, apud Orpheum Hymn. 77, vs. 7, quem locum minus apte confert Brandisius; sed κατέθεντο hic notat *statuerunt, induxerunt*, similiter ut supra vs. 98; additur γνώμης (sic scripsi pro γνώμαις), *mentis prudentiâ, judiciis.*

Vs. 113. τῶν μίαν οὐ χρεών ἐστιν.) Haec verba, quorum sensum non intellexit Bessarion, nec assequi se fatetur Fuellebornius, Brandis sic interpretatur, ut Parmenides dicat, amborum istorum generum alterum esse ens, *alterum non ens*, videlicet id quod noctem appellat. At ista significatio, ex Aristotelis interpretatione ducta, etiamsi Parmenidis menti conveniat, in ipsis tamen his verbis non inest; oportuisset saltem dici: τῶν μίαν οὐ χρεὼν εἶναι, concise pro ὧν μίαν οὐκ εἶναι χρεών ἐστίν. Nunc verba ex antecedentibus sic supplenda videntur: τῶν (ὧν) μορφῶν μίαν μόνον καταθέσθαι οὐ χρεών ἐστι, *quorum amborum generum unum* s. *alterutrum modo statuere non licet;*

quod qui statuunt, falluntur. Ergo duo statuens elementa, reprehendit simul eos qui unum modo ponerent principium, sicut plerique superiorum physicorum. Eodem sensu accepit Simplicius Phys. f. 7 B, hanc addens interpretationem: οὕτω σαφῶς ἀντιθέτως δύο στοιχεῖα ἔλαβε, ... καὶ πεπλανῆσθαι δέ φησι τοὺς τὴν ἀντίθεσιν (h. e. τὴν ἐναντιότητα) τῶν τὴν γένεσιν συνιστώντων στοιχείων μὴ συνορῶντας, ἢ μὴ σαφῶς ἀποκαλύπτοντας. vs. 114. σήματα, *qualitates*, quas διαφορὰς appellant philosophi, ut ἀραιόν, πυκνόν, alia. Eodem sensu habuimus vs. 57.

Vs. 115 sq. τῇ μὲν φλογὸς αἰθέριον πῦρ.) Verbis τῇ μὲν φλογὸς respondent verba (vs. 117 sq.) ἀτὰρ ... ἀντία νύκτ' — utraque pendent ab ἔθεντο. φλογὸς πῦρ dicitur eodem modo ut θαλάσσα πόντου, Iliad. β, 144; νόον φρὴν in Xenoph. fr. III, p. 37; *fluminis fluctus* apud Lucret. IV, 1030; alia.

Sequens versus in Simplicio varie legitur; f. 7 B sic:

ἤπιον ὄν, μέγ' ἀραιόν, ἐλαφρόν, ἑαυτῷ πάντοσε τωὐτόν.

similiter f. 9. A, nisi quod ibi Ionica dialectus servatur etiam in ἑωυτῷ; f. 39 A ita:

ἤπιόν ἐστιν, ἐλαφρόν, ἑαυτῷ πάντοσε τωὐτόν.

Mirum quod tam constanter scribitur ἤπιον; porro ἐὸν dedi pro ὄν. cf. ad vs. 106. Verborum autem ἀραιὸν et ἐλαφρὸν quum alterutrum ejiciendum sit, non dubium quin hoc illius sit glossema; quemadmodum grammatici interdum ἀραιὰς interpretantur voce ἐλαφρός, ut Schol. ad Hesiod. Ἐργ. vs. 809 ed. Cler. p. 176 Heins. ἀραιὸν est vox antiqua, usurpata jam ab Anaximene qui calidum χαλαρὸν καὶ ἀραιὸν dixit, teste Plutarch. de Prim. frig. vol. IX, p. 734 (Reisk.); vulgo opponi solet τῷ πυκνῷ, ut in fragmento, si non ipsius Parmenidis, tamen e Parmenide expresso, supra p. 48, n. 2; et in ejusdem placitis relatis a Stobaeo, Ecll. L. I, c. 26 et 28, p. 532, 574, ubi τὸ ἀραιότερον μίγμα et τὸ πυκνότερον memorantur. Melissus apud Simplic. Phys. f. 22 B: τὸ γὰρ ἀραιὸν ἀδύνατον ὁμοίως εἶναι πλῆρες τῷ πυκνῷ, ἀλλ' ἤδη τὸ ἀραιόν γε κενότερον γίνεται τοῦ πυκνοῦ. cf. Empedocles vs. 191; Anaxagoras apud Simplic.

Phys. f. 38 B: ἀποκρίνεται ἀπό τε τοῦ ἀραιοῦ τὸ πυκνὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ θερμοῦ τὸ ψυχρόν. Aristoteles de mundo c. 4. p. 467 F: ὁμίχλη . . . ἀέρος μὲν παχυτέρα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα. Grammatici quidem hoc sensu ἀραιὸν spiritu aspero scribi jubent, ut monet Eustathius Odyss. κ, p. 1649, 46; sed librorum scriptura variat.

Vs. 117. τῷ δ' ἑτέρῳ κτλ.) Ex his verbis Simplicius effecisse videtur, ambo haec principia etiam ταὐτὸν et ἕτερον a Parmenide appellari; Parmenides tamen vocabula ista vulgari sensu usurpavit, non eo quo philosophi Pythagorei praesertim et Plato usurpant, a quibus absolute poni solent. — κατ' αὐτὸ pro καθ' ἑαυτὸ, qua significatione αὐτὸ frequens est apud Herodotum.

Vs. 118. ἀντία νύκτ' ἀδαῆ) Versus hic in Simplicio corruptus est; f. 7 B sic legitur: τἀναντία νυκτάδα ᾗδε πυκινόν. f. 9 A: ἀντία . . . πυκνόν. f. 39: ἀντία ν. ἢ πυκινόν. Omnes hi loci conspirant in corrupta lectione νυκτάδα; ultima tamen manifesto veram Parmenidis manum arguit, quam agnovisse videtur etiam Bessarion, et expressit Scaliger in ms. Leyd. ἀδαής, de quo dixi ad vs. 3, hic notat *obscurus*, sicut interpretatur Bessarion, a δάω *incendo*; eodem sensu vs. 123 dicit νυκτὸς ἀφάντου.

Post hunc versum Simplicius f. 7 B memorat, μεταξὺ τῶν ἐπῶν interponi ῥησείδιον prosa oratione scriptum, quod retulimus p. 48, n. 2. Brandisius inter medios versus interseruit, parum recte, quum nec fragmentum istud sit ipsius Parmenidis, et duo sequentes versus, τῶν σοι ἐγὼ κτλ. cum proximis arcte cohaereant et ab ipso Simplicio f. 9 A continuo ordine illis jungantur.

Vs. 119 sq. τῶν σοι ἐγὼ διάκοσμον κτλ.) τῶν scripsi pro τόν. refertur ad ambo elementa, lucem et noctem; deinde φατίσω pro φατίζω, futurum pro praesenti, sicut vs. 132: εἴσῃ. vs. 136: εἰδήσεις. — διάκοσμον, h. e. διακόσμησιν, vocabulum proprium de mundi dispositione et ornatu; hinc Democriti μέγας et μικρὸς διάκοσμος nominati; simili sensu a Pythagoreis ψυχῆς διάκοσμος

appellatus animus variis ex partibus constitutus. Vid. Salmasius in Epictet. p. 168, 177. Vocabulum a Parmenide desumpsit Plutarch. adv. Colot. p. 1114 (Vol. X, p. 583 Reisk.) de illo loquens: ὅς γε καὶ διάκοσμον πεποίηται, καὶ στοιχεῖα μιγνὺς τὸ λαμπρὸν καὶ σκοτεινὸν, ἐκ τούτων τὰ φαινόμενα πάντα καὶ διὰ τούτων ἀποτελεῖ. Haec e Brandisii nota ad h. l. ἐοικότα appellat, quia haec omnia κατὰ δόξαν referuntur. παρελάσσῃ simili significatione qua παρελεύσεαι, Iliad. α, 132; παραμείβεται Pindar. Pyth. II, 50 (93.)

Vs. 121 sq. Αὐτὰρ ἐπειδὴ πάντα κτλ.) Versibus his, quos Simplicius dicit antecedentibus μετ' ὀλίγα subjectos fuisse, docet, ambobus istis elementis universum esse completum, nec praeter illa quidquam haberi. τὰ . . . ἐπὶ τοῖσί τε καὶ τοῖς, constructio verborum durior, ut saepe apud Parmenidem; significatio est: τὰ ἐπὶ τοῖς ἀμφὶ φάος τε καὶ νύκτα ὠνομασμένα, qualitates utrique generi tributae, ἀραιὸν, πυκνὸν, cetera.

Vs. 123 sq. πᾶν πλέον ἐστὶν.) Idem de rerum natura dicit quod supra de ente dixit, vs. 79: πᾶν δὲ πλέον ἐστὶν ἐόντος. Deinde ἴσων ἀμφοτέρων non tam significat, paria et aequalia esse alterum alteri, sed suo quodque genere et per se consentiens et aequabile, nihil esse in ipsis repugnans, οὔτε μεῖζον οὔτε βαιότερον, οὔτε μᾶλλον οὔτε ἧσσον, quo sensu ipsum quoque ens ὁμοῖον et ἴσον dixit; vid. vss. 77, 108, et ibi annot.

ἐπεὶ οὐδετέρῳ μέτα μηδέν.) μέτα, h. e. μετέστι. Videlicet si elementorum unumquodque per se non sit uniusmodi et consentiens (ἴσον), oporteat esse aliâ parte valentius, aliâ debilius, aliâ plenius; aliâ inanius; sic autem necesse vacuum quid esse, quo intersperso densa materies dissipetur et attenuetur; at vacuum nihil est; *nihil autem in neutro elementorum obtinet:* ergo utrumque eorum uniusmodi et aequale est. Sic eadem ratione vacuum in natura tollit, qua in veritate non ens sustulit; vid. vs. 44. Simplicius haec verba sic commentatur:

εἰ δὲ μηδετέρῳ κατὰ (l. *μέτα*) *μηδέν, καὶ ὅτι ἀρχαὶ ἄμφω καὶ ὅτι ἐναντίαι δηλοῦται.* quae Philaltheus, a Brandisio citatus, sic reddit: » *Si ergo nihil alterius cum altero esse potest, nec » unum est altero posterius,* (amplificavit haec suo arbitrio;) » profecto indicatur tam ea esse principia quam contraria." Simplicius, saltem Philaltheus, verba *ἐπεὶ οὐδετ. μέτα μηδὲν*, sic interpretatus videtur: *ἐπεὶ οὐδετέρῳ (τῶν στοιχείων) μηδὲν τοῦ ἑτέρου (στοιχείου) μετέστιν*, eodem sensu quo Parmenides paullo ante (vs. 117) utrumque elementorum dixit aequale sibi, alteri dispar, *τῷ ἑτέρῳ μὴ τωὐτόν.*

Vs. 125 sqq. *αἱ γὰρ στεινότεραι κτλ.*) Hos item versus antecedentibus 112-120 parvo intervallo subjectos fuisse; Simplicius notat f. 9 A dicens: *μετ' ὀλίγα δὲ πάλιν περὶ τῶν δυοῖν στοιχείων εἰπὼν, ἐπάγει καὶ τὸ ποιητικὸν (αἴτιον), λέγων οὕτως·* — Articulus autem *αἱ* quo referatur non docet, sed ex ipsius verbis intelligitur, spectare ad orbes illos seu coronas (*στεφάνας* appellavit Parmenides), partim aetheria, partim terrena materie conflatas, aliam supra aliam positas, quibus universum mundi orbem constare dixit; quarum in medio esse Daemonem naturae gubernatricem. Hunc locum spectasse videtur Stobaeus Ecll. Phys. I, 23. p. 482, quem in dissertat. § 23 accuratius explanabimus.

αἱ γὰρ — — *αἱ δ'*, Simplicius *αἳ γὰρ* — — *αἳ δ'*. *ποίηντο* pro *ἐπεποίηντο* quamquam insolens, analogiae tamen non repugnat; mallem vero *πεποίηντο*, diphthongo *οι* ante sequentem vocalem *η* correpta; posterior syllaba in *πυρὸς* propter arsin producatur. Sensus autem verborum obscurior est. *αἱ στεινότεραι* quidem sunt coronae *angustiores;* has vero quae sequuntur (*αἱ δ' ἐπὶ ταῖς*), utrum dicantur *supra* illas an *infra* positae ambiguum. At prius horum repugnare puto Parmenidis sententiae, qui rem ita fingere videtur: Supremum omnium omnia cingentem orbem esse *οὐρανὸν* (qui *ὄλυμπος ἔσχατος* vocatur vs. 140); infra hunc angustiores illos orbes, quos hic memorat, primum lucis, deinde noctis; quas inter mediam esse Dae-

monis sedem. Haec descriptio convenit cum reliquorum scriptorum testimoniis quae in dissertatione § 23 exponemus.

πυρὸς ἀκρίτοιο, significare potest *ignem multum, immensum*. Hesychius: *ἄκριτα ... πολλά, μὴ ἀριθμούμενα*. Sic Homerus hymn. Merc. 577:

ταῦρα μὲν οὖν ὀνίνησι, τὸ δ' ἄκριτον ἠπεροπεύει.

similiter in compositis, ut *ἀκριτόφυλλον*, i. e. *πολύφυλλον*, aliisque. Potius tamen secundum Fuelleb. et Brandis. interpretor ignem non purum, sed caligine mixtum, prouti vicissim nox lucis radiis intermixta est. — *φλογὸς αἶσα*, i. q. *φλογὸς μοῖρα*, poëtica circumlocutione pro simplioi *φλόξ*. Homerus Odyss. τ, 84: *ἐλπίδος αἶσα*. Empedocles, vs. 199: *ὕδατός τε καὶ οὔδεος αἶσαν*.

ἐν δὲ μέσῳ τούτων.) Etiam hîc ambiguum, utrum intelligendus sit locus in centro universi, an medius inter lucis et noctis orbes positus. Posterius magis congruum videtur et menti Parmenidis et ipsis verbis; illud si voluisset, potius, credo, dixisset simpliciter *ἐν μέσῳ* vel *ἐν μέσῳ πάντων* seu *πασῶν*. Cf. dissertat. § 24. Haec autem *δαίμων* quo nomine vocata sit, non magis liquet, quam illa quae carminis initio praedicatur sapientiae Dea; non eandem esse utramque res ipsa satis indicat. Simplicius ejus nomen silet; Plato *γένεσιν*, Plutarchus *Ἀφροδίτην* nominat; utriusque locos ad vs. 131 annotabimus; Stobaeus Ecll. I, 23. p. 482 sq. varia ejus cognomina memorat, illa autem duo omittit. E quo facile colligi licet, etiam hanc Deam a Parmenide non proprio nomine designatam esse, sed *κατ' ἐξοχὴν Δαίμονα* vocatam.

Vs. 128 sqq. *πάντα γ' ἄρα στυγεροῖο κτλ.*) *γ' ἄρα* scripsi pro *γὰρ*, postulante metro; si quis malit post *γὰρ* inseri articulum *ἡ*, qui referatur ad *ἀρχή*, de more epico, non obsto. Ut haec daemon *ἀρχὴ*, sic *ἔρως* apud Orpheum *μέγας ἀρχὸς ἁπάντων* dicitur fragm. 15. p. 508 Herm. Sententia autem, si non turbata, tamen parum explicata est. Simplicissima verborum constructio videtur haecce: *τόκου καὶ μίξιος ἀρχὴ*

πέμπουσα πάντα ἔμιγε θῆλυ ἄρσενι, ἄρσεν θηλυτέρῳ, — in quibus πέμπουσα vix satis commodum praebet sensum; tum μίγεν accipiendum erit activa potestate, quum usitata sit solum passiva forma (ἐμίγην). Brandisius rescripsit μίσγειν, quod metro repugnat, nec sententiae satisfacit; in Simplicio legitur μιγέν, participium. Mihi olim Parmenidis manum restituisse videbar levi mutatione, corrigendo πέμπε σὺν pro πέμπουσ', et μιγῆναι pro μιγέν, hoc modo:

πάντα γ' ἄρα στυγεροῖο τόκου καὶ μίξιος ἀρχὴ
πέμπε σὺν ἄρσενι θῆλυ μιγῆναι, ἐναντία τ' αὖθις κτλ.

πέμπε συμμιγῆναι s. συνέπεμπε μιγῆναι, instar Homerici Il. α, 8: ξυνέηκε μάχεσθαι. Hujus conjecturae etsi me nondum poenitet, post tamen reputavi num sententia sic expediri possit, si ἀρχὴ πέμπουσα habeatur pro nominativo absoluto, tanquam legatur: πάντα ... τῆς ἀρχῆς πεμπούσης (ἀναπεμπούσης), ἔμιγεν (ἐμίγησαν) ἄρσενι θῆλυ, ἄρσεν θηλυτέρῳ. Constructio haec non aliena a Graecorum consuetudine; conf. Euripides Phoen. 290—292:

μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος, —
ἐν τῷδ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν.

Aristophanes Ran. 1437:

εἴτις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ,
αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα.

Accuratius explicant Valckenaer. ad Euripid. l. l. et nuper Bernhardy, Ling. Gr. Synt. p. 479 sq. Ad hunc modum latine interpretatus sum. πέμπειν pro ἀναπέμπειν, quod simili sensu usurpat Empedocles vs. 200:

τοὺς μὲν πῦρ ἀνέπεμπε, θέλον πρὸς ὅμοιον ἱκέσθαι.

στυγερὸς vocatur τόκος καὶ μίξις, propter ardoris vehementiam, ut *labor improbus*, *amor insanus*, *dira libido*, aliaque usurpantur a poëtis.

Vs. 131. πρώτιστον μὲν Ἔρωτα κτλ.) Amori Parmenidem exemplo Hesiodi praecipuas in natura fingenda tribuisse partes, jam Plato et Aristoteles ll. ll. animadverterunt. Ille

quidem in Symposio sic loquitur: Ἡσίοδος πρῶτον μὲν χάος γενέσθαι φησί, αὐτὰρ ἔπειτα γαῖ' εὐρύστερνος — ἠδ' ἔρος ... Παρμενίδης δὲ τὴν γένεσιν λέγει, πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων. Quaeritur hîc, ad quod subjectum referendum sit verbum μητίσατο. Mihi non dubium videtur quin pertineat ad γένεσιν, quae est eadem atque φύσις, vis genitalis, naturae et generationis tanquam parens. Hesychius: γένεσιν· πατέρα ἢ μητέρα.. quo fere sensu Homerus usurpat Iliad. ξ, 201, 302:

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

item Iliad. ξ, 246, quem versum alii Orpheo tribuerunt, et memoratur in Orphic. fragm. p. 478 Herm. cf. Orph. hymn. VI, 3. Simili quamquam non eadem plane potestate γένεσις ut subjectum ponitur in Platon. Phileb. p. 54 E: πείνην ἢ δίψαν ἤ τι τῶν τοιούτων ὅσα γένεσις ἐξιᾶται. Aristot. Coel. I, 10. p. 349 F: ἅμα δὲ τὸ αὐτὸ τεταγμένον εἶναι καὶ ἄτακτον ἀδύνατον, ἀλλ' ἀνάγκη γένεσιν εἶναι τὴν χωρίζουσαν καὶ χρόνον. Cf. Interpp. ad Hesych. T. I, c. 815. Secundum Platonem igitur e Parmenidis mente γένεσις habenda videtur Amoris parens; apud Plutarchum vero l. l. legimus: Παρμενίδης μὲν ἀποφαίνει τὸν Ἔρωτα τῶν Ἀφροδίτης ἔργων πρεσβύτατον, ἐν τῇ κοσμογονίᾳ γράφων· Πρώτιστον μὲν Ἔ. κτλ. Hic Amoris parentem Ἀφροδίτην vocat. Denique Simplicius nos docet, eandem, quam modo dixit naturae gubernatricem, Amoris quoque caussam esse: ταύτην καὶ θεῶν αἰτίαν εἶναί φησι λέγων, κτλ. ipsius vero nomen non addidit. Ex his satis, ni fallor, patet, cognomina, quibus Plato et Plutarchus hanc Daemonem appellant, magis naturam et vim ejus significare, quam proprium nomen, quo Parmenides usus sit, referre.

Vs. 132-138. εἴσῃ δ' αἰθερίαν κτλ.) Magnifice his versibus proponit rerum argumentum, de quibus in exponenda natura sit acturus. Itaque, explicatis rerum elementis caussisque, explicuit deinde praecipuas mundi partes et corpora, quae hic summatim memorantur: primum terrena; horum autem

mentio una cum antecedentibus versibus intercidisse videtur; deinde aetheria, quibus sidera solis, lunae, ceteraque continentur; tum coelestia, quibus stellae fixae comprehenduntur. Quorum omnium et originem (φύσιν) et vim (ἔργα), unde nata sint et quae efficiant, se expositurum pollicetur. Cum his concinunt fere Plutarchi dicta de Parmenidis cosmogonia, adv. Colot. p. 1114: διάκοσμον πεποίηται καὶ στοιχεῖα μιγνὺς τὸ λαμπρὸν καὶ σκοτεινὸν, ἐκ τούτων τὰ φαινόμενα πάντα καὶ διὰ τούτων ἀποτελεῖ· καὶ γὰρ περὶ γῆς εἴρηκε πολλὰ καὶ περὶ οὐρανοῦ καὶ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἄστρων. Parmenides autem aperte (vss. 132 et 136) distinguit αἰθέρα et οὐρανόν; illum appellat eam coeli regionem, in qua sol et luna versantur; hunc autem superiorem et quasi extremum mundi ambitum, cuncta cingentem (ἀμφὶς ἔχοντα), in quo astra seu stellae fixae sunt collocatae. Haec distinctio vulgari opinioni conveniens est, quamquam a doctis non semper observata, qui nomina αἰθὴρ et οὐρανός, similiter οὐρανὸς et κόσμος, saepius confuderunt aut varia ratione definiverunt, ut animadvertit jam Proclus in Timaeum p. 83, quamquam non satis accurate, dicens: τὰ ὀνόματα ταῦτα πολλὴν ἔσχε παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἀμφιβολίαν, τῶν μὲν τὸ ὑπὸ σελήνην μόνον κόσμον καλούντων, τὸ δὲ ὑπὲρ αὐτὴν οὐρανόν, τῶν δὲ τὸν οὐρανὸν μέρος τοῦ κόσμου λεγόντων· καὶ τῶν μὲν ἄχρι σελήνης αὐτὸν ὁριζόντων, τῶν δὲ καὶ τὰ ἄκρα τῆς γενέσεως οὐρανὸν προσκαλούντων. Itaque non miremur si nec ipse Parmenides hoc discrimen ubique diligenter observaverit, quo facile factum, ut a serioribus perturbatum sit, sicut fecisse videtur Stobaeus Ecll. p. 484. cf. dissertat. § 23.

Vs. 132. sq. αἰθερίαν φύσιν, h. e. τὴν τοῦ αἰθέρος γένεσιν, ὁπόθεν ἐξεγένετο. σήματα vocantur sidera et stellae, τείρεα apud Homerum Iliad. σ, 485, unde et Latinis signa; sive e veteri superstitione sic appellata παρὰ τὸ τερατώδη καὶ σημειώδη ταῦτα εἶναι, ut vulgo putant; sive, quod mihi probabilius videtur, ex oculorum adspectu, quod sidera quasi lu-

cidis signis distinguunt coelum et tempora dividunt. cf. Intpp. ad Hesych. v. τείρεα; Davis. ad Cicer. N. D. 1, 9.

Vs. 133. sq. καθαρᾶς — ἀΐδηλα) Verba sic cohaerent: ἔργα καθαρᾶς λαμπάδος εὐαγ. ἠελ. In interpretando autem constructionem paullum mutavi perspicuitatis gratia. ἠελίοιο λάμπας non insolitum poëtis: cf. Eurip. Med. 353; Lucret. V, 609. — ἔργα ἡλίου, σελήνης, sunt siderum illorum tam actiones quam affectiones, cursus, defectio, vis in rerum naturam. Sic Aristoteles Metaph. I, 7. p. 652 A: τὰ τῶν φερομένων ἔργα κατὰ τὸν οὐρανόν, pro quo paullo ante distinctius dicit ἔργα καὶ πάθη. Proclus in Parm. T. IV, p. 55: τὴν φύσιν καὶ τὰ ἔργα τῆς φύσεως. Sic Virgilius quoque, Graecos forsitan imitatus, *solis* et *lunae labores* dicit, Georg. II, 478; Aen. 1, 742; qui tamen praesertim defectiones spectat. — Appellantur ἀΐδηλα, ut quorum caussae vulgus latent; vocabulum hoc, frequens epicis, egregie explicat Buttmann. Lexilog. I, p. 247 sqq. cf. Hesiod. Ἔργ. 754 (756); fragm. ex Ἠοίαις apud Scholiast. Pindar. Pyth. III, 14.

εὐαγέος, vocabulum ambiguae originis et potestatis. Ductum ab ἄγος significat *piaculi expers*, *purus*, *insons*; ductum ab ἄγω notat *agilis*, tum etiam, auctore Suida, εὐαγής sign. καλῶς περιηγμένος et μεταφορικῶς κύκλος ita appellatur. Quae significatio huic loco congruere visa est Heinrichio, qui interpretatur eodem sensu quo mox κύκλωψ appellatur luna, et laudat Toupium Emendatt. in Suidam, P. III, p. 559 Lips. (P. II, p. 366.) Eadem significatione simplex vocabulum ἀγής, quamquam insolens, usurpasse videtur Empedocles de sole dicens:

ἄθρει μὲν γὰρ ἄνακτος ἐναντίον ἀγέα κύκλον.

qui versus jam a Ruhnkenio editus et relatus in Beckeri Anecdotis p. 337, Sturzium in Empedocleis fugit. Probabilior tamen et aptior h. l. mihi videtur alia vocis significatio, notata item a grammaticis multisque veterum testimoniis firmata, qua εὐαγὴς valeat idem quod εὔοπτος, ἀγλαός, λαμπρός, quae sunt nota Solis epitheta. Sic usurpatur in Aeschyli Pers.

458 (466); Euripid. Suppl. 654; Bacch. 662; apud Platonem Tim. p. 58 D: ἀέρος τὸ μὲν εὐαγέστατον ἐπίκλην αἰθὴρ καλούμενος, ὁ δὲ θολερώτατος ὀμίχλη τε καὶ σκότος. Legg. XII, p. 952 A: ἃ μαθοῦσι μὲν εὐαγέστερον γίγνεσθαι, μὴ μαθοῦσι δὲ σκοτωδέστερα... καὶ ἀσαφῆ. et alibi. Eadem notio placebat quidem Hemsterhusio, hoc vocabulum explicanti ad Eurip. Suppl. l. l. (Vol. II, p. 361 Musgr.); istam tamen significationem in hoc vocabulo inesse non censebat, sed eo sensu et in Parmenide et in ceteris quos citavimus locis pro εὐαγὴς reponi volebat εὐαυγής. Huic multi sunt adsensi: quorum quamvis me moveat auctoritas, tutius tamen arbitror eos sequi, qui vocabuli formam constanti librorum scriptura et grammaticorum testimoniis munitam non sollicitandam putant, praesertim quum analogiae non repugnet. Arnaldus ad Hesychium ducit ab ἀγὴ (pro αὐγὴ); potius repetendum puto a stirpe γάω, γαίω, γαύω, quae verba conversis literis multa et varia pepererunt vocabula, ut αἰγή, αὐγή, ἀγαυός. Quidni igitur eadem ratione a γάω factum sit εὐαγής et εὐάγητος, mutata forma pro εὐγαής, εὐγάητος (sicut a cognato verbo γάθω sive γήθω derivantur εὐγαθής, εὐγήθητος)? Itaque formae εὐαγὴς et εὐαυγὴς non magis inter se differunt quam utriusque vocabuli stirpes γάω et γαύω; simili modo variata quoque sunt verba ἄω αὔω, ἀὴρ αὖρα, ἀτμὴ ἀϋτμή, ἄλοξ αὖλαξ. Caeterum εὐαγὴς vulgo habet penultimam brevem, hic productam vi rhythmi; similiter in Empedoclis vs. cit. et in Leonidae epigr. Anthol. Gr. VI, 27, 6.

Vs. 135 sqq. ἔργα.... περίφοιτα, ex emendatione Scaligeri; vulgo περὶ φοιτά. οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα, simili notione coelum informat Homerus, Il. σ, 485: πάντα τά τ᾽ οὐρανὸς ἐστεφάνωται. Reliqua in Clementis ms. Par. et edit. Flor. sic leguntur, ut in Poës. phil. edidit Stephanus:

ἔνθεν μὲν γὰρ ἔφυγε καὶ ὥς μιν ἄγουσ᾽ ἐπέδησεν
ἀνάγκη πεῖρατ᾽ ἔχειν ἄστρων.

Scaliger, ejectis particulis μὲν γὰρ, versus in ordinem restituit.

ἐπέδησεν ἀνάγκη.) Locutionem hanc notavimus vs. 96; hinc etiam, ut Heinrichius annotat, ἀνάγκης ζεύγματα dicuntur, explicata a Jacobsio Exercitt. in Scriptt. Vett. T. I, p. 97 sq. — Coelum autem dicitur πείρατα ἔχειν ἄστρων, quod duplici modo videtur posse intelligi, ob duplicem significationem verbi πείρατα, quod et *vincula* et *fines* notat. Priore sensu erit: *Coelum tenet astrorum vincula*, h. e. astra habet illigata; quod optime convenit in stellas fixas, τὰ ἀπλανῆ, quae, ut antiqui scriptoris verbis utar, τῷ σύμπαντι οὐρανῷ συμπεριστρέφονται τὰς αὐτὰς ἔχοντα ἕδρας. (Aristot. de mund. c. 2, p. 465 D.) Has stellas coelo illigatas esse vulgaris erat priscorum physicorum opinio, ut Empedoclis, et jam ante Anaximenis. Vid. Plutarch. plac. phil. II, 13, 14; Stobaeus Ecll. phys. I, 25. p. 506, 510. Vel ἄστρων πείρατα interpret. *astrorum fines*, h. e. astra coelum terminantia, quippe quae ultimam ejus oram obtineant. Eudemus Phys. III: τὰ δὲ ἄστρα, καὶ ὅσα ἐντὸς τοῦ ἐξωτάτου σώματος (videlicet τοῦ κόσμου), ἐν τῷ ἐκείνου πέρατι ἐστὶν ἢ περιέχον ἐστίν. (apud Themist. Phys. IV, f. 40 A. Ald.) Dictionis formam similem vidimus vs. 81.

Vs. 139. sqq. πῶς γαῖα καὶ ἥλιος κτλ.) His versibus, qui argumento cum antecedentibus conveniunt, Parmenides orsus videtur rerum originem describere, sicut Simplicii verba l. l. indicant: Παρμ..... (μέλλων) περὶ τῶν αἰσθητῶν ἄρξασθαι, φησὶ λέγειν, πῶς γαῖα κτλ. Notat autem praecipuas naturae res de quibus in carmine expositurus sit, tum etiam, quantum patitur metrum, ordinem indicat quo coelestia corpora sibi succedant. Incipit a terra, quam in medio mundo collocavit, deinde memorat aetherem et aetheria corpora, solem atque lunam; tum viam lacteam; postremo olympum (sive coelum) et astra.

Vs. 140 sq. αἰθὴρ ξυνός (κοινός), aether communis, sive naturâ cognatus scil. soli et lunae, aethereis corporibus, quae modo memoravit. γάλα οὐράνιον, i. e. ὁ γαλαξίας κύκλος, etiam

simpliciter γάλα appellatum, ut Aristot. Meteor. I, 8. p. 417. Ὄλυμπος ἔσχατος idem qui modo οὐρανὸς appellatus; poëticum hoc nomen usurpant etiam Empedocles vs. 170, apud Galen. de esu partium III, 3; et Philolaus, teste Stobaeo Ecll. Phys. I, 23. p. 488: τὸ μὲν οὖν ἀνωτάτω μέρος τοῦ περιέχοντος, ἐν ᾧ τὴν εἰλικρινείαν εἶναι τῶν στοιχείων, Ὄλυμπον καλεῖ. Utriusque vocabuli rationem interpretatur Aristotelicus auctor libri de mundo cap. 6. p. 474 C, dicens summam mundi regionem vocari οὐρανὸν μὲν ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶναι τῶν ἄνω, Ὄλυμπον δὲ οἷον ὁλολαμπῆ καὶ παντὸς ζόφου καὶ ἀτάκτου κινήματος κεχωρισμένον. — ἄστρων θερμὸν μένος; haec enim e Parmenidis mente e calidâ materie, purâ luce sunt concreta. Simili modo Empedocles dicit vs. 356: αἰθέριον μένος. vs. 401: ἀνέμων μένος. cit. Peyron.

Vs. 143. νυκτιφαὲς περὶ κτλ.) Hic et proximus versus ad lunam pertinent, quam, sicut plerique physici, secundariam esse et a sole illustrari docet. Cf. Stobaeus Ecll. Phys. I, 27. p. 556 sq. νυκτιφαὲς pro vulg. νυκτὶ φάος restituit Scaliger; similiter legit Is. Casaubonus ad Diogen. Laërt. II, 1, atque edidit Fuelleborn. qui citat Orph. hymn. LIV (53), 10: ὄργια νυκτιφαῆ. — ἀλώμενον, sicut Virgilius *errantem lunam* dicit, Aen. I, 742. — Cum Parmenide Casaubonus comparat Anaximandri sententiam, qui lunam vocasse dicitur ψευδοφαῆ, teste Diogene l. l. quamquam de hoc non satis constat. Manifesto illius sententiam expressit Empedocles, vs. 173, de luna canens:

κυκλοτερὲς περὶ γαῖαν ἑλίσσεται ἀλλότριον φῶς.

Vs. 144. αἰεὶ παπταίνουσα) Simili tropo Empedocles utitur de sole, quem dicit coelestis fulgore lucis accendi, vs. 170:

αὐταυγεῖν πρὸς Ὄλυμπον ἀταρβήτοισι προσώποις.

Vs. 145-148. Spectant hi versus ad humanam naturam et ingenium: ut totius mundi sic hominum quoque naturam Parmenides conflari docet ambobus elementis, quorum vi intellectum sensumque contineri; et diversâ eorumdem temperie inge-

niorum diversitatem exsistere censet. Caeterum secutus sum in his, auctore Stephano Poës. phil., lectionem Theophrasti, quae Aristotelis lectioni anteponenda mihi videtur.

Vs. 145 sq. ὡς γὰρ ἑκάστῳ ἔχει κρᾶσις.) Pro hoc Aristoteles: ὡς γὰρ ἕκαστος ἔχει κρᾶσιν; ad sensum nullum est discrimen; sed ὡς ἑκάστῳ ἔχει κρ. concinnius, quia congruit sequenti τῶς νόος ἀνθρώποισι παρέστηκεν. Pro πολυπλάγκτων Aristoteles πολυκάμπτων; sed illud aptius indicat membrorum naturam fluxam et inconstantem. πλαγκτός, πλάζεσθαι, supra vs. 47 sq. de fluxa et incerta mente vidimus. — Pro παρέστηκεν idem παρίσταται, quod repugnat metro. νόος hic non sublimiorem mentis vim, sed communem sensum et intelligentiam notat.

Vs. 146 sq. τὸ γὰρ αὐτό ἐστιν ὅπερ κτλ.) h. e. *membrorum complexio est id ipsum quod sapit* sive *ipse νοῦς*.' Hinc quod Aristoteles et Theophrastus aiunt, Parmenidem αἰσθάνεσθαι et φρονεῖν, αἴσθησιν et φρόνησιν idem intellexisse. μελέων φύσις dicitur quoque ab Empedocle vs. 244.

καὶ πᾶσιν καὶ παντί.) Ambo haec vocabula idem, credò, significant quod simplex πᾶσι, simili fere pleonasmo quo dici solet ὅλῳ καὶ παντί, πᾶν διὰ παντός, al. cf. not. ad vs. 32; nisi tamen hoc intersit, ut πάντες sint *omnes homines*, πᾶς autem *homo omnis*, omni vita, omnibus vitae actionibus corporisque vicissitudinibus.

Vs. 148. τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα.) Hoc Theophrastus ita interpretatur: δυοῖν ὄντοιν στοιχείοιν, κατὰ τὸ ὑπερβάλλον ἐστὶν ἡ γνῶσις. ἐὰν γὰρ ὑπεραίρῃ τὸ θερμὸν ἢ τὸ ψυχρὸν, ἄλλην γίνεσθαι τὴν διάνοιαν. Aristoteles l. l. cum Parmenide comparat Empedoclis placitum (vs. 321 sqq.): Ἐμπεδοκλῆς μεταβάλλοντας τὴν ἕξιν (μελέων κρᾶσιν vocat Parmenides) μεταβάλλειν φησὶ τὴν φρόνησιν· πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ἀνθρώποισιν.

Vs. 149. δεξιτεροῖσιν μὲν κτλ.) Eandem opinionem comprobasse videtur medicorum parens, qui, interprete Galeno,

observavit : ἔμβρυα τὰ μὲν ἄῤῥενα ἐν τοῖσι δεξίοισι μέρεσι τῆς μήτρας μᾶλλον εὑρίσκεται συνιστάμενα, τὰ δὲ θήλεα κατὰ τὸν ἕτερον κόλπον αὐτῆς τὸν ἀρίστερον. Idem Anaxagorae quoque et aliis philosophis placuit. Cf. Menagius ad Diogen. L. II, 9. Obss. p. 75.

Vss. 150-155. Coelius Aurelianus hos versus citans, haec addit: » Parmenides in libris, quos de natura scripsit, eventu » inquit conceptionis molles aliquando seu subactos homines » generari; cujus quia Graecum est epigramma, et hoc ver» sibus intimabo; latinos enim, ut potui, simili modo com» posui, ne linguarum ratio misceretur." Sequuntur deinceps versus, quibus hanc subjungit explicationem : » Vult » enim seminum praeter materias esse virtutes, quae, si se » ita miscuerint ut (scr. pro et) ejusdem corporis faciant (sc. vim) » unam, congruam sexui generent voluntatem; si autem » permixto semine corporeo, virtutes separatae permanserint, » utriusque veneris natos appetentia sequatur." Intelligitur ex his Parmenidem censuisse, utriusque seminis (maris et feminae) temperie natos concipi et natorum tam ingenia quam corpora generari. Inesse enim semini praeter materiem etiam vires seu virtutes, quibus hominum indoles formetur. Si congruant utriusque seminis vires, bene condita corpora et naturas exsistere; si inter se pugnent, nasci homines fractos et perversa natura. Caeterum Coelium non ipsius Parmenidis carmen, sed fragmenta tantum vidisse, patet ex ejus dictis; alioquin non loqueretur de libris quos ille de natura scripsit, quum unus modo Parmenidis liber exstiterit; nec epigramma vocaret versus e continuo carmine excerptos. Cf. Brandis. p. 131. De ejus autem interpretatione, quum Graeca desint, juste aestimare nobis non licet; inest tamen Graecae orationis color, et versuum argumentum cum Parmenidis aliorumque istius aetatis placitis congruit.

Vs. 150 sqq. *Veneris germina miscent*, h. e. miscendo serunt, quo liberorum generatio et conceptio significatur; usi-

tata metaphora. — *Venis* jung. cum. *miscent; venae, nervi, membra*, Graecis φλέβες, νεῦρα, genitales praecipue partes vocantur; minus apte igitur Brandis hoc vocabulum junxit cum proximo *informans*. — *informans ... virtus* est ea, quam philosophi appellant δύναμιν εἰδοποιόν; vis quae diversa in unum conciliat, posita illa in variorum elementorum consensione. — *temperiem servans*, h. e. justam temperiem sive modum tenens. Graece sic fere interpretari liceat: μορφώσασα φύσις ἐξ ἐναντίου αἵματος, κρᾶσιν ποιήσασα, εὐάρμοστα σώματα πλάττει.

Vs. 154 sq. *nec faciant unam*, nempe *virtutem* vel *temperiem*, qua inter se concordent. — *nascentem gemino semine*, i. e. *ambigenum*, ut appellat Evanthius, (Epigr. Pithoei, IV, p. 129) non tamen sicut ille intelligit, *dispari nuptu constantem*, tanquam mulum et lyciscam, sed dispari seminis natura et virtute conflatum. Parmenides usus est fortasse verbo διφυής; non dissimili significatione Empedocles νεικεογεννήτης dicit, cujus vs. statim laudabitur. Coelius autem intelligere videtur ἀνδρόγυνον, quum molles seu subactos homines significari dicat; prouti mox etiam *diras* vs. 154 interpretatur nefarium amorem, seu utriusque veneris appetentiam. Et sane furias, furorem de vehementi ac dira libidine dici non insolitum; probabilius tamen, Parmenidem universe significasse homines indole et temperie inaequales, contrariis libidinibus actos et corporis morbis vexatos. Itaque *dirae* intell. contraria studia et vires; quo sensu ἔριδες appellantur ab Empedocle, vss 223, 353. Si Parmenidis sententiam universe quaeramus, voluit, inesse in corporibus naturae quandam viriumque vel consensionem vel discrepantiam, quae diversam efficiant et membrorum complexionem et ingenii indolem. Sic obscurius praecepit idem, quod clarius Empedocles exposuit, docens, duas esse rerum efficientes caussas, Concordiam et Discordiam, quarum vim tam in universo mundo quam in singulis rebus dominari. De utriusque viribus ille vs. 130 sqq. ita canit:

> ὅσα κρᾶσιν ἐπαρκέα μᾶλλον ἔασιν,
> ἀλλήλοις ἔστερκται, ὁμοιωθέντ' Ἀφροδίτῃ.

contra

> Ἔχθει πλεῖστον ἀπ' ἀλλήλων διέχουσι, μάλιστα
> γέννῃ τε κράσει τε καὶ εἴδεσιν ἐκμακτοῖσι,
> πάντῃ συγγίγνεσθαι ἀήθεα καὶ μάλα λυγρά,
> νεικεογεννέστῃσιν ὅτι σφίσι πᾶν γένος ὀργῇ.

Hic alia dicit κρᾶσιν ἐπαρκέα, *ad mutuam temperiem idonea*, alia his opposita, συγγίνεσθαι ἀήθεα, *dissociabilia;* illa Venere conciliantur, haec Discordia dirimuntur irâ concitata. Quae Parmenideis perquam sunt similia.

Vs. 156 sqq. Οὕτω τοι κατὰ δόξαν κτλ.) Hos versus post expositionem rerum naturae collocatos fuisse, cum ipsa indicant verba, tum Simplicius animadvertit, addens: παραδοὺς δὲ τὴν τῶν αἰσθητῶν διακόσμησιν, ἐπήγαγεν· Οὕτω τοι κτλ. Post haec deinceps varia rerum nomina, quae ad mundi partes et descriptionem, ad naturae ortum et interitum pertinerent, explicuisse videtur, quod ultimus versus significat.

Vs. 156, pro ἔφυ Moërbeka oculis male lippus legit ἔφη, vertit enim *inquit;* et vs. sq. pro τραφέντα denuo γράφοντα, *scribentem* interpretans. Illius errores propagavit editionis Aldinae interpres. Pro νῦν τε ἔασι, vulgo νῦν ἔασι. Copulam inseruit Peyronus, quam retinuit etiam Moërbeka, interpretatus: »*et* nunc sunt *et* postea." Hiatus si quem offendat, consulat annot. vs. 38. — τραφέντα *completa, ad maturitatem perducta.* Homerus Il α, 251: τράφεν ἠδ' ἐγένοντο, *nati erant et floruerant.* Empedocles 151: ἀλλ' ὅτε δὴ μέγα Νεῖκος ἐνὶ μελέεσσιν ἐθρέφθη. — Duo ultima verba, ἐπίσημον ἑκάστῳ, transposui; vulgo ἑκάστῳ ἐπίσημον, refragante metro.

Pag. 48. 1. Verba a Platone hoc loco memorata, οὐ γὰρ μή π. ..... εἶναι μὴ ὄντα, plerique pro Parmenidis dictis habuerunt, sicut versus qui subjungitur petitus est ex ipsius carmine, vs. 52. Hinc in numeros quoque redigere studuit Heindorfius, sic legendo:

οὐ γὰρ μή ποτε τοῦτο δαμῇς, εἶναι μὴ ἐόντα.

Heindorfium auctorem secutus Stallbaumius ita edidit. Retinere tamen eos ab hoc incepto debuerant ipsa Platonis verba quae praecedunt, πεζῇ τε καὶ μετὰ μέτρων, quae certo non temere ab illo addita sunt; tum etiam Aristotelis et Simplicii consentiens auctoritas, a quibus idem dictum iisdem verbis laudatur. In Simplicio quidem variat lectio; loco, quem primum citavimus, Platonis verba referens sic legit: οὐ γὰρ μή ποτε τόγε μὴ ὂν οἷόν τε εἶναι, ἀλλὰ σὺ τῆς δ' ἀφ' ὁδοῦ κτλ. — altero loco vulgatam tenet, tantum quod vitiose τούτου habet pro τοῦτ'; tertio denique sic: οὐ γὰρ μήποτε τόγε μηδαμῇ εἶναι μὴ ὄντι. Nusquam vero apparet ullum metri vestigium. Quid igitur? Num credendum, Parmenidem etiam prosa oratione scripsisse, et ex hujusmodi scripturae genere haec verba esse deprompta, sicut nonnulli e Platonis verbis collegerunt? (vid. p. 17 sq.) Atqui pedestri sermone Parmenidem scripsisse, nullum probabile exstat indicium, nec Plato dicit; memorat vero s e r m o n e s a Parmenide habitos, quibus Socrates interfuerit, quos vocabulo πεζῇ significat: itaque non mirandum si Parmenidem hîc pedestri oratione utentem fecit. Habemus igitur Parmenideam sententiam Platonicis verbis expressam, quod indicat ipse orationis color, iteratis negandi particulis, οὐ μήποτε οὐδαμῇ, quibus Plato maxime delectatur: e. g. Legg. XII, 684 A: οὐ πρέπον... γίγνεσθαι τοιοῦτον οὐδὲν οὐδαμῇ οὐδαμῶς. Multa hujusmodi exempla collegit Wyttenbachius, Annot. ad Phaedon. p. 199. Porro etiam ὄντα non videtur esse a Parmenide, qui singulare ἐὸν usurpare solet, quod ipsum nonnulli hîc reponendum censuerunt; sed profectum est illud a Platone, ideoque scripsi sic ut in plerisque

Platonis et Simplicii editt. legitur, ὄντα, non ἐόντα, quae est lectio Aristotelis l. l. Aristoteles autem videtur hoc dictum a Platone mutuatus esse; Simplicium certe fecisse liquet. — Caeterum Parmenidis sententiam vidimus supra vss. 39, 44.

Ibid. 2. Qui Parmenidem prosa oratione scripsisse crederent, haec dicta, quae Simplicius memorat, pro veris habuisse non mirum; etsi plura in his insunt indicia quae fidem hujus loci labefactant. Interjectum ferebatur hoc fragmentum inter medios Parmenidis versus (μεταξὺ τῶν ἐπῶν); ergo ab aliena saltem manu interpositum. Unde autem depromtum? Simplicius ignorat, imo fidem ejus addubitat, ut significat verbis ὡς αὐτοῦ Παρμενίδου. Denique, ut pridem diximus, Parmenidis scriptum pedestri sermone nullum memoratur. Quamquam vero non ab ipso auctore sit profectum, congruit tamen cum ejus doctrina, et continet praecipuas notas quibus duo rerum elementa ab ipso in carmine, vss. 115-120, distinguuntur, nisi quod hîc clarius notatae et aptius distributae sunt quam in ipsius versibus. Itaque probabile est, profectum esse ab aliquo interpretum, qui philosophi placita in compendium redigeret et ordine disponeret, deinde autem, explicandi gratia, Parmenidis versibus adsutum fuisse.

ἐπὶ τῷδε ἐστὶ τὸ ἀραιὸν καὶ τὸ θερμὸν — — ἐπὶ δὲ τῷ πυκνῷ κτλ.) Haec non satis distincte sibi opposita sunt; melius responderent vel hoc modo: ἐπὶ τῷδε ἐστὶ — — ἐπὶ δὲ τῷδε τὸ πυκνόν. vel ita: ἐπὶ τῷ ἀραιῷ ἐστὶ τὸ θερμὸν — — ἐπὶ δὲ τῷ πυκνῷ κτλ. Caetera bene sibi respondent. Ut θερμὸν et ψυχρόν, sic φάος et ζόφος opposita sunt; Plutarch. de pr. frig. vol. IX, p. 736 (Reisk.): ἀντίκειται γὰρ ὡς τῷ λαμπρῷ τὸ ζοφερόν, οὕτω τῷ θερμῷ τὸ ψυχρόν. Ultima verba, ταῦτα γὰρ ἀπεκρίθη, respondent vs. 114: ἀντία δ' ἐκρίναντο.

Ibid. 3. Verba haec, quae Suidas, eoque auctore ceteri Parmenidi tribuunt, mihi non dubium est quin petita sint e Platonis Parmenide, qui dialogus fere Parmenidis nomine significari solet a veteribus; in quo haec verba leguntur p. 135 A:

ὃ ἄρτι ἐλέγομεν, θαυμαστῶς ὡς δυςανάπειστον εἶναι. Dictio θαυμαστῶς s. θαυμασίως ὡς Platonicae consuetudini congruit; quod exemplis ostendit Wyttenbach. Phaedon. Annot. p. 251. Veteres grammatici ὡς hac constructione interpretantur λίαν. Eusthath. ad Iliad. α, p. 79. l. 36; Thomas Mag. in v. p. 933. Respondet autem Latinorum particulae *quam*, in *perquam*, *sanequam*, al. cf. Astius in Platon. Phaedr. additam. ad calcem Politiae, p. 639 sq.

Ibid. 4. Cum Suida et Photio concinit Hesychius, v. μακάρων νῆσος, qui tamen Parmenidis nomen omittit. Fuelleborn. dubitat, num significetur alius Parmenides, ῥήτωρ τεχνογράφος, cujus meminit Diogenes L. IX, 23 extr. Non liquet; etsi facile credo potius a seriorum quovis quam a Parmenide hanc appellationem profectam esse. Praecipuus hac in re testis est Scholiastes Lycophronis, ad Cass. vss. 1194-1204: κατά τινας ὁ Ζεὺς ἐν Θήβαις ἐτέχθη καὶ τὰς μακάρων νήσους ἐν Θήβαις φασὶν εἶναι, ... ἔνθα καὶ ἐπιγέγραπται τάδε·

ἀλλ᾽ εἰσὶ μακάρων νῆσοι, τόθι περ τὸν ἄριστον
Ζῆνα θεῶν βασιλῆα Ῥέη τέκε τῷδ᾽ ἐνὶ χώρῳ.

.... Μακάρων δὲ νήσους τὰς Θήβας ὁ ἐπιγραμματογράφος ἐκάλεσε, κολακικῶς εἰκάζων τὰς Θήβας νήσοις μακάρων. Tum eodem cognomine apud Lycophronem Thebas significari dicit, ubi ille in Hectorem ita canit:

ἀλλ᾽ ἥξεταί σε πρὸς γενέθλιον πλάκα, —
νήσοις μακάρων δ᾽ ἐγκατοικήσεις μέγας.

Spectat haec Eustathius Od. δ, p. 1509: ὅτι δὲ καὶ περὶ Θήβας τὰς ἑπταπύλους ἐφιλοτιμήσαντό τινες νήσους μακάρων εἰπεῖν, διὰ τὸ κατὰ τὴν χώραν εὐδαῖμον, οἱ τοῦ Λυκόφρονος δηλοῦσιν ὑπομνηματισταί. Compilavit Natalis Comes, Myth. III, 19. In his autem nihil est quod philosophum Parmenidem hujus cognominis auctorem prodat. Caeterum nota Thebarum amoenitas; vid. Spanhemius in Callimach. h. Del. vs. 87. Simili cognomine locus ibi erat Διὸς γοναὶ vocatus, ut notat Meurs. ad Lycophr. l. l.

DE

PARMENIDIS

PHILOSOPHIA ET PLACITIS.

DE PARMENIDIS PHILOSOPHIA.

§ 1.

PROOEMIUM.

Hactenus in interpretando Parmenidis carmine operam dedimus, ut singula ejus dicta singulasque sententias accurate explicaremus; jam deinceps Parmenideam philosophiam enarrare nobis propositum est, ita, ut ipsius rationes et placita ordine exponamus, eaque comparandis et aequalium philosophorum placitis, et seriorum scriptorum et interpretum testimoniis ac judiciis, quantum fieri possit, illustremus.

Ordiamur a prooemio, quo tanquam aditu ipse in interiorem nos philosophiam ducit. Cujus dispositio et sensus quum nonnullis partibus sit obscurior, non alienum erit summam paucis adumbrare.

Poëta generosis se vectum equis sublime efferri fingit ad templum Deae quae rerum arcana tenet. Iter ingredienti duces se praebent Heliades nymphae, quae, relicta tenebrarum regione, mox eum in lucis viam educunt cursumque dirigunt. Sic volante curru in locum devenere, *partes ubi se via findit in ambas* [1], quarum una lucis, altera noctis via est;

(1) Virgilius.

ante earum aditum est porta quam custodit Justitia claves tenens, quae nympharum exorata precibus januas benigne recludit. Tum passis foribus intrat et pervenit in adytum Deae; quae comiter exceptum salutat, ad sapientiae studium hortatur, et deinde omnia ei tam veritatis placita quam opinionum commenta explanat. Itaque illius Deae ore totum deinceps carminis argumentum exponitur [2].

Imago haec sive allegoria, quam Parmenides carmini praeposuit, inter praeclarissima philosophicae poëseos exempla merito est habenda. Non tantum eo valet, ut per hoc tanquam illustre vestibulum legentes ad doctrinae penetralia ducat, sed simul fictâ imagine interiorem rationis suae sensum mentemque philosophus expressit. Hoc etiam veteres animadverterunt; Sextus Empiricus, qui prooemium illud servavit, hanc addit interpretationem [3]: Ἐν τούτοις Παρμενίδης Ἵππους μέν φησιν αὐτὸν φέρειν τὰς ἀλόγους τῆς ψυχῆς ὁρμάς τε καὶ ὀρέξεις· κατὰ δὲ τὴν πολύφημον ὁδὸν τοῦ Δαίμονος πορεύεσθαι, τὴν κατὰ τὸν φιλόσοφον λόγον θεωρίαν, ὡς λόγος προπόμπου δαίμονος τρόπον ἐπὶ τὴν ἁπάντων ὁδηγεῖ γνῶσιν· κούρας δὲ αὐτοῦ προάγειν τὰς αἰσθήσεις, ὧν τὰς μὲν ἀκοὰς αἰνίττεται ἐν τῷ λέγειν,

δοιοῖς γὰρ ἐπείγετο δινωτοῖσι
κύκλοις,

τουτέστι, τοῖς τῶν ὤτων, τὴν φωνὴν δι' ὧν καταδέχονται· τὰς δὲ ὁράσεις Ἡλιάδας κούρας κέκληκε, δώματα

(2) Vid. vss. 1—28.

(3) Sextus Empiric. VII, s. 112 sqq.

μὲν νυκτὸς ἀπολιπούσας, ἐς Φάος ὠσαμένας, διὰ τὸ μὴ χωρὶς Φωτὸς γίνεσθαι τὴν χρῆσιν αὐτῶν· ἐπὶ δὲ τὴν πολύποινον ἐλθεῖν Δίκην καὶ ἔχουσαν κληΐδας ἀμοιβούς, τὴν διάνοιαν ἀσφαλεῖς ἔχουσαν τὰς τῶν πραγμάτων καταλήψεις· ἥτις αὐτὸν ὑποδεξαμένη ἐπαγγέλλεται δύο ταῦτα διδάξειν κτλ. Haec quidem Sextus; quae legenti statim apparet, plura ab illo esse parum accurate enarrata; veluti quum Deam sapientiae appellat πρόπομπον δαίμονα, quo munere Heliades funguntur; quum has nymphas currum anteire (προάγειν αὐτοῦ) dicit, quae ipsum tanquam aurigae vehunt; quum Justitiam templi custodem cum ipsâ sapientiae Deâ confundit. In sensu autem interpretando, peccat vulgari grammaticorum vitio fabulas explicantium: haeret in singulis verbis et imaginibus, summam totius allegoriae et significationem non videt; argute indagat ea in quibus nihil est reconditi, quae vero philosophi mentem dilucide ostendunt, non cernit. Attendamus singula.

Parmenides philosophiae iter ingrediens equos sibi fingit: hos Sextus interpretatur immoderatas animi cupiditates, ductus, credo, similitudine Platonicae illius imaginis in Phaedro, ubi equorum, qui animum vehunt, alter fingitur indomita libidine ad prava propellens; sed istam significationem ab hoc loco alienam esse, quis non videt? quomodo enim immoderatae cupiditates possent duces fingi ad sapientiam? Porro itineris comites se praebent Heliades: has puellas Sextus interpretatur oculos, (ductus fortasse vocabulo κόρη, quae et *puellam* et oculi *pupillam* notat): nam

ut Heliades sole natae in lucem tendant, sic oculos lucem requirere ad cernendum, eosque mentis ministros esse. At quomodo consentaneum, Parmenidi oculos duces ad sapientiam haberi, qui sensus ut fallaces spernat, oculis auribusque confidere vetet, solâ mente cognoscere jubeat? non oculorum ille lumen requirit ad cognoscendum, sed mentis lucem divinitus datam. Ad idem sensuum ministerium Sextus currum quoque refert, rotarum orbes interpretans aures, et faceta δινωτοῖσι (κύκλοις) quasi δι' ὤτων accipiens. Mirum quod non pari modo nobis explicuerit, quid axes, quid portarum claustra, quid clavi significent. Grammatico placeant istiusmodi argutiae, poëta non magis quam philosopho indignae sunt; ac profecto nisi Sextum nimium interpretandi acumen fefellisset, sensisset ipse, istam singularum partium descriptionem valere tantum ad illustrandam imaginem, reconditam vero significationem non habere. Sensus allegoriae non tam abstrusus est, ut operosam istiusmodi interpretationem requirat, sed in aperto positus est sponteque elucet.

Equi, quibus poëta ad coelestia evehitur, quid aliud significant quam philosophiae ardorem, quo excitatur non ad humilia et terrena, sed ad alta et divina spectandum? Dea autem in aethere habitans significat, scientiam et veritatem non in terrena sede, sed in coelesti regione posita esse, nec humanâ doctrinâ, sed divinâ ratione et instinctu posse agnosci, ac tum maxime, quum animus e terris quasi in coelum evolaverit. Viam autem illuc monstrant Heliades,

quippe quod nemini nisi Deorum ductu eo liceat pervenire. Templi custos est Justitia, quam nisi placaveris, ad divinum consortium admitti nequeas: ergo philosophum oportet esse sanctum et justum, nec sine religione et fide ulla est sapientia. Sic etiam Empedocles, Musam invocans, pietatem ab ea precatur dicens vs. 343:

Πέμπε παρ' εὐσεβίης ἐλάουσ' εὐήνιον ἅρμα.

Denique geminae viae, altera lucis, altera noctis, significant duo cognitionis genera, veritatem et opinionem, quarum illa aeterna, haec mortalia complectitur. Quarum rationum utramque Parmenides in carmine separatim persequitur.

Hic est sensus hujus allegoriae, quae quamquam parum limata verbis, tamen imaginis elegantia et dignitate excellit, atque egregie ostendit indolem veteris philosophiae, quae non minus quam poësis cum ἐνθουσιασμῷ erat conjuncta. Docet hoc et illustri exemplo ostendit Plato in Phaedro [4], ubi philosophiae originem indagans, fingit hominum animos, prius quam in terras delapsi et in hunc veluti carcerem detrusi essent, in coelo degisse, et ibi beatos in beatorum choro verae spectasse pulcritudinis exempla, quorum in terris non nisi umbras cernamus; ex cujus vitae recordatione remansisse in animis quasdam divinarum rerum quasi scintillas, quae sapientiae ardorem excitent, hominesque illuc, unde orti sint, evehi impellant. Platonica haec imago si cum Parmenidea comparetur, quamquam dissimili est argumento et

(4) Plato Phaedr. p. 246 sqq.

ornatu, simili tamen est ingenio et sensu; ut non immerito Plato in hac exprimenda illum videatur imitatus: utrâque imagine veteris philosophiae vis et elegantia tanquam clarâ effigie est expressa.

§ 2.

ARGUMENTI DISTRIBUTIO.

Jam templi limen ingressi, ipsam Deam audiamus loquentem. Priusquam rationes suas explicare aggreditur, paucis proponit summam rerum quas philosophia tractat [5], omnem cognitionem distribuens in duo genera, quorum alterum veritatem, alterum opiniones seu mortalium visa comprehendit. Utriusque quae ratio sit et materies, attendamus. Veritatem appellat, in qua est certa fides et persuadendi vis (πίστις ἀληθής); opiniones, in quibus fallacia inest (ἀπατή): illam ponit in eo quod est, sive quod constans est et aeternum; has in rebus quae videntur, mutantur et fluunt. Ut autem visa in rebus externis et externarum rerum notionibus posita, sensu, auditu, visu percipiuntur, sic veritas a conspectu remota animo tantum comprehenditur. Postremum hoc discrimen quamquam in definiendis his generibus Parmenides non expresse notavit, significat tamen in carmine, quum oculos, aures, linguam, ut hebetes et ambiguos spernit, verum intelligentia et ratione cognosci jubet (κρῖναι λόγῳ,

(5) Vid. vss. 29—31.

λεύσσε νόῳ.)[6]. Sic igitur res fluxas ab aeternis, opinionem a veritate, sensum a ratione distinxit.

Hoc discrimen, quod gravissimum est ad rerum cognitionem, princeps in philosophiam induxit Parmenides, antiquiores aut neglexerant prorsus aut non nisi obscure erant suspicati. Sic fuerant jam plures qui, in indagando veritatem, animadvertentes et rerum naturas et hominum sensus perpetuo quasi fluxu agitari, ad fallacem speciem et opinionis conjecturam cuncta reducerent, certum esse certoque percipi posse nihil dicerent: veluti Alcmaeon Crotoniates initio libri scripsisse fertur [7]: *De rebus tam divinis quam humanis certa quidem sciunt Dii, homines vero tantum opinantur.* Similiter aequalis ejus Xenophanes, cujus celebrata vox: *δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται* [8]. Hic tamen, etsi pleraque incerta duceret, mente supra humana se extollens praeclariorem jam sibi informaverat naturam, immutabilem illam et aeternam, Deum, qui non oculis posset sed mente tantum comprehendi. Sic viam monstraverat Xenophanes, quam discipulus ejus Parmenides est ingressus. Tenuit hic *τὸ δοκεῖν*, sed coarctavit et reduxit ad res fluxas; adjunxit *τὴν ἀλήθειαν*, quam posuit in eo quod vacuum est omni vicissitudine, quodque

(6) Vss. 53—55, 89.

(7) Vid. Diogenes L. VIII, s. 83: *Περὶ τῶν ἀφανέων, περὶ τῶν θνητῶν σαφήνειαν μὲν θεοὶ ἔχοντι, ὡς δὲ ἀνθρώποις, τεκμαίρεσθαι.* Si Alcmaeon haec scripsit, ut equidem credo, usus est certe Dorica dialecto, quae a serioribus saepe obliterata est. τὰ ἀφανῆ opposita τοῖς θνητοῖς, ut *divina humanis.*

(8) Xenophanes fragm. XIV, p. 51; cf. ibid. p. 185—191.

unum comprehendi posse, unum philosophi contemplatione maxime dignum esse censuit.

Haec sententia quanti fuerit momenti ad promovendum philosophiam, et quantam vim habuerit in sequentium philosophorum doctrinam, neminem latet. Antea enim unice fere intenti fuerant in contemplatione rerum externarum, ut anquirerent mundi originem, coeli, maris, terrae naturam, motus, mutationes; in his veritatis scientiam ponebant. Ille vero, relicta vulgari semita, a naturae contemplatione deflexit ad rerum divinarum indagationem, aciem intendens in ea quae rationis judicio probarentur, h. e. notiones in mente repositas et sola mente comprehendendas; in his demum, non in externis rebus, veritatem positam existimavit. Hoc in Parmenide admiratus est Plato, ut in cognomine dialogo significat, ubi illum inducit Socrati haec dicentem [9]: *τοῦτό γε σου ... ἠγάσθην εἰπόντος ὅτι οὐκ εἴας ἐν τοῖς ὁρωμένοις οὐδὲ περὶ ταῦτα τὴν πλάνην ἐπισκοπεῖν, ἀλλὰ περὶ ἐκεῖνα ἃ μάλιστά τις ἂν λόγῳ λάβοι καὶ ἤδη ἂν ἡγήσαιτο εἶναι.* Quae hic Parmenidem in puero Socrate admirantem fingit Plato, tam quid ille senserit, quam quid ipse maxime probaverit, declarant.

Ex illa divisione Parmenidis philosophia continet duo argumenta, in quae tanquam capita totum ejus carmen dividitur: alterum quod versatur circa ens, hoc est, eam naturam in qua veritas inest; alterum quod complectitur visa, sive fluxarum rerum notiones et species communi intelligentia effictas. Utriusque

(9) Plato Parm. p. 135 D.

diversam esse vim et rationem, re ipsa intelligitur et notatum est a veteribus. Sic Aristoteles [10]: οἱ μὲν οὖν πρότεροι φιλοσοφήσαντες περὶ τῆς ἀληθείας... ἀνεῖλον γένεσιν καὶ φθοράν· οὐδὲν γὰρ οὔτε γίγνεσθαί φασιν οὔτε φθείρεσθαι τῶν ὄντων, ἀλλὰ μόνον δοκεῖν ἡμῖν· οἷον οἱ περὶ Μέλισσόν τε καὶ Παρμενίδην. Quaecumque oriantur et intereant, e Parmenidis sententia videri tantum, non autem esse, quod est proprium veritatis. Theophrastus ex interpretatione Sepulvedae [11]: »*Parmenides Eleata, qui huic (Xenophani) successit, utraque via ingressus est. Statuit enim universum esse sempiternum, et generationem rerum tueri conatur; non quod similem de utroque sententiam habeat, sed revera universum unum esse ratus idemque ingenitum et globosum, ad tuendam generationem, ex opinione vulgi, rerum apparentium duo principia facit, ignem et terram.* Hic manifesto duplicem Parmenidis rationem discernit, quarum altera id quod aeternum est, altera res generatas tractat; illa est vera, haec vulgari opinioni congrua.

§ 3.

Hinc autem exorta quaestio est, num Parmenides ea, quae mortalium visa appellat, ad inanem prorsus speciem et vulgi commenta rejiciat, ipse aeterna

(10) Aristoteles de Coelo III, 1. p. 368 G.

(11) In Alexandri Aphrod. Comment. XII libr. de Metaph. f. 7 A. (Venet. 1544).

tantum et divina agnoscat, an illa si non certa, haud tamen vana, sed probabilia existimet. Alexander quidem ex Aristotelis et Theophrasti testimoniis collegisse videtur, Parmenidem *τὰς δόξας* tanquam commentitia et falsa tradidisse; cujus meminit Simplicius, dicens [12]: *ὁμολογεῖ δὲ ὁ Ἀλέξανδρος, ἐν μὲν τοῖς πρὸς ἀλήθειαν, ἅπερ ἐστὶ περὶ τοῦ νοητοῦ ὄντος, τὸν Παρμενίδην ἓν τὸ ὂν καὶ ἀκίνητον λέγειν, κατὰ δὲ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν καὶ τὰ φαινόμενα φυσιολογῶν οὔτε ἓν λέγων εἶναι τὸ ὂν οὔτε ἀγένητον, ἀρχὰς τῶν γινομένων ὑπέθετο πῦρ καὶ γῆν, τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην ὑποτιθεὶς, τὸ δὲ πῦρ ὡς ποιητικὸν αἴτιον· καὶ ὀνομάζει, φησι, τὸ μὲν πῦρ φῶς, τὴν δὲ γῆν σκότος. Καὶ εἰ μὲν κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν καὶ τὰ φαινόμενα οὕτως ὁ Ἀλέξανδρος ἐξεδέξατο, ὡς ὁ Παρμενίδης βούλεται, δοξαστὸν τὸ αἰσθητὸν καλῶν, εὖ ἂν ἔχοι· εἰ δὲ ψευδεῖς πάντῃ τοὺς λόγους οἴεται ἐκείνους, ... οὐ καλῶς οἴεται.* Alexander igitur, etsi non manifesto, videtur tamen Parmenidis rationem sic interpretatus esse, quasi *τὰς δόξας* non e sua ipsius sententia, sed ex vulgi opinione, ut mendaces et falsas, prodidisset. Redarguit Simplicius. Alii probarunt, ut Colotes, (contra quem scripsit Plutarchus [13]), Parmenidem reprehendens, quod nil nisi unum aeternumque, id quod verum appellaret, reliquisset, quaecumque autem ad naturam pertinerent, generationem omnem et interitum, funditus sustulis-

(12) Simplic. Phys. I, f. 9 A. A verbis *κατὰ δὲ τὴν τῶν π. . . . φυσιολογῶν*, invertit, ut solet, orationem, quasi ipsa Alexandri verba referens, quod paullo inferius indicat verbo *φησί*. Alexandri dicta e Theophrasti loco, quem modo descripsi, fluxisse facile apparet.

(13) Vid. inferius not. 15.

set. At si Parmenidis versus legamus, statim apparet, ita eum de natura canere, ut non aliorum sed sua placita exponat: quod sane non fecisset, si ista omnia ut vana repudiasset et pro falsis fictisque putasset. Ille nec unam amplexus est veritatem, nec sprevit omnino opiniones; neutrum exclusit, utrique suum tribuit locum. Veritatem dicit, quae certâ ratione cognoscitur, quae cernitur in eo quod immutabile et aeternum est; visa appellat, quae ratione quidem probari non possunt, sed sensu percipiuntur, et externarum rerum, e quibus effectae sunt, vicissitudine variantur. Agnoscunt hoc veteres, qui Parmenidis rationes diligentius explicant. Aristoteles, ceteros Eleaticos reprehendens, illum hanc ob rem laudat [14]: *Παρμενίδης δὲ μᾶλλον βλέπων ἔοικε που λέγειν· ... ἐξ ἀνάγκης ἓν οἴεται εἶναι τὸ ὂν καὶ ἄλλο οὐδέν... ἀναγκαζόμενος δ' ἀκολουθεῖν τοῖς φαινομένοις, καὶ ἓν μὲν κατὰ λόγον, πλείω δὲ κατ' αἴσθησιν ὑπολαμβάνων εἶναι, δύο τὰς αἰτίας καὶ δύο τὰς ἀρχὰς τίθησι πάλιν, θερμὸν καὶ ψυχρόν.* Hoc igitur auctore unum esse statuit, ratione et necessitate coactus; duo rursus principia, naturae et sensibus accommodate [15]. Hinc autem a plerisque serioribus Parmenides praedicatur princeps fuisse, qui rerum cognitionem in duo

(14) Metaph. I, 5. p. 648 F.

(15) Idem tamen alibi, ubi de Eleaticorum doctrina generatim loquitur, hanc exceptionem non facit, ut de Gener. et Corr. I, 8. p. 395: *ἐνίοις γὰρ ἔδοξε τῶν ἀρχαίων τὸ ὂν ἐξ ἀνάγκης ἓν εἶναι καὶ ἀκίνητον.... ἐκ μὲν οὖν τούτων τῶν λόγων ὑπερβάντες τὴν αἴσθησιν καὶ παριδόντες αὐτὴν, ὡς τῷ λόγῳ δέον ἀκολουθεῖν, εἶναί φασι τὸ πᾶν ἓν καὶ ἀκίνητον.* Quem locum infra etiam tangemus.

haec genera distribuerit, *τὸ δοξαστόν* et *τὸ νοητόν*, alterum aeterna, alterum mortalia complectens. Sic Plutarchus Coloten refellens [16]: *πάντων καὶ Σωκράτους ἔτι πρότερος (ὁ Παρμενίδης) συνεῖδεν, ὡς ἔχει τι δοξαστὸν ἡ φύσις, ἔχει δὲ καὶ νοητόν.* Deinceps utriusque formam sic describit: *ἐστὶ δὲ τὸ μὲν δοξαστὸν ἀβέβαιον καὶ πλανητὸν ἐν πάθεσι πολλοῖς καὶ μεταβολαῖς, τῷ φθίνειν καὶ αὔξεσθαι καὶ πρὸς ἄλλον ἄλλως ἔχειν καὶ μήδε ἀεὶ πρὸς τὸν αὐτὸν ὡσαύτως τῇ αἰσθήσει. τοῦ νοητοῦ δὲ ἕτερον εἶδος· ἐστί γὰρ*

οὖλον μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀγένητον,

ὡς αὐτὸς εἴρηκε, καὶ ὅμοιον ἑαυτῷ καὶ μόνιμον ἐν τῷ εἶναι. Itaque, pergit, *ἀναιρεῖ μὲν (ὁ Παρμ.) οὐδετέραν φύσιν, ἑκατέρᾳ δὲ τὸ προσῆκον ἀποδιδοὺς, εἰς μὲν τὴν τοῦ ἑνός τε καὶ ὄντος ἰδέαν τίθεται τὸ νοητόν· ὂν μὲν ὡς ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον, ἓν δὲ ὁμοιότητι πρὸς αὑτὸ καὶ τῷ μὴ δέχεσθαι διαφορὰν προσαγορεύσας· εἰς δὲ τὴν ἄτακτον καὶ φερομένην τὸ αἰσθητόν.* quibus probandis affert ipsius versus 29 et 30. Hujus igitur judicio, Parmenides Socrate prior ambo illa genera sejunxit, *τὸ δοξαστόν* et *τὸ νοητόν*, neutrum sustulit, utrumque suis regionibus circumscripsit notisque designavit. Idem arbitratur Simplicius, improbans eos qui Parmenidem *τὰς δόξας* tanquam falsas prodidisse putarent [17]:

(16) Plutarch. adv. Colot. p. 1114. Vol. X, p. 584 Reisk. Versus qui laudatur est 59; de cujus lectione monuimus in commentario p. 86. Idem in Stromat. apud Eusebium, Praep. Eu. I, 8. p. 23 C: *ἀΐδιον μὲν γὰρ τὸ πᾶν καὶ ἀκίνητον ἀποφαίνεται κατὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν· — γένεσιν δὲ τῶν καθ' ὑπόληψιν ψευδῆ δοκούντων εἶναι. — καθ' ὑπόληψιν ψευδῆ* hic non urgendum; significat id. q. *κατὰ δόξαν.*

(17) Simplicius Phys. I, f. 9 A. Idem tamen f. 5 B, fatetur, Parmenidem aliosque ejus aetatis hoc discrimen obscurius significasse.

δοξαστὸν δὲ καὶ ἀπατηλὸν τοῦτον καλεῖ τὸν λόγον, οὐχ ὡς ψευδῆ ἁπλῶς, ἀλλ' ὡς ἀπὸ τῆς νοητῆς ἀληθείας εἰς τὸ φαινόμενόν τε καὶ δοκοῦν αἰσθητὸν ἐκπεπτωκότα. Idem scriptor multis locis ostendit, ambo haec rerum genera ab illo plane discerni. Sic in commentario de Coelo [18]: οἱ δὲ ἄνδρες ἐκεῖνοι (οἱ ἀμφὶ Μέλισσόν τε καὶ Παρμενίδην) διπλῆν ὑπόθεσιν ἔθεντο, τὴν μὲν τοῦ ὄντως ὄντος, δηλονότι τοῦ νοητοῦ, τὴν δὲ τοῦ γενητοῦ, δηλονότι αἰσθητοῦ, ὅπερ οὐκ ἠξίωσαν καλεῖν ὂν ἁπλῶς, ἀλλὰ δοξαστὸν ὄν· διὸ περὶ μὲν τὸ ὂν τὴν ἀλήθειαν εἶναί φησι, περὶ δὲ τὸ γενητὸν τὴν δόξαν. Quibuscum concinunt quae Jo. Philoponus de Parmenide disserit, digna quae annotentur [19]: καὶ αὐτὸς ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ περὶ γενέσεώς φησι καὶ οἱ αὐτοῦ ὑπομνηματισταὶ, ὅτι ὁ Παρμενίδης, ἐν τοῖς πρὸς δόξαν, πῦρ καὶ γῆν ἔλεγεν εἶναι τὴν ἀρχὴν τῶν πάντων, ἐν δὲ τοῖς πρὸς ἀλήθειαν, ἓν εἶναι τὸ πᾶν καὶ πεπερασμένον καὶ ἀκίνητον. Οὐ νομιστέον δὲ, ὅτι ἐν τοῖς πρὸς δόξαν οὐ τὰ αὐτῷ δοκοῦντα ἔλεγεν ἀλλὰ τοῖς πολλοῖς, ἐν δὲ τοῖς πρὸς ἀλήθειαν τὰ αὐτῷ δοκοῦντα· καὶ γὰρ καὶ ἐν τοῖς πρὸς δόξαν τὰ αὐτῷ δοκοῦντα ἔγραψεν. ἀλλ' ἐπειδὴ περὶ τῶν νοητῶν ἦν αὐτῷ ἐν τοῖς πρὸς ἀλήθειαν ὁ λόγος, τοῦτο

(18) Simplic. de Coelo III, f. 138 A. Quum ipsius Simplicii textu adhuc caremus, Aldina interpretatione debemus esse contenti. Cf. idem Phys. I, f. 17 B, alibi; Brandis. Comment. Eleat. p. 151, not. *g*.

(19) Philopon. Phys. I. lit. A, p. 9; cf. lit. B, p. 6, ubi pro *Melissi* nomine legendum esse *Parmenidem*, ipsa loci ratio arguit. Aristoteles, quem hic citat, in libro de Generatione Parmenidis placita memorat, L. I. c. 3, p. 389 A; c. 8, princ. p. 395; clarius autem in Metaph. quem locum modo citavimus, n. 14. — Cf. Proclus in Parm. T. IV. p. 141. (cit. § 16.)

περὶ ὄντος (vulgo ταῦτα δὲ ὄντως, nullo sensu.) ἐπέγραψε τὸ βίβλιον· ἐν δὲ τοῖς πρὸς δόξαν περὶ αἰσθητῶν ὁ λόγος, ἅπερ καὶ ὁ Τίμαιος δοξαστὰ προςηγόρευσεν.

§ 4.

Sic quidem consentiens est plurimorum judicium, Parmenidem Socrati et Platoni praeivisse, res aeternas a fluxis separantem, easque in duos quasi orbes, intelligibilem et opinabilem, distribuisse. Haec autem distributio licet cum argumento ejus carminis conveniat, videndum tamen, num ab ipso Parmenide sit profecta ejusque sententiae plane respondeat; ne fortasse plus ei tribuamus, quam ratio ejus postulet. Primum si verba δοξαστὸν et νοητὸν spectemus, multi putant, ipsum has appellationes usurpasse, et his titulis ambas carminis partes inscripsisse; quod falsum est [20]. Vocabula ista, si non incognita Parmenidi, hoc saltem sensu usurpata ab eo non sunt [21]. Ipsi veteres interpretes significant, ea e communi doctorum usu in Parmenidis philosophiam esse translata; νοητόν appellatum esse quod ille ὂν et ἀλήθειαν, δοξαστόν, quas illa δόξας appellavit [22]. Videamus vero, num significatio ejus menti conveniat. δοξαστὸν et νοητὸν vocantur duo genera inter se diversa, quorum alte-

(20) Vid. supra p. 20.

(21) νοητὸν quidem usurpat Parmenides, vulgari sensu, vss. 63, 72, non autem propria significatione, neque illâ generis notione, qua τὸ νοητὸν usurpari solet.

(22) Joannes Philop. Phys. I. lit. B p. 6: ἰστέον οὖν, ὅτι τὸ μὲν νοητὸν πᾶν ὂν ἐκάλουν, τὸ δὲ αἰσθητὸν γινόμενον.

rum complectitur res externas et fluxas, notionesque quae ex his ducuntur; alterum res aeternas et a conspectu remotas: alterum sensibus, alterum mente comprehenditur et quasi effingitur: unde etiam nominata sunt, νοητόν a νοεῖν, quae est mentis (τοῦ νοῦ) agitatio, corporeâ contagione libera; δοξαστόν a δοξάζειν, quae opinionis facultas est, fluxarum rerum particeps. Sic in utriusque vocabuli notione duplex cernitur discrimen, tam objectarum rerum, quam ingenii virium quibus illae percipiuntur. Ergo utraque haec, et res aeternas a rebus fluxis, et mentem a sensu, prius oportuit accurate discerni, mutuamque eorum necessitudinem agnosci, quam genera illa certis notionibus comprehendi et vocabulis designari possent. Quid autem Parmenides? Distinxit quidem res aeternas a rebus fluxis; illis veritatem, his incertam opinionem tribuit; vidit ad veri cognitionem imbecillos esse sensus, ratione utendum; praeclare haec: attamen, si diligentius quaerimus, utriusque generis vim et naturam parum perspicue definivit. Nam veritatem ratione, visa sensibus percipi, significavit quidem, ut modo diximus, non vero clare expressit. Utrumque ita describit, ut in altero ponat πίστιν ἀληθῆ, certam persuasionem, quae ratiocinando (κρῖναι λόγῳ) verum demonstrat; in altero ἀπατήν, errorem et inconstantiam. Porro rationem sive intellectum dirimit quidem a sensu, non autem utriusque naturam explicat, nec certis vocabulis designat. Quum de sensibus loquitur, oculos, aures, linguam usurpat, generis vocabulo αἴσθησις non utitur [23]; nec contrarium huic νοῦν et νοεῖν de propria mentis actione,

(23) Vss. 54 sq.

sed de communi intelligentia accipit [24]. Unde intelligitur, vocabula ista δοξαστὸν et νοητὸν posse quidem, si non subtili ratione, attamen pingui Minerva, ut aiunt, in Parmenidem accommodari, modo caveamus, ne notiones a Socraticis demum accuratius explicitas illi attribuamus.

Reprehendendus hic est quorundam error interpretum, praesertim Neoplatonicorum, qui omnem paene Platonis doctrinam ad Parmenidem retulerunt, eoque hujus mentem saepius perverterunt. Sic, exempli gratia, Parmenides, ut modo diximus, in veritate ponit τὴν πίστιν, unde ἀλήθειαν appellat εὐπειθῆ; contra Plato πίστιν ad opinionis conjecturam refert, qua esse aliquid credimus, etiamsi ratione non habeamus perspectum [25]. Ecce vero Proclus, dum Parmenidem suum cum Platone conciliet, illius sententiam ad hujus rationem plane detorquet [26]: λέγει δ' οὖν καὶ ὁ φιλόσοφος (Παρμενίδης), ἐπὶ διττοῖς πράγμασι, οὖσι καὶ μὴ οὖσι, διττὰς εἶναι τὰς γνώσεις, ἀλήθειαν... καὶ πίστιν, ἣν ἀπὸ τῆς μονίμου γνώσεως ἀφεῖλεν. *Parmenides quoque duobus rerum generibus, iis quae sunt et quae non sunt, duas adsignat cognoscendi artes, veritatem ... et fidem, quam a certa scientia dirimit.* Parmenides contrario ea quae Proclus ut diversa distinguit, veritatem et fidem, tanquam cognata inter se conjunxit. Tantum valuit praejudicata opinio existimantium, totam Platonis dialecticam a Parmenide fluxisse.

(24) Vss. 43, 146. Cf. not. 21.

(25) Cf. Comment. ad vs. 30. p. 68 sq.

(26) Proclus in Tim. p. 105.

Praeclare profecto ille de philosophia meritus est, quod eam a rebus externis avocavit et ad ipsa rerum genera et formas contemplandas traduxit. Qua quidem re ut multum promovit philosophiam, sic ipsi quoque Platoni magnum attulit emolumentum; nec tamen amborum ratio plane par atque similis est habenda. Ille inchoavit, quod hic paene perfecit. Parmenides quasi templi atrium nobis ostendit, Plato ipsam aedem intravit, omnemque ejus amplitudinem et magnificentiam exponit. Statuit hic quoque duo genera inter se opposita, τὸ ὂν et τὰ δοξαζόμενα; haec vulgo reliquit, illud philosophi studio unice dignum aestimavit, ὅτι πρὸς τὸ ὂν πεφυκὼς ἂν εἴη ἁμιλλᾶσθαι ὅ γε ὄντως φιλομαθής, καὶ οὐκ ἐπιμένοι ἐπὶ τοῖς δοξαζομένοις εἶναι πολλοῖς ἑκάστοις [27]. Utriusque autem argumentum definivit suisque circumscripsit regionibus; tum introspexit in animum, ut principium omnis scientiae, ejusque varias distinxit cognoscendi vires, variosque constituit tanquam cognitionis gradus: ἐπιστήμην, mentis vim quae cogitando vera investigat, δόξαν, sensuum judicium quod opinando probabilia sectatur; illa intuetur τὸ ὄν, quod inde νοητόν sive ἐπιστητόν cognominatum; haec res fluxas, quas τὸ αἰσθητόν seu δοξαστόν comprehendit. Singula haec Plato subtiliter exploravit, quae nobis hic summatim perstrinxisse sufficiat, quo intelligatur, quantum Parmenides distet ab illa doctrinae copia et subtilitate, quae in Platonica philosophia cernitur [28].

(27) Plato Soph. p. 254 A; ibidem p. 240, alterum ἀληθινόν, alterum εἴδωλον vocat.

(28) Vid. Plato in Politia, L. V et VI; in Menone et alibi. cf. Tenne-

§ 5.

DE VERITATE.

Jam duobus propositis ad cognoscendum argumentis, primo loco tractatur illud quod primarium est, de veritate. Versatur omnis haec argumentatio in explicando τὸ ὂν sive τὸ εἶναι, id quod per se est; quod et esse probat, et quale sit rationibus demonstrat. Argumenta ejus singula deinceps explicare instituemus.

Principium argumentationis hoc est: »Est vel non est; alterutrum horum statuatur necesse est." Deinde alterum evertendo alterum confirmat. »Namque non ens, inquit, nec mente concipi nec verbis exprimi potest; quodcumque enim aut cogitatione effingas aut verbis pronunties, esse cogitatur et dicitur; si esse negetur, nihil omnino, quod dici cogitarive possit, remanet: ergo non-ens plane nullum est, unum relinquitur ens." Deinceps alteram redarguit rationem, qua esse simul et non esse ponitur. »Ambiguam hanc rationem et absurdam dicit, quoniam quum non-ens esse dicunt, negant esse et simul

mann. System. Philos. Platon. T. II, p. 7-78. Apponam quae dicit Cl. Heusdius, Init. Philos. Plat. Vol. II, P. III, p. 161 sq. de Eleaticis loquens: »Praeclaras quidem pronuntiaverant de veritate sententias; .... sed quid »sensibus tribuendum esset, quid non tribuendum, quid opinio, quid »scientia, quid τοῦ ὄντος scientia esset, nec Parmenides, ut videtur, »nec ullus Eleaticorum data opera et dialectica ratione exposuerat. Id »fecit Plato", caet.

esse asseverant. Sic diversas notiones confundunt, duo illa et contraria inter se et idem statuentes." His igitur argumentis efficit, unum τὸ ὂν verum esse nec praeterea quidquam [29].

Haec argumentatio caput est, e quo omnes Parmenidis rationes pendent, quoque omnes referuntur. Ita deinceps in explicando, quale sit ens, eo semper reducitur, unum ens esse, contrarium vero nihil esse; ut ambabus his notionibus omnis ejus doctrina tanquam fundamento nitatur [30]. Quo melius autem Parmenidis sententiam intelligamus, quaerendum nobis est, unde ductae sint hae notiones et quo spectent: nam quamquam ipsâ disserendi viâ videantur repertae, pleraeque tamen dialecticorum rationes e philosophantium controversiis natae sunt.

Entis notio ducta est a Xenophane, qui naturam anquirens humanâ vicissitudine vacantem praeque omnibus excellentem, talem informavit Deum, qui per se esset et semper idem; sic ille divinam praesertim vim essentiae notione comprehenderat [31]. Hunc secutus Parmenides, Dei notionem segregavit, tenuit ipsum illud ens per se comprehensum suaque specie expressum, cujus veritatem demonstrare et naturam explicare sibi proposuit.

Enti opponit non ens, quo posito, ens omne omnino negari, nec quidquam relinqui quod dici cogitarive possit, sedulo arguit. Haec quorsum spectant? Sextus

(29) Vid. vss. 35-45, et 46-51.

(30) Vid. vss. 66, 71, 88, 95 sq. 105.

(31) Vid. Aristotelis et Simplicii testimonia, in Xenophanis fragm. p. 100, 107, à me relata.

Empiricus quidem narrat, fuisse Xeniadem quemdam Corinthium (cujus mentionem facere Democritum), qui statueret fluxa omnia et incerta, nihil revera esse; sic e non-ente fieri omnia et in non-ens resolvi: ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πᾶν τὸ γινόμενον γίνεσθαι, καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν πᾶν τὸ φθειρόμενον φθείρεσθαι [32]. Hoc quidem decretum oppositum plane Parmenidi. Sed illius aetas non satis definita est. Licet aequalis fuerit Democrito, Parmenide tamen inferiorem fuisse, ex ipsius placito, si accurate a Sexto relatum sit, colligi potest. Primus enim Parmenides τὸ εἶναι generatim et absolute statuit; quum autem antithesis (μὴ εἶναι) e thesi (εἶναι) nata, atque adeo posterius demum orta sit, inde colligi potest eum, qui non esse generatim poneret vel certe pronuntiaret, post Parmenidem demum exstitisse; quo tempore plures quoque exstiterunt sophistae et physici, quorum sententia ad hoc decretum possit referri, in quibus Xeniades ille facile putandus est. Parmenides autem spectare potius videtur ad communem illam et sua aetate pervagatam philosophorum rationem, qui in coelo contemplando versati, ea tantum animadverterent, quae sensibus perciperentur, quaeque perpetuo quasi fluxu agitata semper mutarentur: qualis fuit Ionicorum, qui tum dominabantur, ratio, vulgari opinione et communi sensu comprobata. Horum igitur opinionem spectare videtur, quam eandem saepius in carmine tangit, veluti quum sensuum, oculorum auriumque, fallaciam

(32) Sextus Empir. adv. Math. VII, 53. ibid. 388, 399. Pyrrhon. Hypot. II, 18. cit. Brandis. l. l. p. 135.

increpat, verum judicio cognosci jubet; quum ista, quae vulgus vera arbitratur, oriri, crescere, labi, interire, ad opinionis species rejicit [33]. Parmenides, his relictis, veritatis quaestionem a sensu revocat ad rationis judicium, quo cogit alterutrum fateri, esse vel non esse, quorum aut illud probari necesse sit, aut nihil omnino, quod dici vel percipi possit, relinquatur.

Porro quinam sunt isti, quos deinde redarguit, qui esse simul et non esse ponunt? Quadrat hoc placitum in multos physicorum, quorum non una erat sententia [34]. Alii in naturae elementa inquirentes, ajebant duo inter se conjuncta esse rerum principia, atomos et inane, quorum alterum esse, alterum non esse ponebant. Alii ad naturae vim et motûs vicissitudinem attendentes, censebant fluere omnia, ac modo esse, modo non esse; eâque inconstantiâ naturam omnem contineri. Prioris sententiae auctor praecipuus fuit Leucippus, Democriti magister, quem ipsum a Parmenide tangi arbitratur Simplicius, Theophrastum, ut videtur, auctorem secutus [35]: *Λεύκιππος δὲ ὁ Ἐλεάτης ἢ Μιλήσιος (ἀμφοτέρως γὰρ λέγεται περὶ αὐτοῦ), κοινωνήσας Παρμενίδῃ τῆς φιλοσοφίας, οὐ τὴν αὐτὴν ἐβάδισε Παρμενίδῃ καὶ Ξενοφάνει περὶ τῶν ὄντων ὁδὸν, ἀλλ', ὡς δοκεῖ, τὴν ἐναντίαν. ἐκείνων γὰρ ἓν ποιούντων ..... τὸ πᾶν, καὶ τὸ μὴ ὂν μήδε ζητεῖν συγ-*

(33) Vid. vss. 53-55; 98-100.

(34) Aristot. Metaph. III, 4. p. 668 A: *εἰσὶ δέ τινες, οἳ ... αὐτοί τε ἐνδέχεσθαί φασι τὸ αὐτὸ εἶναί τε καὶ μὴ εἶναι, καὶ ὑπολαμβάνειν οὕτως. χρῶνται δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ πολλοὶ καὶ τῶν περὶ φύσεως.*

(35) Simplicius in Phys. I, f. 7 A.

χωρούντων, οὗτος ἄπειρα καὶ ἀεὶ κινούμενα ὑπέθετο τὰ στοιχεῖα, τὰς ἀτόμους· ..... ἔτι δὲ οὐ μᾶλλον τὸ ὂν ἢ τὸ μὴ ὂν ὑπάρχειν καὶ αἴτια ὁμοίως εἶναι τοῖς γιγνομένοις ἄμφω· τὴν γὰρ τῶν ἀτόμων οὐσίαν, ναστὴν καὶ πλήρη ὑποτιθέμενος, ὂν ἔλεγεν εἶναι, καὶ ἐν τῷ κενῷ φέρεσθαι ὅπερ μὴ ὂν ἐκάλει, καὶ οὐκ ἔλαττον τοῦ ὄντος εἶναι φησί [36]. Hic igitur, ut post eum Democritus, duo naturae principia, atomos et inane, induxit, quorum alterum esse, alterum non esse dixit aut certe significavit. Posterior sententia fuit praesertim Heracliti, qui naturae varietatem et vicissitudinem animadvertens moveri semper omnia et fluere ajebat, ut ea non magis esse quam non esse dici possent [37]. Utramvis harum sententiarum spectaverit Parmenides, earum auctores non mirum acriter ab eo redargui, qui videlicet res sensuum amplectentes, ea, quae rationi consentanea essent, repudiarent. Hinc tam graviter in illos invehitur, ut ambiguos homines et rationis expertes (δίκρανοι, ἄκριτα φῦλα), quos dialecticis urguens rationibus, ipsos sibi repugnare ostendit. Sic

(36) De Leucippo dubitatur, utrum Milesius fuerit an Eleates. Dubitatio ex ipsius fortasse ratione nata. Miletus Ionicae, Elea Italicae disciplinae sedes; Leucippus inter utramque rationem ambiguus et utriusque quodammodo particeps fuit, ut cognomen δίκρανος, quo utiter Parmenides, in hunc non male convenire videatur. Cum Leucippo concinit Democritus. Aristoteles Metaph. I, 4: Λεύκιππος δὲ καὶ ὁ ἑταῖρος αὐτοῦ Δημόκριτος στοιχεῖα μὲν τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενὸν εἶναί φασι, λέγοντες δὲ τὸ μὲν ὄν, τὸ δὲ μὴ ὄν .... διὸ καὶ οὐθὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ὄντος εἶναί φασιν, ὅτι οὐδὲ τὸ κενὸν τοῦ σώματος.

(37) Huc spectat celebratissimum illud Heracliti dictum: ποταμοῖς τοῖς αὐτοῖς ἐμβαίνομέν τε καὶ οὐκ ἐμβαίνομεν, εἶμέν τε καὶ οὐκ εἶμεν. Heraclid allegor. Homer. p. 443 Gale. Cf. Ritter Gesch. d. Philos. I. p. 243.

igitur Parmenidis ratio communi tam vulgi quam doctorum sententiae erat opposita. Hi ferri omnia, et universum Euripi instar perpetuo fluxu agitari censebant, ut nihil stabile esset nec certo posset comprehendi, quod placitum postea a Protagora maxime celebratum est; ille contra arguit, si constare aut esse negetur, omnem omnino mundum tolli, nihil, quod dici cogitarive possit, remanere [38].

§ 6.

Parmenidis autem argumentatio magis ἐλεγκτικὴ quam πειστικὴ videtur, ad refellendum quam ad docendum accommodatior. Quamvis enim urgeat et fateri cogat, ente sublato, nihil relinqui; non tamen dedocebit, quominus fluere, labi, variari omnia putes, neque efficiet, ut solum esse verum existimes. Videlicet adversarios redarguens ipse in contrarium incidit errorem, quo necesse sit, ut omnia ista, fieri, crescere, labi, interire plane tollantur, ad unum esse cuncta reducantur. Itaque e Parmenidis argumentatione natum est placitum illud, ἓν τὸ ὄν, ἓν τὰ πάντα, unum esse, unum omnia; quod ab antiquissimis inde auctoribus, Democrito, Platone, Aristotele, per omnes deinceps philosophorum scholas tanquam summa Eleaticae disciplinae decantatum, tantamque nactum est celebritatem, ut in ipsis rhetorum scholis quaestio haec ad disceptan-

(38) Vid. Platon. Theaet. p. 152 D; 157 AB.

dum proponeretur [39]. Etsi haec formula non ipsis Parmenidis verbis expressa sit, tamen ex ejus argumentatione effecta est, ut significat Aristoteles dicens: *Παρμενίδης .... παρὰ τὸ ὂν τὸ μὴ ὂν οὐθὲν ἀξιῶν εἶναι, ἐξ ἀνάγκης ἓν οἴεται εἶναι τὸ ὄν, καὶ ἄλλο οὐθέν* [40]. Similiter ejus rationem concludit Theophrastus: *τὸ παρὰ τὸ ὂν οὐκ ὄν, τὸ οὐκ ὂν οὐδέν, ἓν ἄρα τὸ ὄν.* Eodemque modo ceteri, Aristotelem fere secuti [41]. Et profecto haec conclusio licet non diserte a Parmenide effecta sit, sequitur tamen e praemissis, et congruit ipsius verbis, quibus ens unum et unigenam appellat [42].

Decretum hoc, ut communi intelligentiae repugnans, multas peperit controversias, et a multis, praesertim sophistis, cupide arreptum est ad absurdissima

(39) Plato Parm. p. 128 A: *σὺ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ποιήμασιν ἓν φῂς εἶναι τὸ πᾶν, καὶ τούτων τεκμήρια παρέχει.* Sophist. p. 242 D: *τὸ δὲ .. Ἐλεατικὸν ἔθνος ... ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων, οὕτω διεξέρχεται τοῖς μύθοις.* Thaet. p. 180 E: *Μέλισσοί τε καὶ Παρμενίδαι ... διϊσχυρίζονται, ὡς ἕν τε πάντα ἐστὶ καὶ ἕστηκεν αὐτὸ ἐν αὑτῷ.* Aristoteles Metaph. III, 4. p. 663 C: (*εἴ γ' ἔσται τι αὐτὸ ὂν καὶ αὐτὸ ἕν ....*) *κατὰ τὸν Παρμενίδου συμβαίνειν ἀνάγκη λόγον, ἓν ἅπαντα εἶναι τὰ ὄντα, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ ὄν.* Phys. I, 2. p. 254. F: *σκεπτέον, τίνα τρόπον λέγουσιν ἓν εἶναι τὸ πᾶν.* Hinc Aristotelis interpretes, Alexander Aphrod. in XII libros de prima philos. s. Metaph. f. 48 A, intp. Sepulveda; Jo. Philoponus, alii passim, in commentariis ad haec loca; Ammonius Herm. *περὶ ἑρμην.* lit. A f. 3 (Ald. 1503); Origenes, Eusebius (e Platon. Theaet.), Hermias, citati infra § 7, n. 67.

(40) Aristoteles Metaph. I, 5. p. 648 F.

(41) Vid. Simplicius Phys. I, f. 25 A. Aristocles apud Euseb. Praep. Eu. XIV, 17. p. 756 C, ubi legendum: *ἠξίουν οὗτοί γε τὸ ὂν ἓν εἶναι, καὶ τὸ ἕτερον μὴ ὂν εἶναι.* pro vulgato *τὸ μὴ ὂν ἕτερον εἶναι.*

(42) Vid. vss. 59-61.

quaevis probanda. Hinc diligentius exploratum et refutatum est a Platone et Aristotele, quorum tamen rationes quum non solum Parmenidem sed ceteros quoque Eleaticos spectent, exponere longum foret; paucis defungamur, quibus Parmenidis argumentatio diligentius exploretur. Aristoteles non dubitat appellare *ἐριστικὸν λόγον* [43], cujus enuntiata pariter et conclusionem falsa esse arguit. Attendamus singula.

Primum enuntiatum hoc est: est vel non est; quod hanc habet vim, esse aut affirmari oportere aut negari. Recte hoc quidem: est enim axioma, *τὴν ἀντίφασιν οὐ συναληθεύειν*, contraria simul de eodem praedicari non posse; quod ipsum philosophiae cognitionis principium statuitur ab Aristotele [44]: *ἐπεὶ δὲ ἀδύνατον τὴν ἀντίφασιν ἅμα ἀληθεύεσθαι κατὰ τοῦ αὐτοῦ, φανερὸν ὅτι οὐδὲ τἀναντία ἅμα ὑπάρχειν ἐνδέχεται τῷ αὐτῷ ..... οὐδὲ μεταξὺ ἀντιφάσεως ἐνδέχεται εἶναι οὐθέν, ἀλλ' ἀνάγκη ἢ φάναι ἢ ἀποφάναι καθ' ἑνὸς ὁτιοῦν. δῆλον δὲ πρῶτον μὲν ὁρισαμένοις τί τὸ ἀληθὲς καὶ ψεῦδος. τὸ μὲν γὰρ λέγειν, τὸ ὂν μὴ εἶναι ἢ τὸ μὴ ὂν εἶναι, ψεῦδος· τὸ δὲ, τὸ ὂν εἶναι καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι, ἀληθές. ὥστε ἐκεῖνο λέγων εἶναι ἢ μὴ, ἀληθεύσει ἢ ψεύσεται. ἀλλ' οὔτε τὸ ὂν λέγεται μὴ εἶναι ἢ εἶναι, οὔτε τὸ μὴ ὄν.* Haec argumenta, quibus Aristoteles contraria de eodem dici posse redarguit, Parmenideis plane respondent.

Deinde sequitur, si esse negetur, sive non ens statuatur, nihil prorsus relinqui, neque omnino dici quid cogitarive posse. Etiam hoc concedendum, ut secun-

(43) Aristot. Phys. I, 2. p. 254 A.
(44) Aristot. Metaph. III, c. 6-7. p. 673 F.

dum Parmenidem affirmat Plato, apud quem Eleates hospes haec dicit [45]: Παρμενίδης δὲ ὁ μέγας, ὦ παῖ, παισὶν ἡμῖν οὖσιν ἀρχόμενός τε καὶ διὰ τέλους τοῦτο ἀπεμαρτύρατο, πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων· οὐ γὰρ μήποτε τοῦτ' οὐδαμῇ φησὶν εἶναι μὴ ὄν,

ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα.

Quibus explicitis, deinceps interrogat [46]: συννοεῖς οὖν, ὡς οὔτε φθέγξασθαι δυνατὸν ὀρθῶς οὔτ' εἰπεῖν οὔτε διανοηθῆναι τὸ μὴ ὂν αὐτὸ καθ' αὑτό, ἀλλ' ἔστιν ἀδιανόητόν τε καὶ ἄῤῥητον καὶ ἄφθεγκτον καὶ ἄλογον; Idemque argumentum et Plato ipse et seriores Platonici saepius usurpant [47]. Quid igitur in his reprehendendum? Hoc nimirum, quod Parmenides eadem ratione, qua esse probavit, simul omnia praeter hoc unum sustulerit. Nam cum ens et non ens tanquam contraria et sibi repugnantia opponat, utriusque species informat simplices et uniusmodi, quae contra sunt variae et multiformes. Namque et entis plura sunt genera et ipsum non-ens quodammodo est essentiae particeps, ut Plato et Aristoteles ostenderunt. Non-ens per se quidem (τὸ ἁπλῶς μὴ ὄν) nec dici nec cogitari posse, vere Parmenides docuit; attamen dicimus hoc et cogitamus; quid igitur? intelligimus videlicet non-ens id, quod non simplici quidem essentia contineatur, nec tamen ea prorsus careat; non simpliciter non

(45) Plato Sophist. p. 237 A. cf. Parmen. fragm. supra p. 48.

(46) Ibidem p. 238 C.

(47) Cf. Theaet. p. 189; Rep. V, p. 478; Proclus in Parm. T. V, p. 280, memoratus supra ad vs. 43, p. 77 Plutarchus Strom. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8. p. 23 D: φησὶ δὲ ὁ Παρμενίδης, ὅτι εἴτι παρὰ τὸ ὂν ὑπάρχει, τοῦτο οὐκ ἔστιν ὄν· τὸ δὲ μὴ ὂν ἐν τοῖς ὅλοις οὐκ ἔστιν.

ens (τὸ ἁπλῶς μὴ ὄν), sed quodammodo non ens (τὸ πῇ μὴ ὄν); non quod enti contrarium (ἐναντίον), sed quod ab eo diversum et alterum (ἕτερον)[48]. Ergo non amplius statuendum: est vel non est; sed ambo conjungenda, alterum simplici specie, alterum variatâ; alioquin omnis naturae diversitas, omne rerum notionumque discrimen tollatur, et ad unum ens reducantur omnia. Summa igitur reprehensionis in eo posita, quod Parmenides τὸ ὂν ἁπλῶς intellexerit, cum sit πολλαχῶς intelligendum[49].

Porro etiam male conclusa (ἀσυμπέραστος) ab Aristotele dicitur Parmenidis argumentatio[50]. Nam etiamsi propositis rationibus concedatur, praeter ens nihil esse, non tamen sequi, ut ens sit uniforme et cohaerens (ἕν, συνεχές), sicut ille statuit[51]. Quid enim impediat quominus naturam suam aliis rebus impertiat, et ens aliud sit per se positum, aliud rebus adjunctum et accidens? Veluti, e. g. pulcrum modo per se statuo, modo aliis rebus adjungo, ut pulcram faciem, pulcrum facinus, quorum illud substantiae, hoc accidentis locum obtinet; si-

(48) Plato Soph. p. 258 sq. Aristoteles Metaph. III, 6 extr. p. 673 G: ἀδύνατον τἀναντία ὑπάρχειν ἅμα, ἀλλ' ἢ πῇ ἄμφω, ἢ θάτερον μὲν πῇ, θάτερον δὲ ἁπλῶς.

(49) Aristoteles Phys. I, 3. p. 255 F. Cf. ibid. c. 8. p. 261.

(50) Aristot. Phys. I, 3. p. 255 F, et interpretes ad h. l. ut Jo. Grammaticus in Phys. lit. B, p. 7 et 8; Alexander Aphrodis. in Analyt. pr. (cap. 32, s. 5.) p. 204, interpr. Feliciano, et saepe alibi; Themist. in paraphr. Phys. aliique; imprimis vero Simplicius et quem hic citat, Eudemus, Phys. I, f. 25 sq. Cf. Brandis. Comment. p. 136, not. *f*.

(51) Vid. vss. 61, 97.

militer ens vel generatim per se statui potest, vel aliis rebus adjunctum. Sed hoc formarum discrimen, ut Aristoteles ipse fatetur, Parmenides nondum perspexit, ne attigit quidem.

Ut juste Parmenidis argumentatio judicetur, ex ipsius sensu et ratione interpretanda est. Propositum illi erat ut esse probaret, refelleret eos qui fieri et labi cuncta dicerent. Huc tota ejus spectat argumentatio. Utrum vero ens simplex sit an varium, (ἁπλῶς ἢ πολλαχῶς), unum an multa (ἓν ἢ πολλὰ), non quaesivit, sed hae quaestiones e sequentium demum philosophorum controversiis natae sunt. Nam quum ille dialectico acumine adversarios fateri cogeret, aut esse aut nihil relinqui, hi contra contenderunt, si esse solum verum sit, ad unum cuncta reduci, omne rerum discrimen omneque vinculum tolli. Sic disceptatio orta, utrum esset ἓν an πολλά, quae ducta quidem e Parmenidis argumentatione, ab ipso tamen non tacta videtur, sed commota et agitata praesertim est a Zenone ceterisque Eleaticis, qui ad tuenda magistri placita mordicus hoc tenuerunt: unum omnia[52]. Hinc magna contentio, qua Parmenidis philosophia a placida veritatis contemplatione in certaminis campum traducta de pristina simplicitate degene-

(52) Plato Parm. p. 128, de Zenonis scripto loquens, ἔστι δὲ, inquit, βοήθειά τις ταῦτα τὰ γράμματα τῷ Παρμενίδου λόγῳ πρὸς τοὺς ἐπιχειροῦντας αὐτὸν κωμῳδεῖν, ὡς, εἰ ἕν ἐστι, πολλὰ καὶ γελοῖα συμβαίνει τῷ λόγῳ καὶ ἐναντία αὐτῷ. ἀντιλέγει δὴ οὖν τοῦτο τὸ γράμμα πρὸς τοὺς τὰ πολλὰ λέγοντας .... τοῦτο βουλόμενον δηλοῦν, ὡς ἔτι γελοιότερα πάσχοι ἂν αὐτῶν ἡ ὑπόθεσις ἡ εἰ πολλά ἐστιν ἢ ἡ τοῦ ἓν εἶναι. Aristoteles Elench. Soph.

ravit, et tandem in inanes Eristicorum captiones obsolevit. Quibus commotus Plato, dialectica arte instructus, discernendo contraria jungendoque similia, varias entium species (*τῶν ὄντων εἴδη*) inter se distinxit et copulavit; Aristoteles denique accuratius circumscripsit et in certos locos distribuit, quae vulgo decem categoriae appellantur. Unde profecto intelligitur Parmenidis rationem nequaquam ad seriorum notiones exigendam esse [53].

Idem judicandum de quibusdam sophismatis, quae ex eadem argumentatione fluxerunt; quorum unum est a sophistis maximopere jactatum, quo contendebant, quodcumque quis enuntiet vel cogitet, verum esse, falsum vero ac mendax esse nihil. Quod tali fere ratione probabant: si non ens plane nihil est, neque adeo enuntiari illud potest, quodcumque autem enuntietur ens est, idque unum est verum, — sequitur, ut quodcumque dicas vel cogites verum sit, mendacium vero nullum [54]. Hanc rationem multi Socratis aetate usurparunt, ut Protagoras, item antiquiores, sicut Plato significat verbis *οἱ ἀμφὶ Πρωταγόραν καὶ οἱ ἔτι παλαιότεροι*, quibus ipsum Parmenidem ab eo notari putant [55]. At Parmenidis sententia cum ex ipsius

(53) Monuit hoc jam Eudemus apud Simplicium l. l. *Παρμενίδου μὲν οὖν ἀγασθείη τις ἂν ἀναξιοπίστοις ἀκολουθήσαντος λόγοις, καὶ ὑπὸ τοιούτων ἀπατηθέντος ἃ οὔπω τότε διεσαφεῖτο; οὔτε γὰρ τὸ πολλαχῶς (ὂν) ἔλεγεν οὐδείς, ἀλλὰ Πλάτων πρῶτος τὸ δισσὸν εἰσήγαγεν, οὔτε τὸ καθ' αὑτὸ καὶ κατὰ συμβεβηκός (ὄν).*

(54) Plato Euthyd. p. 284-286; idem tangit in Cratyl. p. 385 B, 429 C; explorat in Sophist. p. 237, 260 D; Theaetet. p. 188 sq.

(55) Euthyd. p. 286 C. Heindorf. ad Cratyl. § 5.

versibus tum ex aliorum testimoniis manifesta est; quibus comparatis facillime apparebit, quantum sophistarum cavillatio ab illius severitate absit. Quamobrem si Plato *antiquiorum* nomine Parmenidem, ut equidem credo, obscure significaverit, non ideo hoc sophisma ab ipso Parmenide, quem ut modestum et gravem philosophum laudat, editum esse, sed ex ejus argumentatione fluxisse censuit.

§ 7.

Ente constituto, deinceps hoc, quale sit, describit, notasque, quibus species ipsius cernatur, exponit, informans illud immortale, immobile, uniforme, integrum, omnibus denique numeris perfectum [56]. In his notandis Parmenides a veteribus primum in eo reprehenditur, quod sibi ipse repugnet. Negant enim, si ens unum per se esse affirmetur, quidquam posse ad hoc unum adjungi: nam simulac qualitates adjungantur, exempli gratia, si dicas: ens est aeternum, - statim duos pluresve notiones copulari, quarum alia rem subjectam (τὴν οὐσίαν), alia accidens quid (συμβεβηκός) notet: ergo aut omnia ista nihili esse, aut plura statuenda τῶν ὄντων genera, veluti subjectum et praedicatum quae appellantur [57]. Atqui haec ipsa Parmenidis ratio arguere videtur, non hoc eum voluisse, ut ad unum ens omnia reduceret, sed

(56) Vid. vss. 58 sqq.
(57) Vid. imprimis Plato Sophist. et Aristoteles Phys. L. I.

etiamsi varias τῶν ὄντων species non definite distinxerit, tamen rerum notionumque discrimen non sustulisse, sed tacite agnovisse. — Attendamus vero singula ejus argumenta.

Primum demonstrat, ens esse aeternum, neque natum neque interiturum, quod hac ratione concludit: »Quodcumque natum est, ab aliqua origine ortum et aliqua vi procreatum sit, necesse est; atqui ens aliunde ortum esse nequit, nec ex non-ente, quippe quod nihil est, ex nihilo autem nihil; neque ex ente; ens enim enti simile, atque unum et idem est. Ergo ens ingenitum sit necesse est. Si autem ingenitum est, immortale quoque esse, eâdem ratione efficitur: si enim ens interiret, reverti illud oporteret in non ens quod omnino nullum est [58]. Aeternum igitur est ens."

Argumentatio haec opposita rursus communi tam vulgi quam doctorum opinioni, quorum plerique tale fingebant naturae principium, quod ipsum aliunde exstitisset; veluti, ut exemplum afferam, Hesiodus canens: ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ' [59], *Chaos*, omnis naturae primordium, aliquando *exstitisse* (γενέσθαι) dicit; si exstiterit, ex aliquo principio exstitit: ergo non potest principium appellari. Eleatici rerum notiones subtilius pervestigantes, intellexerunt et demonstrarunt, esse et nasci ita a se invicem distare ut alterum altero tollatur nec ambo conjungi ullo modo possint. Primus hoc explicuisse dicitur Parme-

(58) Cf. commentar. ad vs. 67. Si vulgatam lectionem sequare, posterior conclusionis pars tacite supplenda est.

(59) Theogon. vs. 116.

nides [60], tametsi hic argumentum duxisse videtur a Xenophane, qui simili ratione Deum aeternum esse probavit, quod neque e diversa neque e simili natura potuisset exsistere. Idem autem plenius expositum est a Melisso, cujus haec sunt verba [61]: *εἰ δέ τι ἔστιν, ἤτοι γενόμενόν ἐστιν ἢ ἀεὶ ἐόν. ἀλλ' εἰ γενόμενον, ἤτοι ἐξ ἐόντος ἢ ἐκ μὴ ἐόντος· ἀλλ' οὔτε ἐκ μὴ ἐόντος οἷόν τε γίνεσθαί τι, οὔτε ἄλλο μὲν οὐδὲν ἐὸν, πολλῷ δὲ μᾶλλον τὸ ἁπλῶς ἐόν· οὔτε ἐκ τοῦ ἐόντος· εἴη γὰρ ἂν οὕτως καὶ οὐ γίνοιτο. οὐκ ἄρα γινόμενόν ἐστι τὸ ἐόν· ἀεὶ ἐὸν ἄρα ἐστίν. οὔτε φθαρήσεται τὸ ἐόν· οὔτε γὰρ εἰς τὸ μὴ ἐὸν οἷόν τε τὸ ἐὸν μεταβάλλειν,... οὔτε εἰς ἐόν. κτλ.* Haec ratio ut semel monstrata est, deinde a plerisque philosophis probata est et adscita. Alii ad mundi principia transtulerunt, ut Empedocles, quatuor elementa statuens, ea ab aeternitate fuisse et aeterna manere docet; stultos vocat,

οἳ δὴ γίγνεσθαι πάρος οὐκ ἐὸν ἐλπίζουσιν,
ἤε καταθνήσκειν τε καὶ ἐξόλλυσθαι ἁπάντη. [62]

Mutari quidem ea et formis variari censet, non autem aliunde exstitisse aut aliquando interitura. Eodem argumento Ocellus Lucanus universum hoc aeternum esse probat [63]: *δοκεῖ γάρ μοι τὸ πᾶν ἀνώλεθρον εἶναι καὶ ἀγένητον..... οὔτε γὰρ εἰ γενόμενόν τις αὐτὸ δοξάζει,*

(60) Apud Simplicium de Coel. f. 138 Ald.

(61) Vid. Simplic. Phys. f. 22 B. Similis locus est ibid. f. 34 B. cf. Brandis Comment. p. 186 et 190.

(62) Empedocles vs. 109 Sturz. cf. annot. ad Parmen. vs. 59.

(63) Ocellus Luc. in Opusc. Myth. Gale, p. 506, 510 sq. Verba uncis inclusa addidi, quibus mutilam sententiam explerem.

εὕροιτο ἂν (ἐξ οὗ ἐγένετο, οὔτε εἰ φθειρόμενον,) εἰς ὃ φθαρείη καὶ διαλυθείη. ἐξ οὗ γὰρ γέγονε, ἐκεῖνο πρῶτον τοῦ παντός ἐστιν· εἰς ὅ τε πάλιν φθαρήσεται, ἐκεῖνο ἔσχατον τοῦ παντὸς ἔσται. Denique pervagatum est physicorum axioma: *gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* [64] Sic hi omnes tenuerunt, naturae materiem non exstitisse aliquando, sed ab omni aeternitate per se fuisse. Alii eandem argumentationem traduxerunt ad animi naturam, ut Pythagorei ac praesertim Plato, qui, demonstrans animi naturam ab aeternitate fuisse, eadem utitur ratione: ἀρχὴ δὲ ἀγένητον· ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀναγκὴ πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός· εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπειδὴ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀναγκὴ εἶναι· ἀρχῆς γὰρ δὴ (f. ἤδη) ἀπολομένης, οὔτε αὐτή ποτ' ἔκ του οὔτε ἄλλη ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι [65]. Quibus cum Parmenidis argumentatione comparatis, apparet, quam late haec per philosophorum disputationes pateat: nec tamen ista omnia inter se sunt similia. Parmenides aeternum esse censet ipsum e n s, quoniam nascendi et intereundi notio ab ipso esse aliena sit; physici idem placitum

(64) Versus Persii Sat. III, 84. Ita Democritus apud Diogen. Laërt. IX, 44; Diogenes Apollon. ibid. IX, 57; Lucretius I, 541. Simplicius Phys. VIII, f. 262 A: τὸ πολυθρύλλητον τῶν φυσικῶν, ὥς αὐτοί φασιν, ἀξίωμα, τὸ μηδὲν ἐκ τοῦ μηδαμῇ μηδαμῶς ὄντος γίγνεσθαι, ἀλλὰ πᾶν ἐκ προϋπάρχοντος ἔχειν τὴν γένεσιν.

(65) Plato Phaedr. p. 245. Verba, εἰ γὰρ ἔκ τοῦ ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο, Cicero Tusc. I, 23, sic reddidit: *Nec enim esset principium quod gigneretur aliunde.* Qua interpretatione ambiguitatem, quae est in duplici verbo γίγνοιτο, sustulit.

a re abstracta ad mundum adspectabilem, naturae elementa, transtulerunt; Plato denique ad animi naturam, ut movendi principium, traduxit.

Illa autem argumentatio ut valuit ad probandam entis aeternitatem, sic eadem tendit quoque ad tollendam funditus rerum naturam. Namque si solum ens verum sit, idque ingenitum et immortale, sequatur ut revera nulla sit generatio, nullus interitus. Et profecto ipse Parmenides fatetur, ista plane a se tolli [66]:

τῶς γένεσις μὲν ἀπέσβεσται καὶ ἄπιστος ὄλεθρος.

Si nulla est generatio nec interitus, universum est ingenitum, immortale, aeternum: *ἀγένητον, ἄφθαρτον, ἀΐδιον τὸ πᾶν.* Hoc ut Parmenidis et Eleaticorum decretum a plerisque divulgatum est [67]. Illorum argumentationem reprehendit Aristoteles dicens: *ζητοῦντες γὰρ οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν ἀλήθειαν καὶ τὴν φύσιν*

(66) Vid. vs. 76.

(67) Vid. placitorum scriptores, quorum testimonia, ne saepius citare cogar, hic integra apponam: Plutarch. Plac. phil. I, 24: *Παρμενίδης, Μέλισσος, Ζήνων ἀνῄρουν γένεσιν καὶ φθοράν, διὰ τὸ νομίζειν τὸ πᾶν ἀκίνητον.* Eadem vel gemina his leguntur apud Galenum, de Philos. hist. X, 8, p. 32 E, et Stobaeum Ecll. I, 21, p. 412. Stobaeus ibid. p. 416: *Ξενοφ. Παρμεν. Μέλισσ. ἀγέννητον εἶναι, ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον τὸν κόσμον.* Origenes Philos. XI, p. 890: *Π. ἓν μὲν τὸ πᾶν ὑποτίθεται (καὶ ἀγέννητον) καὶ σφαιροειδὲς... καὶ ὅμοιον... καὶ ἀκίνητον καὶ πεπερασμένον.* Cf. Eusebius Praep. Eu XIV, 3, p. 720 D: *ὁ δὲ Παρμενίδης, τὸ γένος Ἐλεάτης ὤν, ἓν μὲν εἶναι τὸ πᾶν, ἀγέννητον δὲ καὶ ἀκίνητον καὶ κατὰ σχῆμα σφαιροειδὲς ὑπάρχειν ἐδογμάτιζεν.* Hermias, Gentil. philos. irris. s. 3, p. 403 (in Justini phil. Opp. Paris. 1742.): *ὅ γε μὴν Παρμενίδης καὶ ποιητικοῖς ἔπεσιν ἀνακηρύσσει, τὴν οὐσίαν ἓν εἶναι καὶ ἀΐδιον καὶ ἄπειρον καὶ ἀκίνητον καὶ πάντῃ ὅμοιον.* Quod isti *πᾶν* et *κόσμον* vocant, nihil aliud est quam interpretatio *τοῦ ὄντος* Parmenidis, ut docebimus infra § 11 extr. et § 15.

τὴν τῶν ὄντων, ἐξετράπησαν οἷον ὁδόν τινα ἄλλην ὑπὸ ἀπειρίας· καὶ φασὶν οὔτε γίγνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε φθείρεσθαι, διὰ τὸ ἀναγκαῖον μὲν εἶναι γίγνεσθαι τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὄντος ἢ ἐκ μὴ ὄντος· ἐκ δὲ τούτων ἀμφοτέρων ἀδύνατον εἶναι. οὔτε γὰρ τὸ ὂν γίγνεσθαι· εἶναι γὰρ ἤδη. ἔκ τε μὴ ὄντος οὐδὲν ἂν γενέσθαι· ὑποκεῖσθαι γάρ τι δεῖ. καὶ οὕτω δὴ τὸ ἐφεξῆς συμβαῖνον αὔξοντες, οὐδ' εἶναι πολλά φασιν, ἀλλὰ μόνον αὐτὸ τὸ ὄν [68]. Reprehendit Eleaticos, quod certum et stabile anquirentes principium, adeo de via deflexerint, ut generari aut interire nihil contenderent: in quem eos errorem incidisse docet eo, quod *unum ens per se* ponerent, nec discernerent τὸ ἁπλῶς ὂν et τὸ κατὰ δύναμιν, porro τὸ δυνάμει ὂν et τὸ ἐνεργείᾳ, quibus inter se distinguen-

(68) Aristot. Phys. I, 8. p. 261 B. cf. de Coelo III, 1, quem locum notavimus supra § 2, not. 10. Chalcidius in Timaeum p. 283, eundem syllogismum refert: » si quid fit, id necesse est vel ex eo fieri quod jam » erat, vel ex eo quod non est; utrumque autem impossibile;" — quod deinceps solita ratione demonstrat, addens, hac argumentatione veteres physicos usos esse, ut omnem rerum genituram et interitum tollerent. Cf. Brandis. p. 139, not. *d*.

Aristoteles autem deinceps Phys. I, c. 9, p. 263 H, haec dicit: ἡμμένοι μὲν οὖν καὶ ἕτεροί τινές εἰσιν αὐτῆς, ἀλλ' οὐχ ἱκανῶς. πρῶτον μὲν γὰρ ὁμολογοῦσιν ἁ π λ ῶ ς γ ί γ ν ε σ θ α ί τ ι ἐ κ μ ὴ ὄ ν τ ο ς, ᾗ Παρμενίδην ὀρθῶς λέγειν· εἶτα φαίνεται αὐτοῖς, εἴπερ ἐστὶν ἀριθμῷ μία, καὶ δυνάμει μόνον μίαν εἶναι. Ex his verbis videatur effici posse, Parmenidem statuisse γίγνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος; quod tamen non minus ipsi Parmenidis rationi, quam Aristotelis de eo testimoniis repugnat. Sed spectat Aristoteles eos, qui Parmenidis propositionem, est vel non est, comprobantes, deinde non, ut ille, non-ens plane tollerent, sed hoc naturam sive γενέσεως principium facerent. Hi quinam intelligendi sint, certant interpretes. Plerique putant Platonem ab Aristotele tangi: perperam; spectavit fortasse aliquem sophistarum, ex quo genere fuit Xeniades ille, quem modo vidimus p. 154.

dis ipse et entis aeternitatem conservare et naturae vicissitudinem tueri est conatus. Atqui animadvertendum rursus, istam conclusionem, nihil fluxum esse, aeternum esse universum, quamvis e Parmenidis argumentatione ductam, non tamen ex ipsius mente expressam esse. Ille, in consideranda entis natura, non quaesivit de mundi principiis; utrumque argumentum non copulavit, sed disjunxit; in altero solam veritatem spectavit, alterum ad opinionis visa rejecit. Seriores vero, praesertim sceptici, in multis Eleaticos aemulati, illorum rationes usurparunt ad physicorum placita refutanda et omnem rerum naturam labefactandam, quorum sententiam multi perperam cum veteribus illis fecerunt communem [69].

§ 8.

Parmenides igitur ex ipsa entis notione demonstrare studuit, illud aeternum esse: quum enim sit simplex et uniusmodi, non posse ulli naturae varietati nec temporis vicissitudini esse obnoxium. Quam aeternitatis notionem egregie expressit uno vocabulo ἔστι. Vulgo quidem aeternum definiri solet, id quod est semperque fuit semperque futurum est; sicut Melissus dicit: ὅτε τοίνυν οὐκ ἐγένετο, ἔστι τε καὶ ἀεὶ ἦν καὶ ἀεὶ ἔσται [70]. Praeclarius vero Parmenides omne tempo-

(69) De Scepticis vid. Sextus Empir. adv. Mathem. X, s. 331; ubi cf. Fabricius, idemque ad Chalcid. l. l.

(70) Apud Simplic. Phys. f. 23 B.

ris discrimen ab aeterno segregat, dicens: »Ens nec fuit unquam, nec erit, sed est tantum, eoque totum continetur: νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν." Quod dictum imitatus Plato in Timaeo, eodem hoc vocabulo aeternam naturam appellandam censet [71].

Ex his facile intelligitur, quid valeat, cum Parmenides ens dicit οὖλον, μουνογενές, ἕν, ξυνεχές. Significat nimirum, ens esse simplex et uniusmodi, vacans omni partium discrimine omnique vicissitudine, una temporis continuitate, uno et singulari naturae statu contentum. Quae tamen verba mirum quam varie a veteribus accepta sint, ab aliis reprehensa, ab aliis explanata. Notanda sunt ea, quo clarius Parmenidis mentem ab aliorum notionibus discernamus.

Plato in explorando nobili illo Eleaticorum decreto, unum esse omnia, reprehendit Parmenidem, quod unum ὅλον, totum, appellet. Totum enim ejusmodi esse, quod suis partibus completum sit; quod autem partibus constet, non esse unum, sed multum [72]. Similiter τὸ συνεχές, continuum, ab Aristotele notatur: συνεχὲς appellari id quod continuatâ partium serie cohaereat, atque adeo in infinitum numerum dividi possit [73]; Parmenidem igitur sibimet repugnare,

(71) Vid. Parmen. vs. 60, et commentar. p. 90.

(72) Cf. inferius § 10, n. 96.

(73) Phys. I, 2. p. 254 F: λέγεται δὲ ἓν ἢ τὸ συνεχὲς ἢ τὸ ἀδιαίρετον..... εἰ μὲν τοίνυν συνεχὲς, πολλὰ τὸ ἕν· εἰς ἄπειρον γὰρ διαιρετὸν τὸ συνεχές. ἔχει δὲ ἀπορίαν περὶ τοῦ μέρους καὶ τοῦ ὅλου,... πότερον ἓν ἢ πλείω τὸ μέρος καὶ τὸ ὅλον. Similiter de Coelo I, 1, συνεχὲς definit τὸ διαιρετὸν εἰς ἀεὶ διαιρετά. Cf. idem in Categor. VI; Simplicii commentar. in Categor. f. 31 E, 32 Δ. ed. Velsii.

quum et unum esse statuat, idemque totum et continuum appellet. Fateamur, Parmenidem has notiones ἕν, ὅλον, συνεχές, minus clare definivisse, minusque proprie usurpasse: verborum enim interpretatio et notionum definitio tum nondum tractata erat. Si tamen ex ipsius sensu verba interpretemur, facile ista inter se conciliari possunt. Nam nec unum ita stricte definivit, ut Plato et Aristoteles faciunt, neque totum et continuum eo sensu accepit, quo illi interpretantur: significat id quod simplex et uniusmodi et sui simile sit semper. Quocirca ista repugnantia magis in verbis quam in sententia posita est.

Aliter vero multi interpretes, praesertim seriores Platonici et Aristotelici, illius sententiam interpretari ac tueri sunt conati. Fatentur, quod Plato et Aristoteles ajunt, ὅλον et συνεχὲς partium multitudinem significare; eodem vero sensu ipsum Parmenidem ista vocabula usurpasse volunt, hoc videlicet significantem: ens esse supremam omnium naturam, in qua contraria rerum genera unâ sint complexione constricta, uno vinculo comprehensa: hinc unum ens idemque multum recte ab eo praedicari. Audiamus ipsos. Proclus: ὁ Παρμενίδης, inquit, ἔκ τε τοῦ ἑνὸς ὄντος οἶδε τὸ πλῆθος τὸ νοητὸν προϊὸν, καὶ πρὸ τῶν πολλῶν ὄντων τὸ ὂν ἓν ἱδρύμενον. πολλοῦ ἄρα δεῖ (αὐτὸν) τὸ πανταχοῦ πλῆθος ἀνατρέπειν διὰ τὴν τοῦ ἑνὸς ὄντος θέσιν κτλ.[74] Itaque eodem, quod ille unum appellat, simul generum varietatem contineri censet. Jo. Philo-

(74) Proclus in Parm. T. IV, p. 121 Cousin. cf. commentar. ad vs. 41.

ponus, Aristotelis verba interpretans, haec animadvertit: *δεῖ δὲ εὐγνωμόνως ἡμᾶς καὶ τῶν Παρμενίδου λόγων ἀκούοντας, ἐκ τῶν παρ᾽ αὐτοῦ τοῦ Παρμενίδου τὴν διάνοιαν αὐτοῦ ἑλεῖν. τί οὖν φησιν ἐν τοῖς ἔπεσιν αὐτὸς περὶ τοῦ ὄντος;*

οὖλον μουνογενὲς καὶ ἀτρεμὲς ἠδ᾽ ἀγένητον.

καὶ πάλιν·

οὐκ ἦν οὐκ ἔσται, ὁμοῦ πᾶν ἔστι δὲ μοῦνον.

καὶ πάλιν·

ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει.

εἰ δὲ φησὶν πᾶν ὁμοῦ, καὶ ἐὸν ἐόντι πελάζει, ᾔδει ἄρα τὸ πλῆθος ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν. ἀλλ᾽ ἐπεὶ μὴ περὶ φυσικῶν ἦν αὐτοῖς (τοῖς ἀμφὶ Παρμενίδην) ὁ λόγος, ἀλλὰ περὶ τῶν νοητῶν, διὰ τοῦτο τὴν ἐν ἐκείνοις ἕνωσιν θεωροῦντες καὶ τὸ ἀμετάβλητον, οὕτως αὐτὰ ἐκαλοῦν [75]. Hic similiter arbitratur, Parmenidem in uno simul agnoscere multitudinem; vocabula autem, quibus ens describit, *ὅλον, σὺνεχές*, non physicorum sensu ab eo usurpata esse, sed ad intelligibilem naturam accommodate. Idem clarius etiam exponit Simplicius, Aristotelem redarguens: *θαυμάζω δ᾽ ἔγωγε τοῦ Ἀριστοτέλους πρὸς ἐκεῖνα τοῦ ἑνὸς τὰ σημαινόμενα ἀντειρηκότος, ἃ καὶ ὁ Παρμενίδης φησὶ τῷ ἑνὶ ὄντι προσεῖναι· καὶ γὰρ ξυνεχὲς αὐτὸ ἀνυμνεῖ κτλ. . . . ἀλλὰ καὶ τὸ ὅλον καὶ μέρη καὶ ξυνεχὲς ὡς ἐπὶ σώματος λαμβάνων Ἀριστοτέλης, τὰ ἄτοπα ἐπήγαγεν.* Deinde Parmenidis ens intelligendum esse docet principium omnium, quo comprehensa sint *τὰ πάντα, κατὰ μίαν ἕνωσιν περιεχόμενα τὴν τοῦ ἑνὸς ὄντος, δι᾽ ἣν ἀμερίστως διακριθέντα ἕκαστον τὰ πάντα ἐστί.* Cujusmodi *ἕνωσιν*

(75) Philopon. in Phys. I. lit. B, p. 9. Versus citati sunt 59 et 60, de quorum lectione diximus in commentar. p 86, 89 sq.

non cadere in mundum spectabilem, sed intelligibilem; neque adeo vocabula ista unum et continuum, eo sensu quo de rebus naturalibus usurpantur, ad mundum intelligibilem traduci oportere: οὐκ ἐπιδέχεται τὴν νοητὴν ἕνωσιν ὁ αἰσθητὸς διασπασμός . . . . τὸ οὖν ἐνταῦθα (ἐν τοῖς αἰσθητοῖς) ἀδιαίρετον καὶ τὸ συνεχὲς καὶ ἡ κατὰ τὸν ἕνα λόγον κοινωνία (ἐν τοῖς αἰσθητοῖς) οὐκ ἐφαρμόττει τῷ ἑνὶ (τῷ νοητῷ) [76]. Sic hi omnes judicant, quas Parmenides enti attribuit notas, non explicandas esse physicorum ratione, ut Aristoteles facit, sed magis reconditam habere significationem, rebus νοηταῖς accommodatam: significari enim, in ente inesse quidem multitudinem et varietatem, nullum tamen in eo esse partium discrimen aut diversitatem. Quodsi Aristotelis interpretatio cum Parmenidis mente parum congruat, altera profecto illa, e Neo-platonicorum rivulis ducta, multo etiam minus cum ejus verbis et sententia quadrat. Quis enim, quum Parmenides ens dicat ὅλον, μονογενές, νῦν ὁμοῦ πᾶν, ἕν, συνεχές, his vocabulis varium et multiplex ab eo significari existimet? Missâ igitur illorum interpretatione, teneamus id quod ipsius verba indicant, ens esse uniforme, omni partium diversitate omnique temporis vicissitudine vacans, unâ et simplici naturae specie contentum.

§ 9.

Ut ens omni temporis discrimine vacat et aeternum

(76) Simplic. Phys. f. 19 B.

est, sic idem nullis locorum terminis continetur, nec regionum intervallis separatur. Quod probat demonstrando ens esse ἀδιαίρετον et ἀκίνητον, individuum et immobile. Utrumque e simplici entis notione ductum hac fere ratione concludit:

»Quum ens unum sit ac totum sui simile, nihil est prorsus quo illud dirimatur, nihil in eo vacuum, nihil discretum, sed natura sua completum est, integrum et cohaerens: ergo dividi nullo modo potest. Porro quum nulla ei sit generatio nec interitus, omni fluxu et vicissitudine vacat; quumque sit solum per se et simplex, nullus est locus in quo consistat aut moveatur; et quum in eo nihil sit inane, nihil magis minusve plenum et perfectum, diminui aut evanescere nequit. Ergo ens moveri et mutari omnino nullo modo potest." [77]

His quidem argumentis Parmenides ens individuum et immobile esse demonstravit. Tetigerat haec jam Xenophanes, Deum unum suique similem et motûs expertem censens [78]. A quo duxisse Parmenidem probabile est, quamquam suis utentem rationibus; similiter ut post Parmenidem fecit Melissus, notiones illas, ἀκίνητον, ὅμοιον, πλέων, copiosius explicans [79].

Utriusque autem et Parmenidis et Melissi rationibus obloquitur Aristoteles, negans, necesse esse ut,

(77) Vid. vss. 77-88.

(78) Vid. Aristotelis et Simplicii testimonia in Xenoph. edit. p. 103 et 108, coll. p. 118 sq.

(79) In fragm. citt. a Simplicio Phys. f. 22-24.

quod unum et simplex, idem sit immutabile et immobile. Quidni enim, inquit, et unum esse potest, et tamen moveri in se suopte motu, ac similiter mutari? [80] Atqui omnis motus omnisque mutatio est affectio quaedam (*πάθος*), quam necesse est ab aliqua caussa oriri; unde duo exsistunt inter se diversa, alterum caussa efficiens, alterum id quod efficitur, et sic inducitur rerum discrimen, quod non cadit in id quod unum et simplex est. Reprehendit quoque Parmenidem, quod ens individuum facit, dicens hoc repugnare ei quod idem *συνεχὲς* et *πεπερασμένον*, continuum et finibus terminatum, dicit. Namque individuum esse quidem punctum sive extremum quid, non autem id quod habeat ambitum aliquem et magnitudinem [81]. Simplicius, ut Parmenidem tueatur, ait hoc ipsum ab eo significari, ens summum esse omnium rerum finem sive *πέρας*, a quo ducantur et quo referantur omnia [82]. Quod parum congruit illius verbis et sententiae. Sed animadvertendum, Parmenidem *ἀδιαίρετον* non eodem sensu intellexisse quo Aristoteles interpretatur; individuum enim appellat id in quo nulla est diversitas, quod uniforme et sim-

(80) Aristot. Phys I, 3. p. 255 D: *διὰ τί ἀκίνητον, εἰ ἕν; ὥσπερ γὰρ καὶ τὸ μέρος ἓν ὄν, τοδὶ τὸ ὕδωρ, κινεῖται, διὰ τί οὐ καὶ τὸ πᾶν;*

(81) Ibid. 1, p. 254 F: *λέγεται δὲ ἓν ἢ τὸ συνεχὲς ἢ τὸ ἀδιαίρετον· . . . εἰ μὲν τοίνυν συνεχές, πολλὰ τὸ ἕν· εἰς ἄπειρον γὰρ διαιρετὸν τὸ συνεχές· . . . ἀλλὰ μὴν εἰ ὡς ἀδιαίρετον, . . . οὐδὲ δὴ ἄπειρον τὸ ὄν, ὥσπερ Μέλισσός φησιν, οὐδὲ πεπερασμένον, ὥσπερ Παρμενίδης· τὸ γὰρ πέρας ἀδιαίρετον, οὐ τὸ πεπερασμένον.*

(82) Simplicius Phys. I, f. 19 A: *το ἀδιαίρετον οὖν ὡς πέρας, οὐχ ὡς πέρας ἕξει σώματος, ἀλλ' ὡς τέλος πάντων καὶ ἀρχὴ τῶν ὄντων.*

plex est; quocirca ἀδιαίρετον et συνεχὲς, individuum et continuum, quae Aristoteli contraria sunt, e Parmenidis mente optime conveniunt.

Quo melius vero Parmenidis rationes perspiciantur et judicentur, contendendae sunt cum physicorum placitis, quibus erant oppositae. Physici adspectabilem considerantes naturam, quae semper mutatur et variatur, ad hanc placita sua accommodarunt; Parmenides solum ens, quod sempiternum est, verum existimans idque unum intuens, ad hoc argumenta sua omnia retulit. Itaque illi fluxu motuque cuncta agitari censebant, quod cum alii veteres tum praesertim Heraclitus et Empedocles docuerunt, alter statuens τὸ ὂν διαφερόμενον ἀεὶ ξυμφέρεσθαι, *ens dissipari semper semperque conciliari* [83]; alter ita canens:

τότε μὲν γὰρ ἓν ηὐξήθη μόνον εἶναι,
ἐκ πλεόνων, τότε δ' αὖ διέφυ πλέον' ἐξ ἑνὸς εἶναι [84].

Parmenides contra nec dissipari illud nec rursus conjungi posse demonstrat, sed ens cum ente cohaerere. Porro physici aliud statuebant esse densum, aliud rarum, aliud plenum, aliud vacuum (ut Leucippus et Democritus), quorum contraria actione perpetuam rerum vicissitudinem et mutationem effici. Ille contra ens docet esse simplex et uniusmodi, naturaque sua integrum et completum. Sic utrorumque, physicorum et Eleaticorum, sententiae prorsus erant inter se oppositae. Quod discrimen non semel notat Plato, ut in Theaeteto, quum dicit, alios contendere, ἐκ

(83) Apud Platon. Sophist. p. 242 E.
(84) Empedocles vs. 34 Sturz. cf. Plato l. l.

φυρᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα ἃ δή φαμεν εἶναι, οὐκ ὀρθῶς προςαγορεύοντες· ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδέν, ἀεὶ δὲ γίγνεται. in qua sententia convenire ait, excepto Parmenide, omnes: Protagoram, Heraclitum, Empedoclem, poëtas item, Epicharmum, Homerum; hos quidem obscurius et poëtice, illos vero manifesto praedicantes, ὅτι οὐδὲν ἕστηκε, πάντα κινεῖται. Quibus deinde opponit Eleaticos: ἄλλοι αὖ τἀναντία τούτοις ἀπεφήναντο,

οἷον ἀκίνητον τελέθειν τῷ πάντι ὄνομ' εἶναι,

καὶ ἄλλα ὅσα Μέλισσοι τε καὶ Παρμενίδαι ἐναντιούμενοι πᾶσι τούτοις διϊσχυρίζονται, ὡς ἕν τε πάντα ἐστὶ καὶ ἕστηκεν αὐτὸ ἐν αὑτῷ, οὐκ ἔχον χώραν ἐν ᾗ κινεῖται [85]. E qua sententiarum diversitate factum ut ingens inter utrosque exsisteret contentio [86]. Eandem controversiam notat Aristoteles ubi Eleaticis opponens Leucippum et Democritum, illorum quidem argumentationem sic exponit [87]: ἐνίοις γὰρ ἔδοξε τῶν ἀρχαίων τὸ ὂν ἐξ ἀνάγκης ἓν εἶναι καὶ ἀκίνητον. τὸ μὲν γὰρ κενὸν οὐκ ὄν· κινηθῆναι δ' οὐκ ἂν δύνασθαι, μὴ ὄντος κενοῦ κεχωρισμένου· οὐδ' αὖ πολλὰ εἶναι, μὴ ὄντος τοῦ διείργοντος. τοῦτο δὲ οὐδὲν διαφέρειν, εἴτις οἴεται μὴ συνεχὲς εἶναι τὸ πᾶν, ἀλλ' ἅπτεσθαι διῃρημένως, τοῦ φάναι πολλὰ καὶ μὴ ἓν εἶναι καὶ κενόν. εἰ μὲν γὰρ πάντῃ διαιρετόν, οὐδὲν εἶναι ἕν· ὥστε οὐδὲ πολλά, ἀλλὰ κενὸν

(85) Theaetet. p. 152 D; 180 DE. Hinc apud Origenem Phil. XI, ubi de Parmenidis ente agitur, pro οὐκ ἔχον δὲ τύπον ἐν ἑαυτῷ, corrigendum τόπον; ut jam suspicabatur Brandis. p. 146 d.

(86) Cf. Plato Sophist. p. 246.

(87) Aristot. de Gener. et Corrupt. I, 8.

τὸ ὅλον. εἰ δὲ τῇ μὲν, τῇ δὲ μή, πεπλασμένῳ τινὶ τοῦτο ἂν ἐοικέναι· μέχρι πόσου γὰρ καὶ διὰ τί τὸ μὲν οὕτως ἔχοι τοῦ ὅλου καὶ πλῆρες ἐστι, τὸ δὲ διῃρημένον; ἔτι δὲ ὁμοίως φάναι μὴ εἶναι κίνησιν. Parmenidis et Melissi placita his dictis notari, jam veteres interpretes viderunt, et ipsa arguunt verba quae notavimus, ab Eleaticis petita. Summa sententiae haec est: » Illos censuisse ens esse unum individuum et immobile; nam quum vacuum prorsus nihil sit, ens nec moveri ullam in partem nec dividi ullo modo posse. Contra si quis statuat, universum non unum et continuum esse, sed dividi posse, hunc vacuum inducere et infinitam facere partium multitudinem, unum vero tollere, atque reapse nihil plane relinquere." Ad quae Aristoteles deinceps animadvertit, Eleaticos ratione ductos ea, quae sensibus apparent, transsiliisse, Leucippum contra, quem illis opponit, multitudinem et vacuum inducentem, principia constituisse rerum naturae accommodata.

Aristotelis vestigiis ingressus Philoponus, Parmenidis argumenta ad has ratiunculas reducit: εἰ μή ἐστι κενόν, οὐκ ἔστι κίνησις· ἀλλὰ μὴν οὐκ ἔστι κενόν· οὐκ ἄρα ἐστὶ κίνησις. Porro, εἰ ἐστὶν ἐν τοῖς πράγμασι διαίρεσις, ἐστὶ κενόν· ἀλλὰ μὴν οὐκ ἔστι κενόν· οὐκ ἔστιν ἄρα διαίρεσις· συνεχὲς ἄρα τὸ πᾶν καί ἕν. Quae conclusiones non ex ipsis quidem Parmenidis verbis expressae, sed tamen ex ejus argumentatione collectae sunt. Tum reprehendit eum, quod principia statuens obscura nec probata, his ea quae manifesta sint tollat; quo significat praesertim illud, non esse

vacuum [88]. Sed de eo animadvertendum, Parmenidem, ipsum quidem vacuum utrum sit in natura necne, parum quaesivisse; studiosius hoc fecit Melissus; ille statuit tantum: ens ente nullo modo vacuum esse posse; quod nititur decreto illo, unde tota ejus argumentatio ducitur, aut esse aut non esse; quorum altero sublato, etiam vacuum, quod nihil est, sponte corruit.

Ut autem Eleatici adversarios reprehenderunt, quod, ente sublato, nihil certum ac stabile relinquerent, sic ipsi reprehensi sunt, quod unum ens verum aestimantes, omnem rerum naturam, omnem motum et vicissitudinem, tollerent. Quo spectans Plato illos ridens appellat *στασιώτας τοῦ ὅλου*, *universi statores*; eandemque ob caussam Aristoteles e physicorum numero eos eximendos censet, quod eorum ratio naturae plane repugnet [89]. Hinc vulgo invaluit opinio, Parmenidem motum omnem mutationemque e mundo sustulisse, et rerum naturam finxisse immobi-

(88) Philopon. in Aristot. de Gener. et interitu (Ald. 1527) f. 35 B: *οἱ μὲν ἀμφὶ Παρμενίδην ἀρχὰς ἀφανεῖς καὶ ἀναποδείκτους λαβόντες, δι' αὐτῶν τὰ ἐναργῆ καὶ ὁμολογούμενα ἀνελεῖν ἐπεχείρησαν· οἱ δὲ περὶ Δημόκριτον ἀρχὰς ὁμολογουμένας τῇ αἰσθήσει λαβόντες, δι' αὐτῶν τὰ ἄδηλα κατεσκεύασαν.*

(89) Plato Theaet. p. 181 A. Aristot. Phys. I, 2. p. 253 extr. *τὸ μὲν οὖν εἰ ἓν καὶ ἀκίνητον τὸ ὂν σκοπεῖν, οὐ περὶ φύσεώς ἐστι σκοπεῖν.* Id. de Coelo III, 1. pr. de Melisso et Parmenide, *εἰ καὶ τἆλλα λέγουσι καλῶς, ἀλλ' οὐ φυσικῶς γε δεῖ νομίσαι λέγειν.* Sextus Empir. adv. Math. X, 46: *μὴ εἶναι δὲ κίνησιν οἱ περὶ Παρμενίδην καὶ Μέλισσον ἔλεγον, οὓς ὁ Ἀριστοτέλης στασιώτας τε τῆς φύσεως καὶ ἀφυσίκους κέκληκεν· στασιώτας μὲν ἀπὸ τῆς στάσεως* (h. e. *τῆς ἠρεμίας*), *ἀφυσίκους δέ, ὅτι ἀρχὴ κινήσεώς ἐστιν ἡ φύσις, ἣν ἀνεῖλον φάμενοι μηδὲν κινεῖσθαι.* Hic utriusque, Platonis et Aristotelis, dicta confundit.

lem [90]: quae opinio ab aliis derisa est, quasi negaret ea quae sunt in omnium conspectu posita; ab aliis serio refutata, ut ab Alexandro Aphrodisiensi, Peripatetico, qui contra Eleaticos studiose ostendere conatus est, essentiam quidem per se stabilem esse, nec tamen ideo motum e mundo esse tollendum; sed alterum cum altero copulandum [91]. Alii vero Parmenidem defendunt, quod ens informans naturam intelligibilem, huic corporeum quidem motum detraxerit, intelligentiae tamen motionem, i. e. *τὸ νοεῖν*, reliquerit, sicut Plotinus animadvertit [92]. Melius vero Simplicius Alexandro respondens monet, istam argumentationem ad Parmenidis sententiam parum pertinere; illum considerasse tantum ens ipsum, simplex et ab omni contagione omnique fluxu remotum; neque adeo, quae de hoc praedicat, transferri oportere ad rerum naturam, quam ipse a vera cognitione disjunxit et ad opinionis visa rejecit [93].

Eleaticorum autem rationes etiam hac in quaestione aemulati sunt sceptici, qui, ut auctor est Sextus Empiricus, contendebant, *μὴ μᾶλλον εἶναι ἢ μὴ κίνησιν· .... ὅσον μὲν γὰρ ἐπὶ τοῖς φαινομένοις, δοκεῖν εἶναι κίνησιν, ὅσον δὲ ἐπὶ τῷ φιλοσόφῳ λόγῳ, μὴ ὑπάρχειν* [94]. Haec cum Parmenideis fere conveniunt; illud interest, quod

(90) Vid. scriptores laudati supra § 7, n. 67; cf. Aristocles, cit. in Addend.

(91) Alexander Aphrod. a Simplicio cit. not. 93. cf. Aristocles ibid.

(92) Plotinus Ennead. V, 1, 8. p. 490: *καὶ ἀκίνητον δὲ λέγει Παρμενίδης τοῦτο (τὸ ὄν), καίτοι προςτιθεὶς τὸ νοεῖν, σωματικὴν πᾶσαν κίνησιν ἐξαίρων ἀπ' αὐτοῦ, ἵνα μένῃ ὡσαύτως.*

(93) Simplic. Phys. I, f. 9 A; f. 17 AB.

(94) Sextus Empir. Pyrrhon. Hypot. III, s. 65.

sceptici inter utrumque pariter ambigui erant, neutrum affirmabant; Parmenides contra alterum verum esse censet, alterum opinioni congruum ducit.

§ 10.

Vidimus, Parmenidem ens appellasse simplex, uniforme, continuum, *οὖλον*, *ἕν*, *συνεχές*. Hoc deinceps propria argumentatione exponit, demonstrans ens esse unâ et aequabili naturâ absolutum.

»Nam quum neque sit non-ens, quo ens dirimi vel diminui possit, neque ens ente ulla parte praestantius vel deterius, majus minusve esse queat, nulla in eo esse potest vel membrorum discretio vel naturae diversitas: ergo est omnino sui simile, aequabili natura, et globi instar omni ex parte rotundum." [95]

Argumentatio haec multum agitata est a veteribus vel ad declarandam Parmenidis sententiam vel ad redarguendam. Primum a Platone in Sophista, ubi Eleates hospes ens totum esse statuens, ita pergit [96]: *εἰ τοίνυν ὅλον ἐστιν, ὥσπερ καὶ Παρμενίδης λέγει,*

παντόθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ, —

τοιοῦτόν γε ὄν, τὸ ὂν μέσον τε καὶ ἔσχατα ἔχει· ταῦτα δὲ ἔχον, πᾶσα ἀνάγκη μέρη ἔχειν. Ita e Parmenidis dictis sequi ostendit contrarium ei quod ille effecerat. Parmenides ens voluit esse unum et individuum; Plato demonstrat, quod rotundum sit, habere medium et extrema, ergo non esse simplex sed partibus compo-

(95) Vid. vss. 101 - 108.

(96) Plato Soph. p. 244 E. Cf. supra ad vs. 102 sq.

situm. At Plato non id agebat, ut Parmenidis mentem explicaret, sed ut argumentationem ejus dialectica ratione exploraret. Nobis, qui non quid dicere debuerit, sed quid voluerit, quaerimus, animadvertendum est, Parmenidem, quum ens diceret σφαιροειδές, non cogitasse Platonicam istam definitionem, sed sphaeram finxisse imaginem ac speciem perfectae illius aequabilitatis quam enti tribuit, unde eadem quoque forma a Xenophane Deo erat tributa [97].

Idem argumentum saepius tangitur ab Aristotele, qui hinc efficit, Parmenidem ens statuisse πεπερασμένον, finitum; quod deinde a plerisque inter Parmenidis placita divulgatum est [98]. Qua ratione ille hoc effecerit et quo sensu intellexerit, videamus. In Physicis quaerens quid sit ἄπειρον, quid πεπερασμένον, dicit notiones istas a veteribus perperam esse intellectas: illos videlicet infinitum dicere istud, ultra quod nihil sit; id autem contrario esse perfectum et totum: συμβαίνει δὲ τοὔναντίον εἶναι ἄπειρον ἢ ὡς λέγουσιν· οὐ γὰρ οὗ μηδὲν ἔξω, ἀλλ' οὗ ἀεί τι ἔξω ἐστί, τοῦτο ἄπειρόν ἐστιν· .... οὗ δὲ μηδὲν ἔξω, τοῦτ' ἔστι τέλειον καὶ ὅλον. Deinde ostendit, totum idem esse ac finitum et terminatum, sicut dixit Parmenides, rectius quam Melissus, qui contrarium statuit: τὸ ὅλον δὲ καὶ τέλειον ἢ τὸ αὐτὸ πάμπαν ἢ συνέγγυς τῇ φύσει ἐστί· τέλειον δὲ οὐδὲν μὴ ἔχον τέλος, τὸ δὲ τέλος πέρας. διὸ βέλτιον οἰητέον Παρμενίδην Μελίσσου εἰρηκέναι· ὁ μὲν γὰρ τὸ ἄπειρον ὅλον φησίν· ὁ δὲ τὸ ὅλον πεπεράνθαι, μεσσόθεν

(97) Vid. Xenophan. Rell. p. 104, 108, 119.
(98) Vid. loci citati supra § 7, n. 67.

ἰσοπαλές[99]. Quidam arbitrati sunt, totam hanc argumentationem essė Parmenidis; sed subtilis hujusmodi verborum explicatio illius sensui parum congrua est; Aristotelis est haec definitio, qua arguit, Parmenidis sententiam Melisso anteponendam esse. Parmenidem autem ens πεπερασμένον statuisse, colligit ex eo quod dixit μεσσόθεν ἰσοπαλές. Demonstratum enim erat a mathematicis, quodcumque medium habeat, idem certos quoque habere terminos, atque adeo finitum esse; contra infinitum medium vel terminos habere non posse[100]. Quum igitur Parmenides ens aequalibus a medio radiis terminatum diceret, sequatur, eum finitum illud censuisse. At ista definitio si Aristoteli probata erat, num Parmenidi quoque cognita et recepta fuerit, merito dubitandum. Ens quidem sphaerae instar rotundum finxit, non tamen ut finibus terminatum esse significaret, sed ut summam perfectionis speciem illa imagine exprimeret. At alia quoque afferuntur loca quibus idem clarius dicere videatur, ut versus hic a Simplicio citatus[101]:

κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη
πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει τέ μιν ἀμφὶς ἐέργει.

Verum si horum verborum sensum attentius conside-

(99) Vid. Aristot. Phys. III, 6. p. 278 F. Idem placitum Phys. I, 2. p. 254 G; de X. Z. et G. cap. II. et IV. p. 941 C; 943 extr. De notione τοῦ τελείου cf. Metaph. IV, 16. p. 685. Aristotelem sequuntur ipsius interpretes, ut Themist. Paraphr. p. 35; Jo. Philopon. Phys. I, Litt. A. f. 5 adv. quem citabimus not. 107; Simplic. Phys. f. 116 B sq. Μέλισσος μὲν γὰρ ἄπειρον εἰπὼν τὸ ὄν, καὶ ὅλον αὐτὸ φησὶν εἶναι. Παρμενίδης δὲ ὅλον λέγων αὐτό . . . καὶ πεπερασμένον εἰκότως φησὶν αὐτό.

(100) Vid. Aristot. de Coelo I, capp. 5, 6, 7. Cf. de X. Z. G. c. II, p. 941 C.

(101) Vs. 85 sq. Cf. Simplic. Phys. I, f. 7.

mus, apparebit Simplicium non significare, ens esse terminatum, sed immobile esse et constans et certis naturae suae legibus adstrictum. Concedatur tamen, eum ens *πεπερασμένον* statuisse, modo ne eodem sensu quo intellexit Aristoteles; ille poetica imagine adumbravit, quod hic subtili definitione expressit.

§ 11.

Non alienum hic videtur cum Parmenidis sententia contendere Melissum, quem Aristoteles dicit contra atque illum statuere, infinitum (*τὸ ἄπειρον*) esse totum; cujus auctoritate ducti plerique vulgo praedicarunt, alterum finitum statuisse universum, alterum infinitum. Melissi verba, in quae Aristotelis interpretatio quadrat, memoravit Simplicius[102]; sunt autem haec: *εἰ δὲ ἄπειρον (τὸ ἐόν), ἓν* (i. e. *ὅλον ἐστὶν*)*· εἰ γὰρ δύο εἴη, οὐκ ἂν δύναιτο ἄπειρα εἶναι, ἀλλ' ἔχοι ἂν πέρατα πρὸς ἄλληλα· ἄπειρον δὲ τὸ ἐόν· οὐκ ἄρα πλείω τὰ ἐόντα· ἓν ἄρα τὸ ἐόν.* Si ens infinitum est, unum seu totum esse ait, quoniam quod infinitum est, nullis attingatur terminis; si vero terminis attingatur, non unum sed duo aut plura fore. In quibus Melissus secutus est vulgarem illam veterum notionem, *ἄπειρον* esse *οὗ μηδὲν ἔξω, πεπερασμένον* contra *ὃ ἀεὶ πρὸς ἕτερόν τι περαίνει*[103]; quam vocabulorum definitionem Aristoteles, ut modo vidimus, immutavit[104]. Ex his autem apparet, dis-

(102) Simplic. Phys. f. 22 B.
(103) Aristot. Phys. III, c. 4 et 6. Cf. quae notavi in Xenophan. p. 122 sq.
(104) Docet enim, id quod veteres infinitum appellabant, fini-

crimen, quod inter Parmenidis πεπερασμένον et Melissi ἄπειρον intersit, magis in verbo quam in re esse positum, quum ille τὸ πεπερασμένον parum definiverit, intelligat autem perfectum et omnibus numeris absolutum; hic ἄπειρον e communi significatione appellet id ultra quod nihil est, quodque totum est vi sua contentum: quocirca amborum sententiae fere inter se conveniunt.

Aristoteles autem, semel constituto hoc discrimine, propriam inde effingit utriusque rationem et sententiam. Ita in Metaphysicis [105], Παρμενίδης, inquit, ἔοικε τοῦ κατὰ λόγον ἑνὸς ἅπτεσθαι, Μέλισσος δὲ τοῦ κατὰ τὴν ὕλην. διὸ καὶ ὁ μὲν πεπερασμένον, ὁ δὲ ἄπειρόν φησιν εἶναι αὐτό· Jam τὸ κατὰ τὴν ὕλην ἓν dicitur quasi materies in varias partes et formas distributa; τὸ κατὰ λόγον ἓν appellatur idem ac τὸ κατ' εἶδος ἕν, quod uniforme ac sui simile est, nec alteri subjectum, sed per se constans. Itaque alterum est infinitum, alterum suis finibus contentum; alterum est veluti materies, alterum ut forma ac species; ambo sic fere inter se differunt, ut mundus formatus a rudi indigestaque mole [106]. Hujusmodi

tum dici oportere; finitum autem non necesse esse alterius rei finibus attingi, sed ipsum suis terminis contineri. Cf. Aristot. de Xenoph. Zen. Gorg. c. IV, p. 944 A.

(105) Metaph. I, 5. p. 648 E.

(106) Aristot. Metaph. IV, 6. p. 678 H: λέγεται δὲ ἓν καὶ ὧν τὸ γένος ἕν, διαφέρον ταῖς ἀντικειμέναις διαφοραῖς,... καὶ τρόπον δή τινα παραπλήσιον, ὥσπερ ἡ ὕλη μία. ἔτι δὲ ἓν λέγεται ὅσων ὁ λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι λέγων ἀδιαίρετος πρὸς ἄλλον δηλοῦντα τί ἦν εἶναι τὸ πρᾶγμα. deinde p. 697 E: ἀριθμῷ μὲν ἕν, ὧν ἡ ὕλη μία.

ergo discrimen inter Parmenidis et Melissi ens esse Aristoteles arbitratur, quem interpretes fere sequuntur [107]. Quodsi solum eorum verba attendamus eaque ex Aristotelis interpretatione definiamus, possint profecto videri (*ἐοικέναι*, ut dicit) ita inter se differre; si vero sensum eorum quaeramus, istud discrimen, ut modo ostendimus, plane videtur tolli. Quod quo melius judicetur, consideremus brevi utriusque argumentationem; unde patebit, opinor, ambos, etsi verbis et disserendi ratione discrepent, sententia tamen inter se concinere.

Melissus ens infinitum esse demonstrat, quia est sempiternum, nec ortûs et interitûs terminis circumscriptum [108]: *ὅτε τοίνυν*, inquit, *οὐκ ἐγένετο, ἔστι τε καὶ ἀεὶ ἦν καὶ ἀεὶ ἔσται, καὶ ἀρχὴν οὐκ ἔχει οὐδὲ τελευτήν. — τὸ δὲ μήτε ἀρχὴν ἔχον μήτε τελευτὴν ἄπειρον*

εἴδει δὲ, ὧν ὁ λόγος εἷς. Idem Phys. I, 2, *ἄπειρον* dicit pertinere ad quantitatem (*τὸ ποσόν*), *πεπερασμένον* ad qualitatem (*τὸ ποιόν*). Ibid. III, 6, p. 278 extr. *ἔστι τὸ ἄπειρον τῆς τοῦ μεγέθους τελειότητος ὕλη, καὶ τὸ δυνάμει ὅλον, ἐντελεχείᾳ δὲ οὔ, ... καὶ οὐ περιέχει, ἀλλὰ περιέχεται κτλ.*

(107) Alexander Aphrod. in Metaph. f. 10 A: »Melissum Aristoteles ait ad materiam spectasse; ac ideo ipsum ens infinitum posuisse; infinitio enim materiam attingit." Jo. Philoponus Phys. I, Lit. A, f. 5 adv. *μίαν μὲν οὖν καὶ πεπερασμένην καὶ ἀκίνητον καὶ ἄπειρον Παρμενίδης ἔλεγε καὶ Ξενοφάνης· μίαν δὲ καὶ ἀκίνητον καὶ ἄπειρον ὁ Μέλισσος περὶ τῶν αὐτῶν καὶ αὐτὸς διαλεγόμενος, πλὴν ὅτι οὗτος μὲν ἄπειρον ἔλεγε τὸ ἕν, οἱ δὲ περὶ Παρμενίδην πεπερασμένον· τοῦτο δὲ διὰ τὸ ἐκείνους μὲν (τοὺς περὶ Παρμ.) εἰς τὴν ὁριστικὴν καὶ εἰδοποιὸν τῶν νοητῶν δύναμιν ἀπιδεῖν, τοῦτον δὲ εἰς τὴν ἀπειρίαν τῆς δυνάμεως.*

(108) Melissus apud Simplicium Phys. f. 7 A, f. 22 B. Melissi hunc locum spectat Aristot. de X. Z. G. cap. II, p. 941 A: *ἄπειρον γὰρ εἶναι φησίν, εἰ ἔστι μὲν, μὴ γέγονε δέ· πέρατα γὰρ εἶναι τὴν τῆς γενέσεως ἀρχήν τε καὶ τελευτήν.*

τυγχάνει ὄν· ἄπειρον ἄρα τὸ ἐόν. Idem docet Parmenides, quum ens *ἀγένητον, ἀνώλεθρον*, atque uno verbo *ἀτέλεστον* statuit. Parmenides ens ad sphaerae similitudinem informans *ἶσον* ac *τετελεσμένον* appellat; eodem valet quod Melissus *ἓν* et *ὅμοιον* dicit. Sic ex utriusque ratione, ut jam Simplicius ostendit [109], ens non minus infinitum (*ἄπειρον*) quam finitum (*πεπερασμένον*) potest appellari; utrumque proprio sensu: *ἄπειρον*, quatenus aeternum est nec finem nec initium habet; *πεπερασμένον* quatenus est unum, totum et aequabile [110]. Haec distinctio plerosque fefellit. Unde existimarunt quoque, Parmenidem, quum omnium consensu ens finitum statuerit, non potuisse idem *ἀτελέστον* sive *ἀτελεύτητον* vocare, sicut in ipsius versu legitur, quoniam hoc idem significet atque *ἄπειρον*, et *τῷ πεπερασμένῳ* sive *τετελεσμένῳ* contrarium sit. At eâdem ratione ne *ἀγένητον* quidem nec *ἀνώλεθρον* vocari posset, quoniam haec quoque ambo infiniti notione comprehenduntur [111]. At si varias horum verborum notiones juste distinguamus, difficultas ista facile videtur tolli.

(109) Vid. Simplic. Phys. f. 7 A.

(110) Hoc etiam sensu *ἄπειρον* dicitur ab Hermia, cit. supra § 7, n. 67. Omitto Epiphanium, adv. Haeres. III (T. II, Vol. I, p. 1087), dicentem: *Παρμενίδης, ὁ τοῦ Πύρητος Ἐλεάτης, καὶ αὐτὸς τὸ ἄπειρον ἔλεγεν ἀρχὴν τῶν πάντων.* Ita confuse ac perverse ab eo veterum placita referuntur.

(111) Vid. Aristot. Phys. III, 4. p. 274 H. Pariter ipse Aristoteles esset reprehendendus, quum mundum *πεπερασμένον* dicit eundemque *ἄπειρον*, siquidem sit *εἷς καὶ ἀΐδιος, ἀρχὴν μὲν καὶ τελευτὴν οὐκ ἔχων τοῦ παντὸς αἰῶνος, ἔχων δὲ καὶ περιέχων ἐν ἑαυτῷ τὸν ἄπειρον χρόνον.* de Coelo II, init.

Aristoteles autem, ut paullo ante Parmenidem Melisso anteposuit, quod ille rectius definiverit τὸ ὅλον, sic ambos pariter reprehendit ut sibi ipsis repugnantes. Nam, sive ἄπειρον τὸ ὂν sive πεπερασμένον dicas, in utroque hoc vocabulo inesse magnitudinis notionem; illos autem ens informare uniforme et individuum, in quod nulla quantitatis et magnitudinis notio conveniat [112]. At haec significatio τοῦ ἀπείρου et πεπερασμένου ab illis animadversa non fuit. Quum ens infinitum et perfectum praedicarent, non cogitarunt aliquam magnitudinem vel spatii ambitum; tantum significarunt, unum illud et aequabile esse suaque natura absolutum.

Longe vero aliter seriores Platonici Parmenidis dicta interpretati sunt. Hi prouti τὸ ὅλον et συνεχὲς in eum sensum explicuerunt, ut idem simplex et varium, unum et multum significaret, similiter τὸ πεπερασμένον et σφαιροειδὲς intellexerunt perfectum quiddam et divinum, quod cuncta intelligibilium rerum genera unâ complexione contineret, in quo esset πάντων ἕνωσις καὶ περιοχὴ ἄληπτος, ut Proclus dicit [113]. Eundem fere in modum a Simplicio videmus ens πεπερασμένον et τέλειον intelligi, ut omnium principium et finem, ἀρχὴν καὶ πέρας, ideoque perfectum et omnibus numeris completum [114]. At haec interpretatio quam aliena sit a Parmenidis mente, qui ens ab

(112) Aristot. Phys. I, p. 254 G; 255 H. Cf. Simplic. in Phys. f. 27 AB.
(113) Procl. in Parmen. T. IV, p. 120. Cf. Annot. ad Parmen. vs. 41.
(114) Simplic. Phys. f. 7 A; 19 A. Tetigimus hoc etiam supra in explicando τὸ ἀδιαίρετον, § 9, n. 82.

omni multitudinis et varietatis notione segregravit, apertum est.

Alii denique e versu illo,

παντόθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ,

collegerunt, ens nihil aliud quam universum mundum significare, quem vulgo hac specie informabant veteres. Antiqua jam fuit haec interpretatio, et quo magis erat ad vulgarem sensum accommodata, eo facilius a vulgo interpretum recepta est[115]; merito autem improbata est jam ab Eudemo et deinde a Simplicio, qui animadverterunt, nec mundum dici posse unum et individuum, neque ens sphaeram vocari a Parmenide, sed sphaerae simile, qua imagine rem ab oculis remotam proponeret et illustraret[116].

§ 12.

Et sic quidem praecipuas notas, quibus Parmenides entis quasi speciem informavit, explicuimus. Unum adhuc argumentum restat, supra jam a nobis tactum, quod a multis tanquam gravissimum Par-

(115) Memoratur jam ab Eudemo, ut statim videbimus; deinde adscita est praeter alios ab Alexandro Aphrodisio, quem carpit Simplicius Phys. I, f. 9 A, et saepius; denique a plerisque placitorum narratoribus recepta et prodita, aliis *κόσμον*, aliis *τὸ πᾶν* appellantibus, ut apparet e locis citatis supra n. 67.

(116) Simplic. Phys. I, f. 29 et 31 A, ubi dicit: *οὐδὲ τῷ οὐρανῷ ἐφαρμόττει τὰ παρ᾽ αὐτοῦ λεγόμενα, ὥς τινας ὑπολαμβάνειν ὁ Εὔδημος φησίν, ἀκούσαντας τοῦ παντόθεν εὐκύκλου* — tum eodem folio B: *εἰ δὲ εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ τὸ ἓν ὄν φησι, μὴ θαυμάσῃς· διὰ γὰρ τὴν ποίησιν καὶ μυθολογικοῦ τινος παράπτεται πλάσματος.* Cf. commentar. vs. 102.

menideae doctrinae placitum memoratum est. Audivimus Parmenidem non semel in carmine affirmantem, non ens nec dici nec cogitari posse; cogitare idem valere atque esse, atque hoc habendum velut fundamentum, quo ipsa mens et cogitatio nitatur [117]. Ex his dictis Platonici talem effinxerunt sententiam: Parmenidem ens dixisse ipsam mentem (τὸν νοῦν), et intellexisse naturam animatam, mente vigentem, universi principium et auctorem: quod placitum a Parmenide ductum deinceps etiam Platoni et Aristoteli probatum esse. Sic Plotinus, postquam Platonis sententiam explicuit, de Parmenide pergit [118]: ἥπτετο μὲν οὖν καὶ Παρμενίδης πρότερον τῆς τοιαύτης δόξης, καθόσον εἰς ταὐτὸ συνῆγεν ὂν καὶ νοῦν, καὶ τὸ ὂν οὐκ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐτίθετο,

— τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν ἐστί τε καὶ εἶναι

λέγων. Copiosius idem exponit Simplicius [119]: Ἀριστοτέλης τὸν παρ' αὐτῷ νοῦν ἤτοι τὸ πρῶτον αἴτιον ἕν τι εἶναί φησιν . . . . . καὶ τὸ αὐτὸ νοῦν καὶ νοητὸν καὶ νόησιν, καὶ τοῦτο οὐ παρὰ Πλάτωνος μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ Παρμενίδου λαβὼν λέγοντος·

> ταὐτὸν δ' ἐστὶ νοεῖν τε καὶ οὕνεκεν ἔστι νόημα·
> οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος, ἐν ᾧ πεφατισμένον ἐστὶν,
> εὑρήσεις τὸ νοεῖν.

ἕνεκεν γὰρ τοῦ νοητοῦ (ταὐτὸν δὲ εἰπεῖν, τοῦ ὄντος) ἐστι τὸ νοεῖν, τέλος ὂν αὐτοῦ. Similiter alio loco de Parmenide

(117) Vid. vss. 39 sq. 41, 93-95.

(118) Plotinus, Ennead. V, 1, 8, p. 489 sq.

(119) Simplicius Phys. I, f. 19 A.

dicit[120]: τὸ ἓν ὂν ταὐτὸν εἶναί φησι νοεῖν τε καὶ νοητὸν καὶ νοῦν. Volunt ergo, Parmenidem ens informasse naturam cogitantem, et quidem talem in qua tum cogitandi fons seu principium (ὁ νοῦς), tum cogitandi actio (τὸ νοεῖν), tum denique cogitationis effectus et finis (τὸ νοητὸν) ita inter se constricta sint, ut tria haec unam constituant vim, quasi mentem in se conversam et sui contemplatione contentam.

Interpretatio haec quantopere a Parmenidis mente abhorreat, vix opus est exponere. Ille videlicet ens unum et simplex statuit, non autem variis formis et naturis concretum; quod placitum e Neo-Platonicorum potissimum schola profectum hi temere Parmenidi affinxerunt. Neque Parmenidem ens finxisse cogitatione praeditum, cum ex ipsius dictis, tum etiam e Platonis et Aristotelis judiciis facile effici potest. Hi enim quum Eleaticorum rationes diligenter explorent et studiose repugnantia notent, istud profecto haud intactum omisissent, si ille ens immobile fecisset idemque cogitatione praeditum; quae ambo plane sibi repugnant. De hoc tamen nihil animadvertunt. Contra ea Plato Eleaticorum principem propter hoc ipsum tacite vituperat, quod ens immobile statuit atque adeo omni vita omnique animi et mentis actione privavit. Audiamus quae dicit in Sophista: »Quid tandem? inquit, num credamus, mehercule, id, quod revera est, motione et vita et anima et mente destitutum esse, nec vivere ipsum nec sapere, sed veluti sanctum quiddam et augustum, mentis expers,

(120) Ibid. f. 31 A.

immobile consistere?"[121] Deinde probat, vita et anima et mente carere illud non posse, neque, si his praeditum sit, immobile esse posse, sed moveri. Haec dicta aperte Parmenidem spectant, quod ens *ἀκίνητον* finxit. Si Parmenides ens dixisset mentem aut mente praeditum, Plato non reprehendisset eum, quod illud mentis expers constare dicat; potius hoc redarguisset, quod idem cogitare statuat, moveri neget, quae sibi sunt contraria.

Propiora vero sunt Parmenidis sententiae haec, quae Plato alibi ipsum cum Socrate facit loquentem. Interroganti Socrati, num ea, quae dicuntur rerum *εἴδη*, sint solum mentis notiones nec usquam alibi nisi in animis nostris reposita, ille haec respondet: »Quid vero? inquit, si *εἴδη* illa sint mentis et cogitationis species, nonne cogitatio debet esse alicujus cogitatio? si autem alicujus, nonne entis cogitatio est, et quidem unius cujusdam, quod per omnia diffusum mens unâ specie expressum comprehendit? Ergo *νοούμενον* hoc unum esse semper omnibus in rebus idem erit."[122] Haec et quae sequuntur quamquam Plato sua ratione explicuit, tamen concinunt fere cum Parmenidis placito, ens per omnia patere atque omni adeo cogitationi subesse, ut sine hoc ne dici quidem cogitarive quidquam omnino possit.

(121) Soph. p. 248 E: *Ξένος. Τί δαὶ πρὸς Διός; ὡς ἀληθῶς κίνησιν καὶ ζωὴν καὶ ψυχὴν καὶ φρόνησιν ἦ ῥαδίως πεισθησόμεθα τῷ παντελῶς ὄντι μὴ παρεῖναι, μηδὲ ζῆν αὐτὸ μηδὲ φρονεῖν, ἀλλα σεμνὸν καὶ ἅγιον νοῦν οὐκ ἔχον ἀκίνητον ἑστὼς εἶναι; — — Ἀλλὰ δῆτα νοῦν μὲν καὶ ζωὴν καὶ ψυχὴν (ἔχειν), ἀκίνητον μέντοι τὸ παράπαν, ἔμψυχον ὄν, ἑστάναι; Θεαίτητος. Πάντα ἔμοιγε ἄλογα ταῦτ' εἶναι φαίνεται.*

(122) Parmen. p. 132 B.

§ 13.

Et hactenus quidem singula Parmenidis argumenta, quantum fieri potuit, accurate distincteque exposuimus. Jam deinceps omnem ejus argumentationem comprehendamus, ut, quis sit sensus ejus et significatio, quae veterum de eo judicia, cognoscamus.

Parmenides considerandam proposuit veritatem, puram illam, nullo fuco, nullis sensuum pigmentis deformatam, omni mortali concretione liberam. Verum autem censuit illud quod constans nec fluxum sit, quod per omnia quae dicimus et cogitamus, omnia quae in naturae videntur, pateat, quodque sit fundamentum omnium, hoc est, esse sive ens. Hoc igitur ipsum per se ponit; esse demonstrat eo quod, hoc sublato, nulla omnino res esse queat et ad nihilum reducantur omnia. Deinde informat illud notis ex ipsius natura depromptis: docet nec genitum esse nec mortale neque mobile neque dividuum, sed unigenum, simplex, aeternum, continuum, totum, perfectum. Segregat ab eo quaecumque sunt fluxa, quaecumque tempore et spatio continentur, moventur, mutantur, adsignatque ei contraria. Denique uno hoc esse omnem veritatem contineri docet; contraria ista, fieri, occidere, variari, temere a mortalibus pro veris haberi. Quo fit, ut Parmenideum ens sit natura quaedam spectabili naturae paene contraria, notaeque, quibus illud informat, physicorum notionibus sint plane oppositae.

Hujusmodi ratio, ut rerum naturae et communi intelligentiae repugnans, non mirum si multas peperit controversias, multorumque excitavit mirationem. Itaque non modo singula ejus argumenta, ut supra vidimus, sed totam rationem impugnarunt, quaerentes, quale tandem et quid illud esset quod ens diceret. Unum quidem ens appellat et immobile, ceteraque; at hoc ipsum ens quid sit, quae vis ejus et natura, scire voluerunt. Quaestio obscurior, de qua magna jam diu fuit inter doctos contentio, ut ipsum jam Platonem audiamus dicentem, ἄκρου esse κολυμβητοῦ, reconditam Parmenidis mentem expiscari[123]. Neque propria Parmenidis ista obscuritas, sed communis ei fuit cum aliis ejusdem aetatis, qui in rebus abstrusis contemplationem ponerent, ut Heraclito, Empedocle; de quibus omnibus Eleaten illum hospitem apud Platonem audimus querentem, quod, ceteros ut imperitum vulgus despicientes, utrum ipsi intelligantur ab iis necne, parum curaverint; satis habuerint, quae ipsis placerent, suâ ratione concludere: λίαν τῶν πολλῶν ἡμῶν ὑπεριδόντες ὠλιγώρησαν· οὐδὲν γὰρ φροντίσαντες, εἴτ' ἐπακολουθοῦμεν αὐτοῖς λέγουσιν εἴτ' ἀπολειπόμεθα, περαίνουσι τὸ σφέτερον αὐτῶν ἕκαστοι[124]. Cognoscimus inde universe, quale Platonis de illis fuerit judicium; ut non miremur, eum decreta illorum potius Socratico more explorasse, quam certe definiteque explicuisse. Videamus ceteros.

(123) Plato Parmen.
(124) Plato Sophist. p. 243 A.

§ 14.

Aristoteles, in primo physicorum, veterum placita de naturae principiis enumerans, dicit alios complura, alios singula statuisse principia; unum atque immobile Melissum et Parmenidem. Aristoteles igitur ens interpretari videtur naturae initium. Mox tamen fatetur eorum placita in naturam parum convenire [125]: nam principium, licet ipsum nec aliunde natum et per se constans et aeternum sit, esse tamen oportere alicujus principium, et movendi agendique vi praeditum esse: quorum neutrum in Parmenidis ente haberi, siquidem statuit illud unum et immobile:

οἷον ἀκίνητον τελέθειν τῷ παντὶ ὄνομ' εἶναι,

ut ipse dicit, sive ut vulgo, *ἓν τὸ πᾶν*: quocirca nec alterum adesse posse, cujus sit principium, nec ullam in ipso inesse movendi vim, qua ad efficiendum impellatur: ergo ens ne principium quidem, multo minus naturae principium posse haberi.

Aristoteles ut hoc loco, ita saepius, in quaerendo de rerum caussis, principiis et actionibus, utriusque,

(125) Aristot. Phys. I, 2. p. 253 sq. *Ἀνάγκη ἤτοι μίαν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἢ πλείους· καὶ εἰ μίαν, ἤτοι ἀκίνητον, ὥσπέρ φησι Παρμενίδης καὶ Μέλισσος, ἢ κινουμένην, ὥσπερ οἱ φυσικοὶ . . . . . . τὸ μὲν οὖν εἰ ἓν καὶ ἀκίνητον τὸ ὂν σκοπεῖν, οὐ περὶ φύσεώς ἐστι σκοπεῖν . . . . . οὐ γὰρ ἔτι ἀρχή ἐστιν, εἰ ἓν μόνον καὶ οὕτως ἕν ἐστιν· ἡ γὰρ ἀρχὴ τινὸς ἢ τινῶν.* Similiter Metaph. I, 5. p. 648, de rerum initiis quaerens, illorum placita ab hac quaestione aliena censet: *εἰσὶ δέ τινες οἳ περὶ τοῦ παντὸς ὡς ἂν μιᾶς οὔσης φύσεως ἀπεφήναντο . . . . εἰς μὲν οὖν τὴν νῦν σκέψιν τῶν αἰτίων οὐδαμῶς συναρμόττει περὶ αὐτῶν ὁ λόγος.*

Parmenidis et Melissi, placita notat ut naturae contraria; at quamvis fatetur, illa naturae legibus adversari, ad has tamen leges exigit et dijudicat. Sic in metaphysicis quaerens, quid sit movendi principium (τὸ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως), dicit [126]: ἔνιοι γε τῶν ἓν λέγοντων, ὥσπερ ἡττηθέντες ὑπὸ ταύτης τῆς ζητήσεως, τὸ ἓν ἀκίνητόν φασιν εἶναι καὶ τὴν φύσιν ὅλην, οὐ μόνον κατὰ γένεσιν καὶ φθορὰν, — ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ἄλλην μεταβολὴν πᾶσαν. quosdam, quum movendi principium a se inveniri posse desperarent, motum simpliciter sustulisse; itaque illorum, qui unum esse statuant, neminem illud vidisse, excepto Parmenide, καὶ τούτῳ μὲν κατὰ τοσοῦτον, ὅσον οὐ μόνον ἕν, ἀλλὰ καὶ δύο πως τίθησιν αἰτίας εἶναι, quippe qui non modo unum esse statuat, sed quodammodo etiam duo faciat rerum principia, alterum agens, alterum patiens. Quo spectat duplicem Parmenidis rationem, de ente et de rerum natura; quarum alteram ille veritati congruam, alteram sensuum visis probabilem dixit [127]; utramque tamen Aristoteles pariter ad naturam (τὴν φύσιν) refert. Clarius etiam judicium suum exponit in libro de coelo [128], dicens veteriores, qui de veritate philosophati sunt, ortum et interitum plane sustulisse: οὐδὲν γὰρ οὔτε γίγνεσθαί φασιν οὔτε φθείρεσθαι τῶν ὄντων, ἀλλὰ μόνον δοκεῖν ἡμῖν, οἷον οἱ περὶ Μέλισσόν τε καὶ Παρμενίδην. quos, etiamsi recte ratiocinentur, non tamen statuere congruenter natu-

(126) Aristot. Metaph. I, 3. p. 646 A.

(127) Vid. superius § 3, p. 145.

(128) De Coelo III, 1. p. 368 G; cf. Simplicii commentar. f. 138 A ed. Ald.

rae (οὐ φυσικῶς): namque esse quidem ingenitum quiddam et immobile; verum hanc quaestionem non naturalis sed divinae philosophiae esse, non physices, sed theologiae munus. Illi vero, inquit, διὰ τὸ μηθὲν μὲν ἄλλο παρὰ τὴν τῶν αἰσθητῶν οὐσίαν ὑπολαμβάνειν εἶναι, τοιαύτας δέ τινας νοῆσαι πρῶτοι φύσεις, — εἴπερ ἔσται τις γνῶσις ἢ φρόνησις — οὕτω μετήνεγκαν ἐπὶ ταῦτα τοὺς ἐκεῖθεν λόγους. Quum nullam suspicarentur esse nisi spectabilium rerum essentiam, et tamen intelligerent esse oportere naturam quandam ingenitam et immobilem, nisi omnis scientia tollatur, ad illam transtulerunt notiones huic proprias, et mundi naturam finxerunt quasi aeternam et divinam.

Ex his quantum efficere possumus, Aristotelis judicium hujusmodi est. Censet Parmenidem, sicut plerosque physicos, quaesivisse naturae principium, principium autem tale, quod esset constans certaque cognitione posset comprehendi. Quum vero generationis fluxaeque naturae certum ac stabile principium reperire non posset, statuisse universum unum esse et immobile; quae sensibus videantur, ad opinionem reduxisse, quod vero ratione intelligi possit, solum verum aestimasse. Hoc autem intellexisse substantiam (τὴν οὐσίαν) naturae adspectabilis, eamque informasse non quasi materiem e qua sint omnia, sed ut formam per se absolutam et perfectam: οὐ κατὰ τὴν ὕλην, ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον, ut alibi dicit [129]. Hinc intelligitur, cur Aristoteles Parmenidem et Melissum tam frequenter accuset, quod naturae substantiam

(129) Aristot. Metaph. I, 5. p. 648 E.

finxerint prorsus incongruam; siquidem talis illa esse debeat, quae tam motionis quam quietis particeps sit [130]. Incidisse autem eos in hunc errorem mentis quadam imbecillitate (*ὥσπερ ἡττηθέντας ὑπὸ ταύτης τῆς ζητήσεως*), quod videlicet caussam et principium motionis ac generationis reperire non possent: namque, ut dicit, *τὸ μὲν οὖν πάντα ἠρεμεῖν, καὶ τούτου ζητεῖν λόγον ἀφέντας τὴν αἴσθησιν, ἀῤῥωστία τίς ἐστι διάνοιας* [131]; putare cuncta quiescere, et hujus rei rationem quaerere, mentis imbecillitas est. Ita factum esse, ut Parmenides et qui eum secuti sunt, adspectabilem mundum quasi transsilirent et, spretis sensibus, ad rationem cuncta referrent: *ὑπερβάντες τὴν αἴσθησιν καὶ παριδόντες αὐτὴν, ὡς τῷ λόγῳ δέον ἀκολουθεῖν, εἶναί φασι τὸ πᾶν ἓν καὶ ἀκίνητον* — [132]. Laudat quidem Parmenidem eo, quod viderit esse firmum quiddam et stabile, sed in hoc vituperat, quod illud ad naturam retulerit, opinatus videlicet, ejusdem esse disciplinae de universi natura et de ente quaerere [133]; quae disciplinae plane sint inter se diversae. Physicen enim esse quidem disciplinam, quae circum entia versatur, non vero principem disciplinarum, quam ille theologiam vocat, quae ens ipsum per se considerat: quas ambas illos non distinguentes in eum errorem incidisse, ut phy-

(130) Ibid. V, 1. p. 690.

(131) Phys. VIII, 3. p. 321 H.

(132) De Gener. et Corrupt. I, 8. p. 395 H.

(133) Ad Eleaticos praecipue spectant quae dicit Metaph. III, 3. p. 667 D: » De ente, inquit, ceterarum disciplinarum auctores non quaerunt, nisi *τῶν φυσικῶν ἔνιοι, εἰκότως τοῦτο δρῶντες· μόναι γὰρ ᾤοντο περί τε τῆς ὅλης φύσεως σκοπεῖν καὶ περὶ τοῦ ὄντος.*

sica cum metaphysicis confunderent et ad naturam transferrent notiones supra naturam positas [134].

Ejusmodi igitur est Aristotelis de Parmenidis ente judicium. In quo hoc praesertim mirationem facit, quod ens interpretatur naturae principium, *τὴν αἰσθητῶν οὐσίαν*, quamquam nihil habeat cum sensibus commune, nihil naturae congruum, sed, ut ipse fatetur, sensibus sit plane repugnans. Affirmat tamen Aristoteles, veteriores illos nullam aliam nisi istam *οὐσίαν* intellexisse; eosque a mundi contemplatione in illud quasi regnum transsiliisse. At videntur contra potius a divinae naturae cognitione ad entis contemplationem esse delati. Nam qui primus de hoc quaesivit Xenophanes, ens dixit esse ipsum Deum, quo significaret, eum omni generatarum rerum fluxu esse immunem. Tamen hujus quoque Deum Aristoteles universum sive mundum interpretatus est; falso, ut alibi ostendere studui [135]. Attamen non distinxit Parmenides essentiam primam seu divinam a naturali. Fatendum, Aristotelis hanc distinctionem cum universe veteribus tum Parmenidi quoque incognitam fuisse; e quo tamen non sequitur, ut ambo ista inter se confuderit; immo vero rebus naturalibus essentiam, hoc est, *τὸ εἶναι*, ne tribuit quidem; nasci ista dicit et interire et mutari, non autem esse; illa ad sensuum visa, hoc solum ad

(134) Ibidem E: *ἔστι δὲ σοφία τις καὶ ἡ φυσική, ἀλλ᾽ οὐ πρώτη* (*σοφία*). *ὅσα δὲ ἐγχειροῦσι τῶν λεγόντων τινὲς* (πρ. *τῶν φυσικῶν*) *περὶ τῆς ἀληθείας* (*τοῦ ὄντος*), *ὃν τρόπον δεῖ ἀποδέχεσθαι, δι᾽ ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν τοῦτο δρῶσι.*

(135) In Xenophanis Rell. p. 95, 133 sq.

veritatem refert. Quamobrem illa Aristotelis interpretatio parum videtur probanda et magis ipsius quam Parmenidis rationi congruere. Nimirum Aristoteles cum ipse in veritate indaganda rerum caussas et principia maxime consideraret, ad eandem rationem antiquiorum quoque sententias et placita exegit; hinc etiam ens Parmenidis summam rerum caussam et naturae principium intellexit, quamquam fateri coactus, nullam in eo principii vim aut naturae notionem inesse.

§ 15.

Aristotelis auditor Theophrastus, quantum ex ejus fragmentis discimus, non commentatur Parmenidis sententiam, sed rationis ejus summam tantum refert, ut superius vidimus [136]. Deinde autem duplex potissimum invaluit doctorum interpretatio de illius sententia judicantium: altera eorum qui secundum decretum ἓν τὸ πᾶν, universum mundum unum a Parmenide statui crederent, aut rerum naturam et generationem omnem negari [137]. Quod decretum deinde a multis est derisum et exagitatum, quasi ille omnia quae oculis cernantur aut sustulisset aut ad unum ens reduxisset [138]. Isti vero ea, quae Parmenides de sensuum visis canit, aut ne norunt quidem, aut tanquam

(136) Vid. supra § 2, p. 143.

(137) Vid. supra § 11, p. 190. Cf. Aristocles ap. Euseb. Praep. XIV, 17.

(138) Veluti ab Hermia Irris. Gentil. s. 3; cf. supra p. 168, n. 67.

inanes vulgi opiniones ab eo referri putarunt [139]. Haec vulgaris fere fuit sententia.

Alii vero exstiterunt iique doctiores, qui Parmenidis sententiam vindicare studuerunt summisque eam extulerunt laudibus. Spernunt eos qui Parmenidem res terrenas tantum et spectabiles cogitasse putant; ipsum Aristotelem reprehendunt, quod Parmenidis mentem non intellexerit, aut certe excusant, quod non intelligere eam se simulaverit, non tam e suo judicio quam e vulgi opinione disserentem [140]. Hi sunt potissimum seriores Platonici aliique cum his consentientes, Plotinus, Plutarchus, Proclus, Simplicius. Docent isti, Parmenidem intelligibilem naturam (τὸ νοητὸν) ab opinabili (τοῦ δοξαστοῦ) accurate distinxisse, utrique suos constituisse fines suamque subjecisse materiem, sicut supra ostendimus. Ut δοξαστὸν ad res humanas, sic νοητὸν ad res divinas referunt [141], idque intelligunt summam rerum omnium caussam, principium et finem a quo ducantur et quo referantur omnia. Hoc autem quale sit, quo melius intelligatur, Neo-platonicorum ratio paucis est adumbranda. Censuerunt hi, omnia quae sunt tam supra quam subter, tam divina quam humana, tam aeterna quam fragilia ab uno fluxisse principio unoque vinculo contineri; esse autem varios quasi naturarum orbes, intervallis distinctos et praestantiae gradibus

(139) Ut Colotes et Alexander, supra § 3, p. 144.

(140) Cf. Simpl. Phys. f. 19, 32 pr. de Coelo, III, f. 138.

(141) Vid. Plutarchus citatus § 3, n. 16. Jo. Grammaticus in Phys. I, lit. A, f. 5 adv.

diversos: infimum locum tenere materiem sive mundum spectabilem; hoc superiorem, quae spiritu et animo praedita sint, naturae vires, animas, daemones; supra illa esse ipsa intelligibilium rerum genera sive ideas; summum denique locum obtinere talem naturam, quae rerum genera et vires per universum patentes unâ complexione comprehendat. Haec autem ut a nobis mente discernuntur, sic naturâ quoque esse discreta. Summam illam naturam caussam dixerunt esse omnium, e quo tanquam fonte cuncta manasse, de puro illo et divino statu in deteriorem conditionem dejecta, et ex intelligibili regione in humilem ac terrenam faecem demersa. Illud autem, ut fontem omnium, contraria continere rerum genera confusa inter se unâque vi constricta: esse unum idemque multa (ἓν πολλά), constans et mobile, initium naturae idemque naturâ suâ completum et perfectum; atque ut a nobis intelligentiâ comprehenditur, sic ipsum quoque mente praeditum esse, atque tale, in quo cogitandi principium (ὁ νοῦς), cogitandi actio (νόησις) et cogitandi finis (νοητόν) una vi inter se essent constricta. Hanc naturam τὸ παντελῶς ὂν atque eximie τὸ νοητὸν appellarunt. Ea igitur, quamquam est una ac tota, in plures tamen partes dividi potest: nam cernitur in eo et unum ens (ἓν ὂν) et multa (πλῆθος), et ambo ista contraria sibi et opposita tertio quodam tanquam communi vinculo colligantur, ut in eo tria haec cernantur: τὰ πολλὰ, quae sunt diversa rerum genera, τὸ ἕν, id quo ista inter se colligata sunt, τὸ ὂν per se sive μοναδικῶς ὄν, supremum quasi fastigium

et fons omnium. Jam vero hanc doctrinam illi Parmenidi attribuunt, ejusque sententias et verba saepe usurpant ad rationes suas confirmandas.

§ 16.

Primum quidem ajunt, ut diximus, Parmenidem ens statuisse intelligibile, opinabilibus rebus oppositum; atque ut haec ad naturam et sensus pertineant, sic illud omni mortali concretione, omni sensuum contagione liberum esse, menti vero cognatum et sola mente comprehendendum [142]. Ut autem mente comprehenditur, sic ipsi quoque mentem inesse quasi inhaerentem et arcte cum eo constrictam; unde intelligatur, si ens immobile a Parmenide appellatur, corporeo tantum motu vacare, non autem mentis motione, quae ipsi inest. Porro Parmenidis ens continere contraria rerum genera, ut sit unum simul et multa; quod si ille non clare expresserit, intelligi tamen ex ipsius verbis, quum alterum significetur vocabulis *ἕν*, *μουνογενές*, *ἀδιαιρετόν*; alterum vocabulis *ὅλον* et *συνεχές*; quorum in illis unitatis, in his numeri et multitudinis notionem inesse. Hoc docet Proclus dicens [143]: *ὥσπερ αὐτὸς ὁ θειότατος Πλάτων . . . οὕτω δὴ καὶ ὁ Παρμενίδης ἔκ τε τοῦ ἑνὸς ὄντος οἶδε τὸ πλῆθος τὸ νοητὸν προϊὸν καὶ πρὸ τῶν πολλῶν ὄντων τὸ ὂν ἓν ἱδρυμένον, περὶ δ τὸ τῶν νοητῶν πλῆθος τὴν ἕνωσιν*

(142) Namque, dicit Proclus in Parm. IV, p. 115, *νοῦ γάρ ἐστι τὸ ὂν θεωρεῖν, ἐπειδὴ καὶ τὸ πρώτως ὂν τοῦ πρωτίστου νοῦ νοητόν ἐστιν.*

(143) Proclus in Parm. T. IV, p. 121 sq.

ἔχειν. Idemque iterum [144]: Παρμενίδης ἓν ἀποφαινόμενος τὸ ὂν καὶ τὸ πλῆθος αὐτῶν ὑφίστατο, καὶ οὐ τῶν αἰσθητῶν μόνον, — ταῦτα μὲν γὰρ ἐν τοῖς κατὰ δόξαν παραδέδωκε τὰ αἰσθητὰ προσαγορεύων, ὡς ἄλλος τις Πυθαγόρειος ὁ Τίμαιος, — ἀλλὰ καὶ τῶν νοητῶν· ἐκεῖ γὰρ ὁ θεῖος ἀριθμὸς πάντων ἡνωμένων ἀλλήλοις. Similiter judicat Simplicius, dicens, Parmenidis ens individuum quidem esse, ut principium et finem omnium, idem vero, ex ipsius et ceterorum Eleaticorum mente, partes quoque habere [145].

Itaque Parmenidis ens dixerunt summum omnium principium, mente praeditum, cuncta in se uno complectens, ut ipsorum verba explicabunt. Sic Plotinus [146]: Παρμενίδης ... εἰς ταὐτὸν συνῆγεν ὂν καὶ νοῦν, καὶ τὸ ὂν οὐκ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐτίθετο,

τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν ἐστί τε καὶ εἶναι

λέγων. καὶ ἀκίνητον δὴ λέγει τοῦτο, καίτοι προστιθεὶς τὸ νοεῖν, σωματικὴν πᾶσαν κίνησιν ἐξαιρῶν ἀπ' αὐτοῦ, ἵνα μένῃ ὡσαύτως· καὶ ὄγκῳ σφαίρας ἀπεικάζων, ὅτι πάντα ἔχει περιειλημμένα, καὶ ὅτι τὸ νοεῖν οὐκ ἔξω, ἐν δὲ ἑαυτῷ. Proclus, docens entia cuncta ab uno ducta principio et cognata esse inter se, addit [147]: καὶ πρὸς ταύτην τὴν ἕνωσιν πάντων τῶν ὄντων ὁ Παρμενίδης ἀποβλέπων, ἓν τὸ πᾶν ἠξίου καλεῖν, κυριώτατα μὲν καὶ πρώτως πᾶν, ὃ καὶ ἥνωται πρὸς τὸ ἕν, καὶ ἁπλῶς δὲ τὸ πᾶν· πάντα

(144) Ibid. p. 141.

(145) Simplicius Phys. f. 19 A: δέξαιντο ἄν, ἐν τάξει τινὶ τοῦ ὄντος καὶ μέρη ἔχειν.

(146) Plotinus Ennead. V, 1. 8, p. 489 sq. Ficin.

(147) Proclus in Parm T. IV. p. 114; vocabula, κυριώτατα μὲν — ἁπλῶς δὲ, significant *eximio sensu* — *communi significatione*.

γὰρ καθόσον μετέχει τοῦ ἑνὸς ὄντος, τὰ αὐτά πως ἐστιν ἀλλήλοις. Cum his consentit Simplicius, qui postquam de Parmenidis ente multa disseruit, sic concludit [148]: λείπεται οὖν, τὸ νοητὸν πάντων αἴτιον, δι' ὃ (potius περὶ ὃ) καὶ ὁ νοῦς ἐστι καὶ τὸ νοεῖν, ἐν ᾧ πάντα κατὰ μίαν ἕνωσιν συνῃρημένως προείληπται καὶ ἡνωμένως, τοῦτο εἶναι τὸ Παρμενίδειον ἓν ὄν, ἐν ᾧ μία φύσις καὶ τοῦ ἑνὸς καὶ τοῦ ὄντος ἐστί. Similiter alibi [149]: εἰ γὰρ αἴτιον ἐκεῖνο πάντων, καὶ ἔστι πάντα πρὸ πάντων, δῆλον ὅτι προείληπται ἐν αὐτῷ τὰ πάντα, κατὰ μίαν ἕνωσιν περιεχόμενα τὴν τοῦ ἑνὸς ὄντος, δι' ἣν ἀμερίστως διακριθέντα ἕκαστον τὰ πάντα ἐστί. Hi igitur omnes conveniunt, Parmenidis ens esse summum universi principium, caussam et fontem omnium, quod omnem naturae vim et variarum rerum genera uno vinculo teneat constricta.

Quum igitur tale sit, idem et individuum esse dixerunt et tamen in plures species posse dividi, sive, ut illorum verbo utar, ἀμερίστως μερίζεσθαι, h. e. discerni quidem posse varias in eo rerum species, nec tamen divelli et separari. Secundum Simplicium distinguuntur in eo tres entis species et quasi gradus; quorum τὸ μὲν ἄκρον ἀδιαιρέτως ἥνωται· — τὸ δὲ μέσον, εἰς συνοχὴν τὴν ἕνωσιν χαλάσαν, ὅλον γέγονε καὶ μέρη — τὸ δὲ τρίτον ἡνωμένως τὴν εἰδητικὴν διάκρισιν προβαλλόμενον

(148) Simplicius Phys. I, f. 31 A.

(149) Ibid. fol. 19 A; cf. f. 8 B: τὸ γὰρ ὄντως ὂν τὸ ἡνωμένον, ὃ καὶ ἀρχὴ καὶ αἰτία τῶν πολλῶν καὶ διακεκριμένων ἐστὶν, οὐχ ὡς στοιχειῶδες, ἀλλ' ὡς προαγωγὸν ἐκείνων ἓν ἔλεγον. Pro προαγωγὸν reponendum Neoplatonicorum vocabulum παραγωγόν, quod similiter ut παράγεσθαι, παρακτικόν, illis frequens est.

πάντα μὲν ἐν ἑαυτῷ προέδειξε κατ' αἰτίαν, διὰ δὲ τὸ νοητὴν εἶναι τὴν διάκρισιν, πάντα τῇ τοῦ ἑνὸς ὄντος ἑνώσει κεκράτηται. [150] i. e. primum horum est unum per se, nullo plane partium discrimine, quod etiam *μοναδικὸν ὂν* appellant; secundum est ens suis partibus constans, totum et integrum; tertium denique idem quod universum, diversa complectens rerum genera uno vinculo colligata. Similiter Proclus in Parmenidis ente agnoscit *τάξιν τῶν ὄντων πρώτων καὶ μέσων καὶ τελευταίων, καὶ ἕνωσιν ἄφραστον αὐτῶν.* Atque postremum hoc, *τὸ ἓν ὄν*, appellatur ab eo *ἡ πηγὴ τοῦ ὄντος καὶ ἡ ἑστία, καὶ τὸ κρυφίως ὂν, ἀφ' οὗ τὰ ὄντα περιοχὴν καὶ ἕνωσιν ἔλαχε* [151]. de quo eodem alibi sic loquitur: *ἁπάντων τῶν ὄντων... μία ἐξῃρημένη καὶ ἀμέθεκτος αἰτία προϋφέστηκεν, ἄῤῥητος μὲν παντὶ λόγῳ καὶ ἄφραστος, ἄγνωστος δὲ πάσῃ γνώσει καὶ ἄληπτος* [152]. Hanc summam omnium caussam, quae nec verbis exprimi nec cognitione comprehendi possit, *τὸ ἓν* Parmenidis intelligendum dicit. Eodem fere sensu Simplicius [153]: *ὁ δὲ Παρμενίδης τὸ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον αὐτοῦ* (h. e. *τοῦ ὄντος*), *καὶ πάσης μεταβολῆς, τάχα δὲ καὶ ἐνεργείας καὶ δυνάμεως ἐπέκεινα, θεασάμενος, ἀκίνητον αὐτὸ ἀνυμνεῖ καὶ μόνον, ὡς πάντων ἐξῃρημένον.*

Tali igitur natura Parmenideum ens sibi informantes, quid aliud eos intellexisse credimus, nisi divi-

(150) Simplicius, ibid. f. 19 AB.

(151) Proclus in Parmen. T. IV, p. 120. Pro verbis *περιοχὴν καὶ ἕνωσιν* vitiose editum est *καὶ περὶ τὴν ἕνωσιν.*

(152) Id. Theol. Platon. III, 7. p. 131 sq.

(153) Simplic. Phys. I. f. 7. A. Spectat autem Parmenidis vs. 97.

narum rerum summam, atque adeo ipsum summum Deum, universi caussam et auctorem? Neo-Platonici videlicet omnes illas aeternae naturae notas sive ideas, veluti *τὸ ὅλον*, *τὸ ἀκίνητον*, cetera, singulas singulos finxerunt Deos, et summam atque ultimam illarum summum quoque appellarunt Deum: unde etiam Parmenidis ens, notasque quibus illud informat, ad divinam naturam significandam retulerunt [154]. Itaque in hac adumbranda saepius Eleatae verba usurpant. Jamblichus, Deorum vim cum coelesti luce comparans, dicit [155]: *τῶν θεῶν τὸ φῶς ἐλλάμπει χωριστῶς, ἐν ἑαυτῷ τε μονίμως ἱδρυμένον, προχωρεῖ διὰ τῶν ὄντων ὅλως· καὶ μὴν τό γε φῶς τὸ ὁρώμενον ἕν ἐστι, συνεχές, πανταχοῦ τὸ αὐτό, ὅλον.* In quibus Eleaticae dictionis vestigia manifesto apparent. Clarius etiam Ammonius tam Timaei quam Parmenidis placita ad Deos refert [156]: *ὡς ὁ Τίμαιος ἡμᾶς . . . ἐδίδαξε, καὶ αὐτὸς ὁ Ἀριστοτέλης, . . καὶ πρὸ τούτων ὁ Παρμενίδης, οὐχ ὁ παρὰ Πλάτωνι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς οἰκείοις ἔπεσιν, οὐδέν ἐστι παρὰ τοῖς θεοῖς οὔτε παρεληλυθός οὔτε μέλλον· — τὰ δὲ τοιαῦτα τοῖς ὄντως οὖσι καὶ μεταβολὴν οὐδὲ κατ' ἐπίνοιαν ἐνδεχομένοις προσαρμόττειν ἀμήχανον· — ἀλλὰ πάντα παρ' αὐτοῖς ἐν ἑνὶ τῷ νῦν ἐστὶ τῷ αἰῶνι ἱδρυμένα.* Apparet *τὰ ὄντως ὄντα* eadem atque *θεοὺς* appellari ab Ammonio, sicut universe a Platonicis. Similiter Proclus de rebus divinis

(154) Testem afferre sufficiat Proclum, in Commentario in Parmenidem, edit. Cousin.

(155) Jamblich. de Myster. Aegypt. Sect. I, cap. 9. Gale.

(156) Ammonius Herm. in Aristot. de Interpr. p. 38, 3 sq. citatus Brandis. p. 141. Spectat Parmenidis vss. 60, 74 sq. ubi cf. commentar.

loquens [157]: ἐστὶ δὲ, inquit, οὐ πᾶν τὸ τῶν θεῶν γένος ὀνομαστόν · ὁ μὲν γὰρ ἐπέκεινα τῶν ὅλων (θεὸς) ὅτι ἄῤῥητος, καὶ ὁ Παρμενίδης ἡμᾶς ὑπέμνησεν · οὔτε γὰρ ὄνομα αὐτοῦ, φησὶν, οὔτε λόγος ἐστὶν οὐδείς. Summo ente summum Deum a Parmenide intelligi dicit; miro autem errore ad entis speciem transfert, quod Parmenides et Plato non-enti tribuunt, illud nec verbis significari nec cogitatione comprehendi posse [158]. Sed Neo-platonico homini istiusmodi interpretandi licentia facile condonanda. Cum illorum autem judicio plures, ut Stobaeus, Boëthius, seriores item, consentiunt, Parmenidem ente nihil aliud quam summum Deum intellexisse affirmantes [159]. Licet autem faten-

(157) Proclus in Plat. Cratyl. p. 36; ubi vitiose editum est ὀνόματα, et φύσιν (pro φησίν).

(158) Vid. superius vs. 39 sq. 63 sq.

(159) Stobaeus Ecll. Phys. I, p. 60: Θεὸν ἀπεφήνατο Παρμενίδης τὸ ἀκίνητον καὶ πεπερασμένον σφαιροειδές. Boëthius, Consol. Phil. III, extr. » Ea est enim divinae forma substantiae, ut neque in externa dilabatur nec in se externum aliquid ipsa suscipiat, sed, sicut de ea Parmenides ait, πάντοθεν εὐκύκλου κτλ." Etiam Aristotelem sive quisquis fuerit auctor libri de X. Z. et G. eo sensu ens intellexisse, jam olim Gassendus Opp. T. I, p. 135, et nuper Brandisius effecere ex his, quae leguntur ibi cap. IV, p. 943 sq. Τί κωλύει πεπεράνθαι καὶ ἔχειν πέρατα ἓν ὄντα τὸν θεόν; ὡς καὶ ὁ Παρμενίδης λέγει, ἓν ὂν εἶναι αὐτὸν, πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης κτλ. Priora verba, τί κωλύει πεπεράνθαι ... τὸν θεόν; spectant Xenophanem, qui ens dixit Deum, cumque infinitum; cui opponit Parmenidem, qui ens finitum appellavit. Apparet, Aristotelem hic magis de entis forma quam de ejus significatione loqui; quocirca non mirum si hac in re utriusque sententiae discrimen non notavit. Quis vero praestet, αὐτὸν non esse delendum, vel in αὐτὸ mutandum, quod ad τὸ ὂν referatur? Quamobrem hic locus mihi parum valere videtur, ad Aristotelis judicium cognoscendum; praesertim quum alibi nunquam Parmenidis ens Deum appellet, sicut ens Xenophanis.

dum sit, plura Parmenidis dicta de ente in divinam naturam optime congruere, cavendum tamen, ne illius placita ad alienam rationem accommodemus notionesve ei attribuamus ab ipsius mente alienas.

Quodsi illorum judicium ad Parmenidis sententias et verba exigamus, quid inter utrosque intersit, quid conveniat, facile apparebit. Sunt omnino in his quaedam Parmenidis, at non omnia. Platonici videlicet Parmenidis placita de *veritate*, cum Platonis doctrina de *ideis*, et Aristotelis ratione de rerum *principiis causisque*, ita confuderunt, ut hinc nova plane ratio nasceretur, quae quamquam auctoris Parmenidis vestigia quaedam referret, tamen colore et figura prorsus ab illo esset diversa. Parmenides ens simplex per se ponit, nulla partium concretione, nulla generum diversitate; illi ens unum et multa appellant, simplex idem et varium. Parmenides, ente sublato, negat cogitari quidquam posse, sed illud esse omnis cogitationis fundamentum; Platonici *esse* et *cogitare* ambo ita constrinxere, ut inde naturam effinxerint mente vigentem, cogitatione praeditam. Ille ens dicit vacuum omni motu, et constans naturâ; hi movendi principium faciunt. Ille in ente veritatem ponit; hi initium rerum omnium, caussam universi, summum Deum praedicant. Ille ens a rerum natura plane secernit; hi ens dicunt fontem et originem, a qua omnia tam supra quam subter manaverint. Denique, ut uno verbo complectar, Parmenides statuit *simplex ens* sive τὸ ἁπλῶς ὄν, Platonici *ens perfectum* sive τὸ παντελῶς ὄν, h. e. tale in quo sit una τῶν ὄντων

πάντων complexio. Ex his judicari potest, quantum inter utramque rationem intersit. Quibus vero machinis Platonici usi sint, ut Parmenidis dicta ad suam mentem et sententiam detorquerent, in singulis illius argumentis et notionibus explicandis supra ostendimus.

§ 17.

Jam praecipua, quae accepimus, veterum interpretum judicia de Parmenidis ente percurrimus.* Quodsi jam quaerimus, quod dudum indagamus, quae et qualis natura eo significetur, magis profecto, quid non sit, quam quid sit ens Parmenideum, didicisse

(*) Seriorum sententias de eo et judicia ordine exponere longum foret; obvia sunt omnibus et ab antiquorum fere interpretum testimoniis pendent. Silentio tamen praeterire non possum judicium Jo. Theod. van der Kemp, in Parmenide, libro vulgo minus noto, qui talem illius philosophiam describit: »Naturalis, inquit, Parmenidis philosophia in binas partes fuit divisa, quarum alteram sensuum indagini subjectam, alteram puro intellectui dicatam fuisse, vulgo agnitum est. Deinde, ut in parte philosophiae sensuali binis utebatur principiis, igne et terra, similiter, dicit, philosophiae ejus pars sublimior binis constabat capitibus, in quorum uno de ente, altero de non-ente, tanquam principiis τοῦ παντός, specie quidem et voce, numero vero minime discretis, Parmenides disserebat. Et voce ὄντος intellexisse eum videri unum supremumque Deum, μὴ ὄντος nomine universarum rerum omni forma et qualitate exutam materiem designavisse, et hanc nihil appellasse. Ambo autem haec ita conjunxisse, ut nec infinitum utriusque discrimen tolleret, neque orbis quasi imperium Deum inter materiemque divideret." Vid. praesertim p. 411 sqq. Ratio haec, in quam perversa interpretatione loci Aristotelis Metaph. I, 5, (de quo inferius § 19, n. 9) ductus est, partim e Platonis Parmenide partim e seriorum interpretationibus conflata, quam parum Parmenidis rationi congruat, non opus est moneri.

nobis videmur. Illud tamen didicimus, ut caveamus, ne serioris aetatis notiones cum illius ratione confundamus, sed ex ipsius potius verbis et placitis studeamus mentem ejus cognoscere.

Parmenides igitur in carminis exordio considerandam sibi proponit non mundi naturam, non principia rerum, non caussam universi, sed solam veritatem; verum autem censuit esse, i. e. notionem a sensibus remotam, ex ipsa animi conscientia ductam; idque quale sit describere aggressus est, notis non extrinsecus petitis, sed ex ipsa rei natura deductis: detraxit ab eo quaecumque cum sensibus et rerum natura aliquam haberent communionem, adjunxit quae simplici ac stabili naturae viderentur congruere. Hanc autem speciem in mente repositam, velut naturam per se constantem expressit et formavit. Parmenidi hanc philosophandi viam monstraverat Xenophanes. Hic esse statuerat Deum, Deique naturam in essentia praesertim posuerat; ille, omissa Dei notione, esse sive ens ipsum per se consideravit, eamque notionem mente comprehensam quasi mundum quendam expressit adspectabili mundo oppositum. Haec est summa Parmenideae sententiae, ad quam praecipuae ejus argumentationes referuntur: quam si merito aestimare velimus, dubium videtur utrum laudanda magis sit an reprehendenda. Namque esse demonstrando opposuit se iis qui fluere et mutari omnia docerent, dubitationis nebulam, quam isti rebus omnibus obducerent, disjecit, ac veritatis fundamentum posuit tale, quo sublato consistere et remanere nihil possit. Praecla-

rum sane illud meritoque laudandum. Idem vero in contemplanda illa specie unice intentus, ejusque magnificentia quasi abreptus, multis in rebus lapsus est. Ens finxit naturam per se constantem, a rerum natura prorsus secretam: ita vero illud, cujus communione res omnes contineantur, et quo tanquam fundamento rerum veritas nitatur, esse dico, a rebus ipsis separavit: atque ut Xenophanes Deum a mundo segregaverat, sic Parmenides, ut cum Platone loquar, universum ab universo divellit [160]. Deinde ens, ut unum et simplex, simplici specie exprimere conatus est; sed in eo describendo notiones admiscuit concretas et a simplici illa natura alienas, ut totum, continuum, finitum, quae quidem non modo unum significant, sed simul multa conducunt, ut Plato et Aristoteles ostenderunt [161]. Porro solum omnino esse verum statuit, quod autem non est, falsum ac nihil omnino. E quo sequatur, ut omnia quaecumque non esse dicantur nec simplici hac notione contineantur, veluti nasci, interire, fluere, variari, falsa sint et ad nihilum reducantur. Distinxit quidem ille opinabilia a veris, et utrisque suam tribuit dignitatem, at non, quid fecerit, sed quid consequens sit, quaerimus. Ita autem veritas augustis sane terminis coarctetur! Quid? si unum et simplex esse verum habeatur, necesse sit, omnis notionum conjunctio tollatur, nec ullae revera praedicari possint qualitates quae enti attribuantur, ipsum adeo ens quale

(160) Vid, infra, not. 169.

(161) Vid. supra, § 8 et 10, p. 171, 182.

sit, dici nequeat, et prorsus ad nihilum sive non ens reducatur.

Ob has aliasque rationes Parmenidis placita acriter refutata sunt a Platone et Aristotele, qui ostenderunt ens non esse unum, sed multiplex, nec per se constare, sed aliis cum rebus esse conjunctum. Id vero nondum viderat Parmenides. Ille videlicet ens ipsum per se considerans, non rerum naturaeque veritatem, sed ipsum verum, simplex et uniforme, anquirere voluit, non autem animadvertit, se pro veritate inanem speciem, ac revera, ut ajunt, nubem pro Junone esse amplexum.

Quum autem talem finxerit summam illam quam mente conceperat naturam, quaeritur, num ἄθεος sit habendus Parmenides? Fuerunt qui eum hac culpa criminarentur, quod ens unum videlicet verum et aeternum praedicans, Deum tolleret; contra alii ens ipsum Deum a Parmenide, si non appellari, intelligi tamen censuerunt [162]. In qua quaestione dijudicanda ne imitemur eorum prudentiam, qui tantas lites se

(162) Harum sententiarum priorem sequitur Bayle Dict. in *Xenoph.* Posterior sententia placuit Gassendo Opp. T. I. p. 135 et 234, qui Parmenideum ens non physice sed theologice interpretandum censet; praecipue vero acrem patronum nacta est Cudworthium Syst. Intell. p. 592—599, qui manifestum esse contendit, unum summum potentissimum Deum a Parmenide cultum esse. Ejus argumentatio quamvis docta tamen parum probabilis est, utpote non ipsorum fontium cognitione sed seriorum fere interpretum testimoniis nixa. Cf. Wolfius ad Origen. Philos. cap. XI. p. 890, et Moshemius ad Cuthworth. p. 599 sq.

componere nolle dictitantes, rem in integro relinquant, attendamus potius ea quae ipsius Parmenidis versus significant. Nusquam ille ens Dei nomine appellat; immo vero in exordio Deum fingit haec explicantem, et tam veritatis cognitionem quam opinionum visa sibi aperientem; eundemque per totum deinceps carmen loquentem facit. E quo apparet profecto, Parmenidem neque ens idem dixisse ac Deum, neque vero divinam naturam sustulisse. Qualis autem sit Deus, non accurate explorasse videtur, sed poëtice tantum significasse, praesertim in iis, quae de rerum natura canit [163]; eadem fortasse usus vel prudentia vel modestia, qua Melissus, qui de Diis disserendum non censuit, obscuram de illis dicens esse cognitionem [164].

§ 18.

Quum talis sit Parmenidis ratio, non miretur quis, eam a multis reprehensam esse, ab Aristotele adeo eristicam vocari; potius mirandum videatur, cur a summis philosophis, praesertim a Platone, tantis ille elatus sit laudibus, ut vulgo Platonicae doctrinae parens et idearum auctor celebratus sit.

Nimirum Parmenides, licet in peragrando avio Musarum campo a via deflexerit, praeclarum tamen

(163) Quod jam animadversum est a Moshemio l.l. quamquam in explicando, qualis sit ille Deus, peccat. Van der Kemp, ut facile exspectes, hanc opinionem ut impiam a Parmenide repellit, p. 414 not.

(164) Vid. Diogenes L. IX, 24.

opus est aggressus. Nam cum plerique suae aetatis, in verum anquirendo, incertis in rebus qnasi fluctuarent, ille verum non in fluxa natura collocatum nec sensibus obnoxium esse docuit; secrevit veritatem ab opinionum visis, eamque terrena faece liberatam in mundum intelligibilem extulit. Sic quidem indicavit regionem quo tendendum sit philosopho, et quo optimus quisque tetendit. Philosophus enim, ut ait Plato [165], versatur in lucido veritatis campo, quem intueri vulgaris acies non valet, in entis specie (τῇ τοῦ ὄντος ἰδέᾳ) contemplanda semper mente intentus. Non quid videatur, sed quid sit, non quae sensibus appareant, sed quae mente et ratione comprehendantur, indagare philosophi munus est.

Quum autem philosophia quod certum et constans sit indaget, prae ceteris disciplinis eo potissimum excellit, quod illae proficiscuntur a principiis quibusdam quae postulantur quidem, sed an vera sint, non quaeritur; haec vero ipsa rerum principia anquirit. Velut physice, ut exemplo utar, corporum naturas actiones et affectiones investigans, ipsum hoc, esse naturam, esse naturales quosdam motus ponit; credit, quia sensibus ita videtur, licet ratione non habeat perspectum. Philosophia vero hoc ipsum, motus sitne revera an videatur tantum, anquirit. Itaque inter philosophiam et ceteras disciplinas hoc praesertim discrimen ponitur a veteribus, quod hae hypothesibus tanquam fundamentis nitantur; illa vero ad τὸ ἀνυπόθετον tendat, nihil aliunde petat, sed totum opus quasi a solo ex-

(165) Plato Soph. p. 254 A.

citet [166]. Hujusmodi autem est principium a Parmenide constitutum, ens, quod non sensibus quidem percipitur, sed ipsa animi conscientia et ratione agnoscitur tanquam principium omnium, quo sublato, nihil amplius constare possit [167].

Haec de Parmenidis argumento. Quod autem ad quaerendi viam sive methodum spectat, philosophia ad veri cognitionem utitur praesertim cernendi arte (τῷ κρίνειν), qua ea quae sunt, ab iis quae videntur, verum ab opinabili, unum a multis, denique contraria a contrariis secernit, quod dialectices munus est. Hanc autem viam in entis notione exploranda maxime secutus est Parmenides. Esse demonstrato, contrarium non esse ab hoc secernit, et tanquam falsum refutat; deinde secernit ab eo repugnantia ista, nasci, interire, mutari, ut simplici naturae aliena; secernit motionem et partium divisionem, quippe quae ab una et simplici natura abhorreant. Quibus omnibus exploratis, absolutam et perfectam entis speciem exprimere studuit. Itaque distinguendo et cernendo praesertim Parmenides ad veri contemplationem tetendit, eamque in primis ingressus est viam quae ad diligentiorem rerum cognitionem maxime ducit. Sed praeterea alterum

(166) Plato Soph. p. 254 B. Van Heusde Initia phil. Platon. II, 2, p. 73. Seneca Epist. I, 88, ubi geometria et philosophia inter se conferuntur.

(167) Aristot. Metaph. IV, 1, 3. p. 665, 667.

est huic oppositum, quod jungendo et copulando cernitur, quoniam non solum oportet diversa a diversis discerni, sed etiam varia inter se conjungi et comparari: utrâque demum ratione completum est dialectices munus, sicut ostendit Eleates ille apud Platonem, dicens [168]: Τὸ κατὰ γένη διαιρεῖσθαι, καὶ μήτε ταὐτὸν εἶδος ἕτερον ἡγήσασθαι μήτε ἕτερον ὂν ταὐτὸν, μῶν οὐ τῆς διαλεκτικῆς φήσομεν ἐπιστήμης εἶναι; — Οὐκοῦν ὅ γε τοῦτο δυνατὸς δρᾷν, μίαν ἰδέαν διὰ πολλῶν, ἑνὸς ἑκάστου κειμένου χωρίς, πάντῃ διατεταμένην ἱκανῶς διαισθάνεται, καὶ πολλὰς ἑτέρας ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἔξωθεν περιεχομένας, καὶ μίαν αὖ δι' ὅλων πολλῶν ἐν ἑνὶ ξυνημμένην, καὶ πολλὰς χωρὶς πάντῃ διωρισμένας · τοῦτο δ' ἔστιν, ᾗ τε κοινωνεῖν ἕκαστα δύναται καὶ ὅπῃ μή, διακρίνειν κατὰ γένος ἐπίστασθαι· *Res in genera dividere nec easdem species pro diversis, nec diversas pro iisdem putare, nonne dialectices munus esse dicamus? — . Ergo qui hoc facere sciat, agnoscet probe unam speciem per multa, eaque separata inter se, penitus pertinentem, et multas item species inter se diversas una quadam forma extrinsecus comprehensas, et unam rursus e totis multis conflatam, et multas prorsus inter se discretas; hoc autem est, singula, qua congruere possint qua non congruere, discernere generatim nosse.* Hoc autem, quod dialectices munus est, ille nulli alii tribuendum censet πλὴν τῷ καθαρῶς τε καὶ δικαίως φιλοσοφοῦντι. Itaque dialectice duobus his potissimum cernitur, discernendo et conjungendo, quarum rationum illam

(168) Platon. Soph. p. 253 D.

studiose usurpavit Parmenides, hanc fere omisit: cujus exemplum sequentes Eleatici imitati subtiliter quidem singula discernere instituerunt, sed hac distinguendi subtilitate eo pervenere, ut omnia quasi dissecarent, integrum nihil relinquerent, atque adeo universum ab universo divellerent [169].

Parmenides a multis idearum parens creditus et celebratus est. Et sane philosophia ejus continet initia, e quibus idearum doctrina excrevit. Etenim ens ipsum per se suaque forma effingens, exemplum proposuit, ad cujus similitudinem ideae exprimerentur. Attamen idearum doctrinam Parmenides tantum inchoavit, auxerunt eam et perfecerunt Socratici, praecipue Plato. Ille ipsum τὸ ὂν tantum consideravit, et quasi formam veritatis adumbravit. Hi autem quid sit τὸ ὄν, in quo posita sit veritas, quaesiverunt; ut Euclides, sapientiae et honestatis praestantiam a Socrate edoctus, in his ipsis ens posuit, sapientiam vel honestatem unum esse dicens a ceteris rebus secretum, idque divinum ipsumque Deum praedicat; quae autem contraria his, non esse dicit [170]. Ita hic Parmenidis placitum Socratica ratione auxit et quasi corroboravit. Maxime vero explicuit et illustravit Plato, qui Parmenidis exemplo verum appel-

(169) In quod congruunt Platonis verba Soph. p. 259 D: *καὶ γάρ, ὦγαθέ, τό γε πᾶν ἀπὸ παντὸς ἐπιχειρεῖν ἀποχωρίζειν . . . ἀμούσου τινὸς καὶ ἀφιλοσόφου.*

(170) Diogenes L. II, 106 sq. F. Deyks de Megaricorum doctr. (Bonn. 1827) p. 26 sq.

lans id quod per se est, retulit hoc ad res aeternas et divinas, non autem unum esse dixit, ut Parmenides, neque unam honestatem vel sapientiam esse, ut Euclides, sed in plura genera divisit et varias effinxit formas, ut pulcrum, sanctum, bonum; easque formas quamquam humana et terrena contagione immunes diceret, non tamen a mundo divellit plane ac segregavit, sed exemplaria esse censuit eorum quae in rerum natura et in hominum actionibus et officiis obscura et confusa videantur [171]. Ita demum effectae sunt ideae perfectae rerum species et exempla, quibus intuendis et imitandis ad veram sapientiam et honestatem contendere philosophum oporteat.

(171) Vid. van Heusde Initia Phil. Plat. II, 3. p. 54 sq.

§ 19.

DE OPINIONUM VISIS.

Jam veritatis doctrina explicita, deinceps, duce Parmenide, opinionum visa seu placita ejus de mundi origine et rerum natura enarrabimus.

Conveniunt omnes, et ipsius versus testantur, duo et contraria Parmenidem fecisse generatarum rerum principia, quae vulgo calidum et frigidum sive ignis et terra appellantur. Aristoteles: Παρμενίδης, inquit, θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἀρχὰς ποιεῖ, ταῦτα δὲ προςαγορεύει πῦρ καὶ γῆν [1]. Idem alio loco: δύο τὰς αἰτίας καὶ δύο τὰς ἀρχὰς τίθησι.., θερμὸν καὶ ψυχρόν, οἷον πῦρ καὶ γῆν λέγων· τούτων δὲ τὸ μὲν κατὰ τὸ ὂν (τὸ θερμὸν) τάττει, θάτερον δὲ κατὰ τὸ μὴ ὂν [2]. Ut postrema verba nunc omittamus, de quibus mox erit dicendum, comparatis inter se his locis, apparet ab Aristotele dici, Parmenidem duo principia posuisse calidum et frigidum, quibus ignem et terram significari. Iisdem vocabulis designant Theophrastus et ceteri plerique [3]; alii vero lucidum et opacum

(1) Aristoteles Phys. I, 5. T. I. p. 257 G.

(2) Idem Metaph I, 5. T. II, p. 648 F. Cf. mox not. 7.

(3) Theophr. apud Alexandr. Aphrod. n Arist. XII libros de Prim. philos. sive Metaph. intp. Sepulv. f. 7 A (ad L. I, 3. p. 646 B.): »Ex opinione vulgi rerum apparentium duo principia facit, ignem et »terram, alterum ut materiem, alteram ut caussam et efficiens." Joannes Philoponus citatus supra, p. 147, n. 19; Diogenes Laërt. Theophrastum secutus, IX, s. 21: δύο τε εἶναι στοιχεῖα, πῦρ καὶ γῆν· καὶ τὸ μὲν δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν, τὴν δὲ ὕλης. Item Origenes

vocant, ut Plutarchus de Parmenide loquens [4]: *στοιχεῖα μεγνύς τὸ λαμπρὸν καὶ σκοτεινόν, ἐκ τούτων τὰ φαινόμενα πάντα καὶ διὰ τούτων ἀποτελεῖ.* Et hoc quidem accuratius; ipse Parmenides in carmine ambo illa principia lucem et noctem appellat; quas naturas deinde ita informat: alteram calidam, tenuem, levem; alteram frigidam, densam, gravem [5]. Unde intelligitur, Parmenidem non proprie terram et ignem, sed aetheriam et terrenam materiem intellexisse, quam ipse lucem et noctem, seriores magis usitatis vocabulis ignem et terram vel calidum et frigidum appellarunt [6].

Philos. XI: *οὐδὲ αὐτὸς ἐκφεύγων τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, πῦρ λέγων καὶ γῆν τὰς τοῦ παντὸς ἀρχάς, τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην, τὸ δὲ πῦρ ὡς αἴτιον καὶ ποιοῦν*. alii, quos passim citabimus.

(4) Plutarch. adv. Colot. p. 1114 (Vol. X, p. 583 R.) Cf. Alexand. Aphrod. apud Simplic. Phys. f. 9 A: *ἀρχὰς τῶν γενομένων ὑπέθετο πῦρ καὶ γῆν, τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην ὑποτιθείς, τὸ δὲ πῦρ ὡς ποιητικὸν αἴτιον· καὶ ὀνομάζει, φησί, τὸ μὲν πῦρ φῶς, τὴν δὲ γῆν σκότος.* Similiter Simplicius ipse Phys. f. 6 B, inter eos, qui plura naturae elementa statuunt, Parmenidem memorans, dicit eum *ἐν τοῖς πρὸς δόξαν* principia statuisse *πῦρ καὶ γῆν, μᾶλλον δὲ φῶς καὶ σκότος.* Quamquam idem in interpretandis Parmenidis versibus plerumque varias illas appellationes confundit, ut Phys. f. 7 B: *τῶν μὲν γενητῶν ἀρχὰς καὶ αὐτὸς στοιχειώδεις μὲν τὴν πρώτην ἀντίθεσιν ἔθετο, ἣν φῶς καλεῖ καὶ σκότος, πῦρ καὶ γῆν, ἢ πυκνὸν καὶ ἀραιόν, ἢ ταὐτὸν καὶ ἕτερον, λέγων κτλ.* (Cf. commentar. in vs. 117). Ibid. f. 39 A: *οὗτος ἐν τοῖς πρὸς δόξαν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἀρχὰς ποιεῖ· ταῦτα δὲ προςαγορεύει πῦρ καὶ γῆν, καὶ φῶς καὶ νύκτα ἤτοι σκότος. λέγει γὰρ κτλ.* Levioris momenti locos omitto. In his autem locis Simplicius magis interpretis quam testis et auctoris munere fungitur.

(5) Vid. vss. 115—118; cf. fragm. 2, supra p. 48.

(6) Parmenidem ipsum his appellationibus non usum esse, ex iis quae attulimus nemini dubium fore credo. Fuerunt tamen qui sic putarunt,

Haec autem principia, ut genere diversa, sic potestate inter se sunt opposita. Plerique ita distinguunt, ut alteri *ὄντος*, alteri *μὴ ὄντος* tribuant potestatem. Sic Aristoteles: *Παρμενίδης* (*στοιχεῖα*) *λέγει δύο, τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὂν εἶναι φάσκων, πῦρ καὶ γῆν* [7]. Quae non ita accipienda, quasi Parmenides ipse ambo elementa his vocabulis distinxerit [8]: ille e n s et n o n e n s non ad opinionum, de quibus hîc agitur, sed ad veritatis doctrinam retulit, illudque per se verum, hoc falsum ac nihilum dixit; — sed interpretanda sunt ex Aristotelis ratione, qui res omnes pro diversa naturae vi et potestate in duo genera discernens, alterum *ὄν*, alterum *μὴ ὄν* appellavit, ut in quoque major minorve vis inesset: horum illud est agens et efficax, hoc autem patiens et iners; veluti calidum et frigidum, alterum vocatur *ὄν*, in quo caloris vis inest, alterum *μὴ ὄν*, quod est caloris vacuitas; unde hoc etiam universe *στέρησις* ab eo appellatum. Has igitur notiones Aristoteles ad Parmenidis aliorumque veterum placita accommodans,

ii videlicet, qui antiquorum placita non ex ipsis fontibus, sed ex Aristotelis, Theophrasti, aliorumve rivulis repeterent; ut Joannes Philoponus in Aristot. Phys. (L. I, c. 5 pr.) lit. C, p. 11 sq. haec scribens: *Παρμενίδης ἐν τοῖς πρὸς ἀλήθειαν ἓν εἶναι λέγων τὸ ὄν, ἐν τοῖς πρὸς δόξαν τὰ ἐναντία ἀρχὰς ὑπετίθετο, τὸ θ ε ρ μ ὸ ν καὶ τὸ ψ υ χ ρ ό ν· καλεῖ δὲ τὸ μὲν ψυχρὸν γ ῆ ν, τὸ δὲ θερμὸν πῦρ.* Auctorem hic secutus est, ut videtur, Alexandrum Aphrodisium, quem ipse nominat in Comment. de Gener. et Corrupt. (Ald. 1527) f. 64 A, vid. not. 10. Similiter alii ejusdem farrinae scriptores, Diogenes Laërtius, Pseudo-Origenes, modo citati.

(7) Arist. de Gener. et corr. I, 3. T. I, p. 389 A. Cf. not. 2.

(8) Sicut multi seriorum interpretum, Aristotelis verbis inducti, opinati sunt, ut Alexander Aphrodisius, Joannes Philoponus, alii citati n. 13.

vult alterum entis, alterum non-entis instar esse, ut aperte dicit in primo Metaphysicorum: τούτων δὲ τὸ μὲν κατὰ τὸ ὂν, τὸ θερμὸν, τάττει, θάτερον δὲ (τὸ ψυχρὸν) κατὰ τὸ μὴ ὂν [9]. Rem alibi, de veteribus physicis loquens, manifestius declarat, haec dicens [10]: ἐπεὶ γὰρ πέφυκεν, ὥς φασι, τὸ μὲν θερμὸν διακρίνειν (unde ἀραιὸν vocat Parmenides), τὸ δὲ ψυχρὸν συνιστάναι (unde πυκνόν), καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον τὸ μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ πάσχειν, ἐκ τούτων λέγουσι καὶ διὰ τούτων ἅπαντα τἄλλα γίγνεσθαι καὶ φθείρεσθαι. Quoniam calidum diffundendi, frigidum condensandi vim habeat, sitque alterum agens, alterum patiens, ideo haec a veteribus rerum elementa esse habita dicit. Hinc eodem sensu Parmenidis principia, alterum agens, alterum patiens dicta, ut apud Ciceronem

(9) Vid. n. 2. Haec autem Aristotelis dicta nonnullos in errorem induxerunt, opinantes ab illo significari, Parmenidem, ut in veritate quaerenda τὸ ὂν et τὸ μὴ ὂν, sic in rerum natura ignem et terram statuisse illis respondentia; sicut judicat van der Kemp, superius citatus p. 211. Error in iis, qui non ipsas Parmenidis reliquias cognorant neque collatis omnibus veterum testimoniis diligenter comparaverant, facile ignoscendus.

(10) Aristot. de Gener. et Corr. II, 9. p. 407 BC. Hic praeter alios Parmenidem intelligi, jam veteres animadverterunt. Joannes Philoponus ad h. l. p. 64 A annotat: ὁ Ἀλέξανδρος τοὺς περὶ Παρμενίδην τοιαύτης γεγονέναι δόξης (φησί). Eodem pertinet locus Metaph. I, 3. p. 646 B, ubi postquam dixit ea, quae supra retulimus p. 197, qui unum omnia statuerent, horum nemini contigisse caussam moventem videre, praeterquam Parmenidi, subjungit haec: τοῖς δὲ πλείω ποιοῦσιν μᾶλλον ἐνδέχεται λέγειν, οἷον τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἢ πῦρ καὶ γῆν· χρῶνται γὰρ ὡς κινητικὴν ἔχοντι τῷ πυρὶ τὴν φύσιν, ὕδατι δὲ καὶ γῇ καὶ τοῖς τοιούτοις τοὐναντίον (i. e. ὡς ὕλῃ). Quae verba etiam ad Parmenidem spectare, idem Alexander recte animadvertit, in Metaph. f. 7 A.

legimus, Parmenidem duo statuisse, »ignem qui moveat, terram quae ab eo formetur"; [11] et ante Ciceronem dixerat Theophrastus, terram materiem, ignem autem caussam efficientem appellans [12]. Cum his plerique Parmenidis placitum interpretantes concinunt, calidum sive lucem appellantes *ποιητικόν*, *αἴτιον*, *δημιουργόν*; frigidum seu noctem *ὕλην*, *ὑλικόν* [13]. Quae omnia, quamquam non iisdem verbis, idem tamen significant atque Aristotelicum *ὂν* et *μὴ ὄν*, in altero (dicam minus latine) positivam, in altero negativam inesse potestatem.

Hoc autem discrimen congruum quidem est Parmenidis sententiae, nec tamen plane. Licet enim lucem naturâ leviorem et vividiorem, noctem graviorem crassioremque fecerit, non tamen ambas ita potestate distinxit ut illam caussam mundi effectricem, hanc inertem materiem dixerit: utrique suam et propriam

(11) Acad. Qu. II, 37.

(12) Theophrastus citatus modo not. 3.

(13) Iis, quos modo not. 3 citavimus, addantur Alexander Aphrod. in Metaph. f. 10 AB (Aristot. p. 648 F): »P. duo principia ponebat ipsius mundi et rerum quae ad hunc mundum sunt, ignem et terram; quorum ignem ens dicebat, terram non ens et frigidum ..... Ac fortasse Parmenides frigidum appellabat non ens, quum haec magis est materialis caussa; videtur autem materia esse quoddam nonens." Jo. Philoponus de Gener. et Corr. f. 13 A, Parmenidis placita ad Aristotelicam rationem accommodans dicit: *τὴν μὲν ὑλικωτέραν (οὐσίαν) μὴ ὂν ἐκάλουν οἱ περὶ Παρμενίδην, τὴν δὲ εἰδικωτέραν ὄν· διὰ γάρ τοι τοῦτο οὗτος ὁ ἀνὴρ τὴν μὲν γῆν μὴ ὂν ὠνόμασεν, ὡς ὕλης λόγον ἐπέχουσαν, τὸ δὲ πῦρ ὄν, ὡς ποιοῦν καὶ εἰδικώτερον.* Diogenes L. IX, s. 21, dicit, *τὸ πῦρ δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν*. quod vocabulum apud philosophos idem notat quod *αἴτιον* sive *ποιοῦν*. Cf. Plutarchus, de primo frigido, Vol. IX, p. 729 Reisk.

tribuit naturam et actionem, utrique suas adjunxit qualitates; ambabus autem praeposuit (ut inferius videbimus) vim moderatricem, quae, contraria conciliando, rerum generationem efficiat [14]. Sed Parmenidis sententia de hac re optime perspicitur ex ipsius versibus, quibus elementorum inter se mixtionem memorans, alterum ἄῤῥεν, alterum θῆλυ cognominat [15] vocabulis a natura humana petitis: calori sive luci tribuit maris, nocti feminae potestatem; quibus appellationibus amborum inter se discrimen optime significatur, eoque Aristotelis et reliquorum interpretationes referendae sunt.

§ 20.

Vidimus quae et qualia Parmenides statuat rerum principia; jam quae sit ratio hujus placiti, videamus. Primum, cur duo induxerit rerum principia, cum plerique suae aetatis physici ad unum omnia referrent, — vidit facile, si unum modo ponatur, nullam esse posse rerum varietatem, nec generationem nec interitum; hoc igitur improbavit, duo induxit quorum mutuâ actione omnia in rerum natura efficerentur. Principia haec fecit paria inter se et aequalia; utrumque sibi consentiens, alteri oppositum; his ambobus

(14) Haec clarius etiam patebunt ex iis quae de animo et sensu disseremus § 28. Jam Simplicius hoc animadvertit, Alexandrum reprehendens, Phys. I, f. 9 A: εἰ δὲ ποιητικὸν αἴτιον τὸ φῶς καὶ πῦρ νομίζει λέγεσθαι, οὐ καλῶς οἴεται. Ipse Deam illam τὸ ποιητικὸν vocat.

(15) Vid. vss. 129 sq.

mundum omnem ita compleri censuit, ut nihil relinqueretur vacuum [16]; in eo sibi constans, quod, ut in veritate non ens, sic in natura inane sustulit.

Principia illa fecit lucem et noctem, quorum vis in mundo videtur esse maxima, ita, ut horum contraria actione omnes pene naturae mutationes, omnium rerum generatio et interitus contineri videantur. Singulis his cognatas tribuit species: luci calidum, leve, rarum; nocti frigidum, grave, densum: quorum omnium naturam an accuratius exploraverit, non apparet quidem, nec tamen pro illius aetate probabile est [17].

Vulgo autem haec principia elementa, στοιχεῖα sive ἀρχαὶ στοιχειώδεις, dici haberique solent. Et sane, quum ea sint e quibus oriantur et in quae resolvantur omnia, recte hoc vocabulo appellari possunt, modo ne existimemus, ea, sicut elementa haberi solent, esse pondus iners informemque molem, cui forma et actio extrinsecus impertiri debeant. Neque etiam habenda sunt formae quaedam corporis expertes, quibus materies extrinsecus suggerenda sit, sicut quidam olim finxerunt [18]. Non ita veteres rerum principia sibi informarunt, neque formam et materiem, ambas illas natura inter se conjunctas, divellerunt. Ipse Parmenides eas appellat μορφάς,

(16) Vid. vss. 123 sq.

(17) Accuratius de his egerunt seriores, ut Plutarchus in eleganti quaestione de primo frigido, Vol. IX. R.

(18) Ita Telesius apud Baconem, Opp. Vol. IX, p. 333, jam ab ipso Bacone reprehensus, ibid. p. 347.

15*

ut forma praeditas[19], iisque et semina rerum omnium et species, et actionem vitam animamque contineri censet, earumque temperie varia corpora corporumque formas et motus effici[20].

Haec autem elementa sive rerum genera primusne invenerit an ab antiquioribus mutuatus sit, quaeritur. Etsi a plerisque Parmenides auctor hujus placiti habetur, origo tamen ejus e populari opinione et poëtarum fabulis repetenda est. Nam quum ipsa natura lucis et noctis, caloris et frigoris discrimine mundi conversiones et anni tempestates dividat, hinc jam barbaris hominibus nata est opinio, hos Deos esse, quorum vi et moderamine mundus regatur et universum compleatur. Quis ignorat Persarum religiones, in quibus duo illa numina consecrata sunt, lucis alter, alter tenebrarum Deus? Ejusdem notionis vestigia, quamvis obscura, in Graecorum mythologia apparent, ubi in primis celebrantur Ζεὺς et Ἅιδης, alter coeli et lucis, alter orci et tenebrarum Deus[21]. Idem clarius significarunt illi sive theologi sive physici, qui Deorum personas ad naturae vires mundique partes magis accommodarunt; ut Acusilaus, qui Hesiodi theogoniam imitatus, inter antiquissimos Deos refert Νύκτα et Αἰθέρα[22]. Quae autem illi fabulo-

(19) Vid. vs. 112.

(20) Hoc e tota ejus rerum naturalium descriptione deinceps magis patebit. Cf. praecipue § 28.

(21) Hos Graecorum Deos cum Persarum Diis comparat Aristoteles. Vid. Diogen. Laërt. I, 8; Zoëga Abhandl. p. 112 sq. Cf. Creuzer. Symbol. I, p. 692.

(22) Vid. Schol. Theocr. Argum. Id. XIII; Damasc. in Wolfii Anecd.

sius vel obscurius tradiderunt, doctius et clarius exposuerunt praesertim Pythagorei, rerum omnium contraria statuentes genera et elementa (τὰ κατὰ συςοιχίαν vulgo appellata), inter quae haec praecipue, ἄῤῥεν καὶ θῆλυ, φῶς καὶ σκότος [23]; dicebant illi, paria (ἰσόμοιρα) esse in universo lucem et tenebras, calidum et frigidum, humidum et madidum [24]. Jam vero horum disciplina fons habetur, unde cum alii rivulos duxerint philosophi, tum praesertim Eleatici. Tenuit Parmenides Pythagoricum illud decretum, mundum e contrariis constare elementis, quibus universum compleatur, sed placitum illud sua ratione conformavit: varia illa genera retulit ad duo capita, his cetera tanquam qualitates adjunxit; ornavit ea poëticis nominibus, fortasse interdum etiam quasi deorum personas induxit [25]; sic novum veluti placitum protulit, quod illius nomine celebratum magnam deinde in physicis obtinuit auctoritatem. Multi enim, licet etiam in naturae elementis a Parmenide dissentientes, ut Democritus, Anaxagoras, Empedocles, Plato, tamen haec

Graec. T. III, p. 257, citt. a Sturzio ad calcem fragm. Pherecydis, p. 222 Quamquam generationis ordines, quos illi apud Acusilaum faciunt, non magis certos esse arbitror, quam quos Hesiodo obtrudunt; ut ipsa auctorum inter se discrepantia satis arguit.

(23) Vid. Aristot. Metaph. I, 5. p. 648 A; Eudorus apud Simplic. Phys. f. 39 A. Cf. Ritter, Pythag. Philos. p. 124.

(24) Diogen. Laërt. VIII, s. 26.

(25) Huc facit Clemens Alex. in Admonit. ad Gentiles, p. 43 C: Παρμ. δὲ ὁ Ἐλεάτης θεοὺς εἰςηγήσατο Πῦρ καὶ Γῆν. Quamquam Clementi, veterum placita in hoc libro acrius insectanti, non nimis confidere licet, tamen illud a Parmenidis ratione non abhorret. Cf. inferius ad not. 36 et 74.

commoveat, sed contrarias vires et motus inter se conciliet, talem, qualis a Plutarcho veterum exemplo fingitur Θεὸς ἁρμονικός, τὴν τῆς θερμότητος καὶ ψυχρότητος ἐν κόσμῳ κοινωνίαν καὶ διαφορὰν, ὅπως συνοίσωνταί τε μετρίως καὶ διοίσωνται πάλιν, ἐπιτροπεύων [32].

Fictio autem haec poëtica est eademque Graecorum studiis prorsus consentanea. Quis ignorat, quanta in Graecorum institutis, religionibus, fabulis, Amoris fuerit celebritas [33]? Etiam vetustissimi vates et sapientes, Hesiodus, Pherecydes, Acusilaus, in theogoriis condendis et mundi primordiis celebrandis, Amori praecipuas tribuerunt partes, quos posteriores sunt aemulati; sed ut prisci illi res naturae ad Deorum personas, actiones et munera referebant, sic postea doctiores, velut Parmenides, Deorum numina ad naturae vires mundique partes significandas adhibuerunt: pro Deorum nuptiis induxere elementorum connubia, amore juncta, qualia eleganter describit Virgilius [34]:

Tum Pater omnipotens foecundis imbribus Aether
Conjugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.

Sic canit Virgilius; sic dudum ante Virgilium in scena cecinerunt Aeschylus et Euripides [35], qui haec partim a poëtis partim a philosophis depromserant. Atque hunc in modum Parmenidem in exponenda rerum

(32) Plutarch. de primo frig. Vol. IX, p. 730. Reisk.

(33) Vid. Creuzeri Praepar. ad Plotin. de Pulcr. p. XXX sq. Proclus in Timaeum, p. 155.

(34) Virgilius Georg. II, 325.

(35) Horum nobilissimi versus exstant apud Athenaeum XIII, 8. p. 600. Cf. Heyne ad Virg. l. l.

natura Deorum numina et fabulas finxisse, cum Menander rhetor testatur [36], tum ipsius versuum reliquiae satis indicant.

In hac autem fabula fingenda, Parmenidi auctorem fuisse Hesiodum, non improbabile est [37], quamquam ambo non plane inter se concinunt. Hesiodus solum induxit Amorem, quem statim post Chaos una cum Tellure exstitisse narrat, non aliunde natum, sed *prolem sine matre creatam;* [38] Parmenides vero Amori parentem tribuit Deam, potentem illam et augustam, cujus etsi nomen non designat, vim tamen et naturam ipsius operibus ostendit. Dicitur illa *μίξιος ἀρχή*, coëundi principium sive Veneris desiderium, e quo amor quasi prognatus est. Eadem ergo est quae vulgo Ἀφροδίτη vocata et a poëtis et philosophis alma natura parens et regina praedicata est. De hac similiter canit Euripides [39]:

ἥδ' ἐστὶν ἡ σπείρουσα καὶ διδοῦσ' Ἔρον,
οὗ πάντες ἐσμὲν οἱ κατὰ χθόν' ἔκγονοι.

neque tantum hominum et animantium, sed totius naturae mater et princeps celebratur:

φοιτᾷ δ' ἐν αἰθέρ', εἶσι δ' ἐν θαλασσίῳ
κλυδῶνι Κύπρις, πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ.

Empedocles, in multis Parmenidem aemulatus, duo fingit numina, Amicitiam et Discordiam, quarum illam principem facit, eandemque Ἀφροδίτην

(36) Ut supra vidimus, p. 21.
(37) Ut jam animadverterunt Plato et Aristoteles citati sub vs. 131.
(38) Hesiodus Theogon. vs. 117, 120.
(39) Euripid. Hippolyt. vss. 447–450; ubi versu tertio *εἶσι*, *incedit*,

appellat [40]. Eandem fictionem seriores quoque retinuerunt, ut Stoici, a quibus Venus *παναιτίη* cognominata [41], praesertim vero recentiores Platonici, qui antiquorum fabulas studiose ad suam philosophandi rationem accommodare solebant. Hi, Platonis exemplum imitati, duplicem fingunt Venerem, alteram divinam, alteram naturalem, qualis haec Parmenidis Dea, eamque similiter naturae gubernatricem praedicant: Haec, dicit Proclus, *ἐπιτροπεύει πάσας τὰς ἐν τῷ οὐρανίῳ κόσμῳ καὶ γῇ συστοιχείας, καὶ συνδεῖ πρὸς ἀλλήλας, καὶ τελειοῖ τὰς γεννητικὰς αὐτῶν προόδους διὰ τῆς ὁμονοητικῆς συζεύξεως* [42]. Quae quidem, exceptis verbis, Parmenidis sententiae plane sunt congrua. Iidem vero, quo sua firmarent placita, fabulam quoque illam, de Venere cum Amore junctâ, jam ab antiquissimis theologis, Orpheo aliisque, proditam esse aiunt: *εἰ δὲ . . . τὴν ὑπερκόσμιον αἰτίαν τῆς Φιλίας ἐθέλεις σκοπεῖν, εὑρήσεις καὶ παρὰ τοῖς θεολόγοις αὐτὴν ὑμνουμένην· τὴν γὰρ Ἀφροδίτην παρήγαγεν ὁ Δημιουργὸς* (summus opifex Deus), *ἵνα καλῶς ἐπιλάμπῃ τάξιν καὶ*

pro *ἴστι* legit Bentlejus. Cf. Homer. Hymn. Vener. princ. Orph. Hymn. LV (54). Lucret. L. I. pr. Ovidius Fast. IV, 91:

Illa quidem totum dignissima temperat orbem,
Illa tenet nullo regna minora Deo;
Juraque dat coelo, terrae, natalibus undis,
Perque suos initûs continet omne genus;
Illa Deos omnes (longum enumerare) creavit etc.

Hi omnes Veneri eandem, quam Parmenides Deae illi, tribuunt potestatem.

(40) Vid. Empedocles, vs. 56, 131.

(41) Vid. Cornutus Stoicus de Nat. Deor. c. 24; cf. Lucretius, I, 22.

(42) Proclus in Platon. Cratyl. ed. Boisson. p. 117; cf. Plotinus Ennead. p. 292 A.

ἁρμονίαν καὶ κοινωνίαν πᾶσι τοῖς ἐγκοσμίοις, καὶ τὸν Ἔρωτα ὀπαδὸν αὐτῆς, ἑνοποιὸν ὄντα τῶν ὅλων [43]. Quamquam illorum auctoritas non majorem fere in citandis antiquorum versibus quam interpretandis meretur fidem. Sed, ut ad Parmenidem revertamur, apparet ex his, cujusmodi Dea sit illa, quam naturae gubernatricem facit, et quanta ejus cum Venere sit similitudo. Quo circa non mirandum, ipsam quoque interdum Ἀφροδίτης nomine ab antiquis appellatam esse [44], quo si non proprium nomen, tamen vis ejus et potestas optime significatur.

§ 22.

Eidem huic numini a Parmenide varia tributa esse cognomina, refert Stobaeus, dicens, Deam in medio collocatam ἁπάσαις τοκέα πάσης κινήσεως καὶ γενέσεως ὑπάρχειν, ἥντινα καὶ δαίμονα καὶ κυβερνήτην καὶ κληροῦχον ἐπονομάζει, δίκην τε καὶ ἀνάγκην [45]. Horum priora ex ipsius Parmenidis versu deprompta

(43) Proclus in Tim. p. 155.

(44) Ut a Plutarcho, loco citato sub vs. 130, et memorato in Commentar. supra p. 120.

(45) Stobaeus Ecll. Phys. I, 23. p. 482 sq. cum quo loco comparetur idem Ecll. I, 5. p. 158: Παρμενίδης καὶ Δημόκριτος, οὗτοι πάντα κατ' ἀνάγκην· τὴν δ' αὐτὴν εἶναι εἱμαρμένην καὶ δίκην καὶ πρόνοιαν καὶ κοσμοποιόν. Eadem habent Plutarchus, Plac. Phil. I, 25; Galenus Hist. Phil. X. Hic ἀνάγκη praecipua appellatur; reliqua cum priore loco satis congruunt. Pro δίκην autem ibi Beckius et Heerenus scripserunt δίνην, quod conveniens sane Democrito (Vid. Diogen. Laërt. IX, 45), Parmenidi autem minus congruum.

sunt, ubi haec Daemon cuncta gubernare dicitur[46]; κληροῦχον autem probabiliter in κληδοῦχον mutandum, ut cognomen Δίκης, quae a Parmenide coeli portarum claves tenere dicitur[47]. Quod autem ad Justitiam et Necessitatem attinet, utramque a Parmenide interdum quasi Deos induci, penes quos supremum sit rerum moderamen, testantur ipsius versus[48]; num tamen varia haec cognomina ad idem numen retulerit, non apparet. Universe veterum in his rebus non tanta erat diligentia et subtilitas; multa poëtarum instar significabant obscurius, multa loquebantur secundum vulgarem opinionem, etsi ipsorum principiis et placitis interdum parum congruerent. Veluti Empedocles, Amicitiam et Discordiam movendi caussas statuens, multa tamen Fortunae et Necessitati reliquit. Idem in Anaxagora reprebenditur[49]. Quid mirum igitur, Parmenidem, etsi unum statuisset supremum naturae numen, interdum tamen easdem partes variis quasi personis mandasse, interdum etiam uni eidemque personae varia tribuisse munera? Sic, exempli gratia, Δίκην modo templi sapientiae custodem facit, modo certam et immutabilem rationis legem vocat[50]; quid mirum, si eandem interdum etiam naturae dominam appellaverit, aequâ lege cuncta moderantem? Praecipue

(46) Vid. vs. 127.

(47) Vid. vs. 14; emendatio est Fuelleborníi.

(48) Vid. Parmenidis versus mox citandi.

(49) De altero animadvertit Aristot. de Gener. et corr. II, 6, p. 404 sq. de altero Plato Phaedon. p. 98 BC. ad q. l. cf. Wyttenb. Annot. p. 258.

(50) Vid. vs. 14 et vs. 69.

vero *Ἀνάγκην* memorat, tanquam summam tam divinarum quam humanarum rerum arbitram, fatalibus vinculis omnia continentem [51]. Quo spectat Plato in Convivio, ubi Agathonem facit dicentem: *τὰ δὲ παλαιὰ πράγματα περὶ θεούς, ἃ Ἡσίοδος καὶ Παρμενίδης λέγουσιν, Ἀνάγκῃ καὶ οὐκ Ἔρωτι γεγονέναι· οὐ γὰρ ἂν ἐκτομαὶ οὐδὲ δεσμοὶ ἐγίγνοντο καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ βίαια, εἰ Ἔρως ἐν αὐτοῖς ἦν* [52]. Hic Parmenidem festive carpit, quod, similiter ut Hesiodus, in exponendis naturae principiis sibi non constet; quippe qui, cum Amorem naturae principem faciat, pleraque tamen Necessitate fieri dicat.

Itaque possit quidem *Ἀνάγκη* eadem videri quae *Δαίμων* illa gubernatrix, et ad id probandum afferri, quod ipsa Venus Necessitatis mater ab antiquis praedicata sit [53], attamen Parmenides hoc nusquam dixisse videtur. Plutarchus dicit, elementorum, lucis et noctis, naturam ab illo necessitatem appellatam [54]. Ex his satis apparet, ipsum horum numinum vim non clare definiisse, sed ea veterum more poëtice usurpasse; seriores autem, illa ad suae rationis normam interpretantes [55], varia haec et diversa nomina inter

(51) Vid. vs. 85 et vs. 137.

(52) Vid. Plat. Symp. p. 195 C.

(53) Vid. Orph. H. LV (54), 3. Cf. Creuzer Symbol. T. III, p. 522. ed. alt.

(54) Plutarch. de An. procr. e Timaeo, p. 1026 B (Vol. X. p. 253 R.): *ἣν εἱμαρμένην οἱ πολλοὶ καλοῦσιν, Ἐμπεδοκλῆς δὲ φιλίαν ὁμοῦ καὶ νεῖκος, . . . Παρμενίδης δὲ φῶς καὶ σκότος.* Est autem *εἱμαρμένη* eadem quae *ἀνάγκη*.

(55) Ita seriores Academici et Stoici necessitatem et fortunam eandem dicunt atque Deum. Cicero Acad. Qu. I, 7, alii.

se confudisse et ad unum supremum Numen retulisse; unde illud Stobaei placitum fluxit.

Illa autem Daemon, Amoris genitrix, praeter hunc alia quoque numina procreavit, ut intelligitur ex ipso Parmenide dicente, Amorem primum omnium Deorum esse editum; et e Simplicio, qui hunc versum memorans dicit, eandem quoque θεῶν αἰτίαν ab illo praedicari; idem colligi potest e Platonis et Menandri testimoniis, e quibus discimus Parmenidem Hesiodi exemplo deorum fabulas finxisse, eorumque personas ad rerum naturam accommodasse [56]: unde manifesto intelligitur, plura Deorum numina ab illo celebrata esse. Quinam ergo hi dii fuerunt? Cicero Parmenidis de divina natura sententiam memorans et perstringens, dicit, summum coeli orbem (στεφάνην) ab eo Deum appellatum, (de quo inferius), tum addit: »multa sunt ejusdem monstra, quippe qui Bellum, »qui Discordiam, qui Cupiditatem, caeteraque ge»neris ejusdem ad Deum revocat; – quae vel morbo »vel sommo vel oblivione vel vetustate delentur; – »eademque de sideribus." [57] Quibus verbis Cicero aperte significat, a Parmenide praeter alia etiam Cupiditatem ("Ερωτα?), Bellum (Νεῖκος?) Discordiam ("Εριν?) inter Deos relata. Quae legenti mirum videatur, placitum, quod tota prorsus antiquitas Empedocli tribuit, a Cicerone ad Parmenidem referri, eundemque in Empedoclis sententia memoranda

(56) Simplicii locum indicavimus supra, sub versu 131 (130); Platonis et Menandri, superius, p. 20, 21.

(57) Vid. Cicero, N. D. I, 11.

nullam de hoc facere mentionem. Unde mihi quidem suspicio nata est, aut Ciceronem lapsum esse, Empedoclis placitum cum Parmenideo confundentem, aut librarios ejus verba pervertisse, et quae illi essent tribuenda, huic adsignasse [58]. Quae conjectura tametsi mihi etiam nunc non absurda videatur, tamen diligentius consideranti visum est hoc placitum a Parmenidis sententia non abhorrere. Nam quid mirum, illum, quum videret mundum contrariis elementis oportere constare, etiam vidisse, contrarias requiri vires quibus universum regatur; atque ut Noctem Luci, sic Veneri et Amori Discordiam et Bellum opposuisse? In humana natura certe Dirae ab eo appellantur morborum et aegritudinum causae [59]. Itaque non improbabile mihi videtur, Parmenidem jam eadem illa numina sive naturae vires induxisse, quae deinceps ab Empedocle celebrata sunt, sed eo discrimine, quod ille confusius significavit, quae hic clarius exposuit; ille unum induxit supremum Numen, cui cetera omnia pareant; hic duo illa numina, Amicitiam et Discordiam, tanquam paria fere et aequalia sibi opposuit. Quocirca si

(58) Ex hac conjectura Ciceronis verba sic forent ordinanda; » Nam » Parmenides commentitium quiddam: . . appellat Deum; in quo neque » figuram divinam neque sensum quisquam suspicari potest. Empedocles » autem multa alia peccans, in deorum opinione turpissime labitur . . . . » et sensu omni carere. Multa ejusdem monstra, quippe qui Bellum, » qui Discordiam, qui Cupiditatem, cet."

(59) Vid. vs. 154 sq. et commentar. p. 128. Nolo afferre, quod etiam Parmenidis sectatores, Melissus et Zeno, τὸ νεῖκος καὶ τὴν φιλίαν inter naturae principia retulisse dicuntur apud Stobaeum, Ecll. Phys. p. 60; nam eo loco certe Empedoclis nomen obliteratum videtur.

utrumque contendamus, recte quidem dicere possumus cum Simplicio [60]: *ποιητικὸν δ' αἴτιον ἐκεῖνος (Παρμενίδης) μὲν ἓν κοινόν, τὴν ἐν μέσῳ πάντων ἱδρυμένην καὶ πάσης γενέσεως αἰτίαν δαίμονα τίθησιν· οὗτος δὲ (Ἐμπεδοκλῆς) καὶ ἐν τοῖς ποιητικοῖς αἰτίοις τὴν ἀντίθεσιν (τὸ νεῖκος καὶ τὴν Φιλίαν) ἐθεάσατο.* Praeter ista autem quae memoravimus, sidera quoque et coelestia corpora a Parmenide deorum nominibus appellata videntur; de his vero deinceps aptior erit dicendi locus. Hactenus de naturae viribus; de quibus unum adhuc monendum restat, totum hoc genus a Simplicio Neo-platonicorum vocabulo appellari *τὸ ψυχικὸν* sive *τὴν ψυχικὴν οὐσίαν*, quo illi daemones, sive naturae vires moventes et efficientes, significabant [61].

§ 23.

Cognitis naturae elementis viribusque quibus haec moveantur, jam facile erit intellectu, quomodo Parmenides rerum naturam generari mundumque effici censuerit. Daemon illa sive genitalis vis contraria elementa quasi connubio jungens, diversa illa rerum genera, lucidum opacum, calidum frigidum, densum rarum, miscuit inter se varieque temperavit [62]: qua mixtione et temperie tam universum mundum et

(60) Simplic. Phys. I, f. 8 A.

(61) Simplic. Phys. I, f. 31 A: *τῆς ψυχικῆς οὐσίας κατὰ τοὺς Ἐλεατικοὺς κίνησιν ἐχούσης.* Cujus dicti sensus fugit Cousinum, de Xenophan. in Nouv. Fragm. Phil., et Brandisium, Comment. El. p. 58 e et p. 169 m.

(62) Vid. vss. 128 sqq.

coelestium corporum ornatum, quam singula, quae in terris fiant, et olim exstitisse et perpetuo gigni ac sustentari censuit, ut e sequentibus apparebit.

Primum mundi descriptionem consideremus. Argumentum illustre et magnificum, cujus quanto major erat veterum in contemplando admiratio, tanto minor fere in observando diligentia fuit. Quippe universi ornatum et pulcritudinem admirati, ejus naturam partiumque ordinem non sensu assequi studuerunt, sed mente informarunt ad eam pulcri perfectique speciem quae in ipsorum animis insideret [63]; sic ut Aristoteles ait, non suo cogitata suasque notiones ad mundi naturam, sed hanc ad illa accommodantes [64]. Hujusmodi quoque fuit Parmenidea ratio.

Mundo formam tribuit globosam, ut perfectissimam judicio veterum [65] et sensibus consentaneam, eamque in plures divisit regiones varie temperatas [66]. Finxit

(63) Cf quae de astronomiae studio dicit Plato de Rep. p. 529 sq.

(64) Aristot. de Coelo, II, 13.

(65) Cf. commentarium, supra p. 109.

(66) Rem summatim enarrat Stobaeus, cujus verba non incommodum erit hic integra apponi; leguntur in Ecll. Phys. I, 23, 1. p. 482 sq. *Παρμενίδης στεφάνας εἶναι περιπεπλεγμένας ἐπαλλήλους, τὴν μὲν ἐκ τοῦ ἀραιοῦ, τὴν δὲ ἐκ τοῦ πυκνοῦ, μικτὰς δὲ ἄλλας ἐκ φωτὸς καὶ σκότους μεταξὺ τούτων· καὶ τὸ περιέχον δὲ πάσας τείχους δίκην στερεὸν ὑπάρχειν, ὑφ᾽ ᾧ πυρώδης στεφάνη· καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν περὶ ὃν πάλιν πυρώδης· τῶν δὲ συμμιγῶν τὴν μεσαιτάτην ἁπάσαις τοκέα* (vulg. *τε καὶ*) *πάσης κινήσεως καὶ γενέσεως ὑπάρχειν, ἥντινα καὶ δαίμονα καὶ κυβερνήτην καὶ κληρουχὸν* (potius *κληδοῦχον*) *ἐπονομάζει, δίκην τε καὶ ἀνάγκην. Καὶ τῆς μὲν γῆς τὴν ἀπόκρισιν εἶναι τὸν ἀέρα, διὰ τὴν βιαιοτέραν αὐτῆς ἐξατμισθέντα πίλησιν· τοῦ δὲ πυρὸς ἀναπνοὴν τὸν ἥλιον καὶ τὸν γαλαξίαν κύκλον· συμμιγῆ δ᾽ ἐξ ἀμφοῖν εἶναι τὴν*

στεφάνας, coronas, sive orbes alium supra alium positos; mundum amplexu suo cingentes: primum horum tenuissima materie et puro candore, alium huic oppositum densa materie sive nocte conflatum, inter utrumque medios orbes luce et nocte temperatos, cunctos mutua adhaesione connexos [67]. Itaque igneam materiam, ut levissimam, ad supera evolasse et extremam mundi oram obtinuisse censet; terrenam et crassam ad ima depressam circum mundi centrum desedisse; medium locum mixta materie compleri. Hac ratione mundum quasi in tres regiones distribuit, quarum prima est coelestis, *οὐρανὸς* et *ὄλυμπος* appel-

σελήνην, τοῦ τ' ἀέρος καὶ τοῦ πυρός. Περιστάντος δ' ἀνωτάτω πάντων τοῦ αἰθέρος, ὑπ' αὐτῷ τὸ πυρῶδες ὑποταγῆναι, τοῦθ' ὅπερ κεκλήκαμεν οὐρανόν· ὑφ' οὗ ἤδη τὰ περίγεια. Haec Stobaeus. Prima verba, *Παρμενίδης στεφάνας . . . . . στερεὸν ὑπάρχειν*, eadem leguntur apud Plutarchum, Plac. Phil. II, 7; Galenum Hist. Phil. c. XI; Eusebium Praep. Eu. XV, 38 (e Plutarch. Plac. Phil.) Totum autem locum, ut multa hujus generis, parum accurate excerptum esse, legenti statim appareat; quaedam etiam vitiata sunt, quae primum emendare aggressus est Davis. ad Ciceron. N. D. I, 11; Hic praeclare pro *τε καὶ* emendavit *τοκέα*, et verba proxime praecedentia, *τὸ μεσαίτατον πασῶν περὶ ὃν πάλιν πυρώδης*, conjecit sic legenda: *καὶ τὴν μεσαιτάτην πασῶν πάλιν πυρώδη*. parum recte, quamvis probante Heereno ad Stobaeum, qui etiam incuriâ *μεσαιτ. ἀραιῶν* vertit *mediam inter densas* sive *caliginosas*, quum contra *raras* sive *lucidas* notet. Sed de hoc loco inferius n. 76. Quae ad Daemonis cognomina pertinent, tractavimus supra § 22, n. 45. Denuo locum hunc emendare et explicare instituit Boeckhius, in Annal. lit. Heidelberg. a. 1808, Fasc. I, p. 116-118; ut cognovi ex ipsius Comment. Acad. altera, de Platon. Syst. Coel. (Heidelb. 1810), et e Creuzeri annot. ad Cicer. N. D. p. 50. Liber dudum exspectanti nondum mihi venit in manus. Tantum ex allatis locis cognovi, clariss. virum quaedam recte explicuisse, in quibusdam tamen errasse. Singula deinceps, ut poterimus, ordine explicare aggrediemur.

(67) Cf. Stobaei verba modo citata: *Παρμ. στεφάνας* usque ad *μεταξὺ τουτων*. Parmenid. vs. 125 sqq. et commentar. p. 117 sq. — *στεφάνη*

latus Parmenidi; altera aetheria, αἰθήρ; tertia terrena, τὰ περίγεια complectens [68]. Harum singulas pluribus etiam coronis sive orbibus distinxit, quarum tamen naturam et ordinem plane explicare non possumus vel ob testimoniorum penuriam vel quod ipse Parmenides, ut mihi videtur, haec non tam subtili quam poëtica ratione enarraverit, et universi specie adumbrata, singularum partium descriptionem lectori paene divinandam reliquerit. Jam vero videamus.

Primum extremam mundi oram cingi dixit corona, quae muri instar fixa et solida reliquas omnes contineret [69]. Haec corona, quae respondet τῇ ἐκ τοῦ

idem quod στέφανος, Ionum dialecto; vid. Herodot. VIII, 118 et VIII, 26. Similiter promiscue usurpantur δίνη et δῖνος (Wyttenb. ad Platon. Phaedon. p. 261); σφαῖρα et σφαῖρος (vid. commentar. in Parmen. supra p. 109), alia. Cf. Creuzer. ad Ciceron. N. D. I, 11. p. 50.

(68) Vid. ultima Stobaei verba: περιστάντος δὲ ἀνωτάτω usque τὰ περίγεια. Stobaeus autem vocabula αἰθέρα et οὐρανόν ex suae aetatis usu ad Parmenidem accommodavit, ut ipse hic indicat verbo κεκλήκαμεν, quamquam alibi (p. 518) ipsum Parmenidem ita vocasse dicit. Nos ea permutavimus convenienter ipsius Parmenidis vss. 132 et 136, ut jam in commentario p. 121 monuimus. Ipse adeo Stobaeus alio loco id testatur, Ecll. Phys. I, 24, pr. p. 500: Ἀναξιμένης καὶ Παρμενίδης τὴν περιφορὰν τὴν ἐξωτάτω τῆς γῆς εἶναι τὸν οὐρανόν, h. e. *summum orbem, a terra maxime remotum, coelum esse.* Quamquam Plutarchus et Galenus, idem placitum memorantes, Parmenidis nomen omittunt.

(69) Stobaeus: καὶ τὸ περιέχον δὲ πάσας τεῖχους δίκην στερεὸν ὑπάρχειν. Vocabulum στερεὸν decepit Brandisium, opinatum videlicet, orbem hunc, qui cingat coelum, terrena esse materie. At licet στερεὸν proprie densum significet, et praecipue de terra dicatur, ut dicit Plato in Timaeo, p. 31 B: στερεὸν δὲ οὐκ ἄνευ γῆς, — tamen saepe etiam universe fixum vel solidum notat: sic in Aristotelico libro de Mundo, c. 2. p. 465 B, de polis usurpatur: δύο ἀκίνητα ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ σημεῖα καταντικρὺ ἀλλήλων . . . στερεὰ μένοντα καὶ συνέχοντα τὴν σφαῖραν, περὶ ὃ ὁ πᾶς κόσμος κινεῖται. Itaque hoc loco orbem

ἀραιοῦ sive lucidae, quam Stobaeus primam memorat, procul dubio eadem est quam Cicero significat, dicens: » Parmenides commentitium quiddam » coronae simile efficit, στεφάνην appellat, continente » ardore lucis orbem qui cingit coelum; quem ap» pellat Deum" [70]. Orbis hic cingens coelum quid aliud est quam corona illa, caeteras omnes ambitu suo includens. Ergo Parmenides mundum ardente lucis corona tanquam muro (τείχους δίκην) sepsit; similiter paene ut post eum Plato, antiquiores secutus, mundo circumdedit φῶς ξύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ πᾶσαν ξυνέχον τὴν περιφοράν [71]. Τείχους autem similitudo probabiliter ab ipso Parmenide profecta, qua usus sit poëtice, sicut *flammantia moenia mundi* dicit Lucretius, Graecum aliquem poëtam fortasse imitatus [72].

stabilem et solidum significat, sive ut Cicero dicit, *orbem continente* (i. e. non interrupto) *ardore lucis*: hanc enim lectionem cum Davisio et Boeckhio praefero vulgatae, *continentem ardore l.*

(70) Cicero de Nat. Deor. I, 11; cujus loci sensus plerosque interpretes, Davisium, Creuzerum, Heerenum, alios, fefellit, putantes quippe, στεφάνην hanc eandem esse quam Stobaeus l. l. δαίμονα appellat. At haec in medio coelo ponitur a Stobaeo, illa coelum cingere dicitur a Cicerone. Discrimen hoc non fugit Brandisium, (p. 162, n. *k*.); sed Ciceronem ambas illas coronas permiscuisse putabat, credens nimirum, solam hanc, quae medium obtinet, Deum esse. Unde vero compertum habuit, non supremam quoque coronam Deum a Parmenide vocatam esse? Contrarium potius ex ipsis his Ciceronis verbis colligi potest. Porro Brandis lucidum illum orbem, qui a Cicerone cingere coelum, i. e. supremum locum tenere dicitur, ipse collocat sub eo, qui muri instar reliquos continere a Stobaeo dicitur: error inde natus, quod Br. extimum hunc orbem non luce sed terrâ conflatum opinabatur. Verum vidit Boeckhius, in Comment. de Plat. Syst. pag. extr. cum quo, in hoc quidem, mea interpretatio concinit.

(71) Plato de Rep. X, p. 616.

(72) Lucretius Lib. I, vs. 76.

Hac autem corona quid intellexit? Mihi orbe illo lucido et fixo nihil aliud intelligendum videtur quam stellarum fixarum orbis, quem vulgo ἀπλανῆ, inerrabilem appellant, ingens lucis globus, cujus nobis non nisi scintillae appareant, tenebrarum caligine offusae; ut idem sit ille quem Parmenides in versibus modo ὄλυμπον ἔσχατον, modo οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα appellat [73]. Congruit huic interpretationi, quod Stobaeus sub hoc orbe ponit τὴν πυρώδη στεφάνην, quo aetherium orbem designat, ut mox videbimus. Illum autem orbem Deum facit, ut dicit Cicero, ac similiter sidera; neque sane a Parmenidis ratione alienum est, eum veteriorum exemplo coelestibus globis divina tribuisse nomina [74], sicut Οὐρανὸς et Γαῖα jam antiquitus Dii appellati. Ciceroni hoc ridiculum videtur, non reputanti videlicet, Parmenidem in naturae descriptione non magis philosophum agere quam poëtam. Reminiscamur vero quae ipse Cicero in somnio Scipionis Africanum facit loquentem [75]: »Nonne »adspicis, inquit, quae in templa veneris (mundum »significat)? novem tibi orbibus vel potius globis con»nexa sunt omnia: quorum unus est coelestis (οὐρα»νός) extimus, qui reliquos omnes complectitur, »summus ipse Deus, arcens et continens ceteros »(item Deos); in quo infixi sunt illi qui vol»vuntur stellarum cursus sempiterni." Quae profecto Parmenideis haud dissimilia sunt.

(73) Vid. Parmen vss. 136, 140,

(74) Cf. supra ad n. 25.

(75) Cicero de Rep. VI, 17. ed. Mai.

§ 24.

Sub illa autem suprema corona Stobaeus deinceps collocat τὴν πυρώδη [76], — eandem quam Parmenides *αἰθέρα* appellat, — globeum igneum, non tamen puro

(76) Stobaeus: ὑφ' ᾧ (op. τῷ πάσας περιέχοντι) πυρώδης στεφάνη. Creuzerus ad Cicer. l. l. conjecit ἐφ' ᾧ, ratus, opinor, igneae huic coronae superiorem potius quam inferiorem convenire locum. Sed refutant hanc conjecturam ipsa Stobaei verba, quae modo jam attulimus: περιστάντος δὲ ἀνωτάτω πάντων τοῦ αἰθέρος, ὑπ' αὐτῷ τὸ πυρῶδες ὑποταγῆναι, τοῦθ' ὅπερ κεκλήκαμεν οὐρανόν. quae cum his plane congruunt. Unde etiam liquet, τὸ πυρῶδες sive τὴν πυρώδη στεφάνην a Stobaeo appellari coelum, quem eundem aethera dicit Parmenides (ut modo ostendi n. 68), in quo sidera volvuntur (cf. idem cit. n. 82.). Ergo τὸ πυρῶδες non de puro ardore seu luce intelligendum, sed eodem sensu interpretandum, quo solem quoque et lunam Stobaeus πύρινα appellat et πυρὸς exhalatione concreta dicit; tametsi aperte docet, illa utrâque noctis et lucis materie conflata esse. Vid. infra n. 79, 80. Universe in his Stobaei ἀκρίβεια non valde laudanda est.

Quae autem his continenter subjunguntur verba, καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν περὶ ὧν (alii codd. περὶ ὃν) πάλιν πυρώδης, manifesto corrupta sunt; nec Davisii conjectura, καὶ τὴν μεσαιτάτην πασῶν ἀραιῶν πάλιν πυρώδη, quidquam juvat; quid enim hoc sibi velit: *mediam inter omnes raras sive lucidas igneam coronam esse*? immo repugnat istud ipsius Stobaei testimonio, qui unam modo ἐκ τοῦ ἀραιοῦ, *puro candore coronam*, memorat; quae est suprema, mundum cingens, ut modo vidimus. Ut sensum assequamur, Stobaei verba attento animo relegamus: primo coronas universe enumerat tres genere: unam ἐξ ἀραιοῦ, alteram ἐκ πυκνοῦ, medias inter has μικτάς; tum singulas breviter notat: primum τὸ περιέχον πάσας, quae est suprema omnium et respondet τῇ ἐξ ἀραιοῦ; deinde τὸ μεσαίτατον πασῶν, quod nihil aliud potest esse quam centrum; tum τὰς συμμιγεῖς, quae eaedem sunt atque μικταί, quarum unam, quae Daemonis locum obtinet, accuratius describit, inde ad terrae siderumque naturam transit. His, ut opinor, consentaneum est, τὸ μεσαίτατον πασῶν respondere τῇ ἐκ πυκνοῦ στεφάνῃ, quae τῇ ἐξ ἀραιοῦ opposita est. Itaque non dubito, quin Stobaei verba sic scribenda sint: καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν . . . . περὶ ᾧ πάλιν

candore, in plures coronas divisum, eas quas supra a Stobaeo mixtas appellatas vidimus, quarum aliae sunt puriore, aliae crassiorė materie temperatae. Significantur his siderum et planetarum ordines ex opinione veterum astronomorum, putantium, globos illos qui in coelo volvuntur, vario splendore, variis intervallis mundum ambientes, non suopte pondere suspensos ferri, sed quasi illigatos esse orbibus gradatim sibi invicem superlatis mutuaque adhaesione connexis [77]. Hos orbes coronarum nomine designat Parmenides: quorum singulorum naturam et ordinem explicare difficile est; incertum adeo, an ipse haec accuratius persecutus sit. Praecipuum autem inter hos locum dedit Orbi lacteo, quem ut candore sic loco et dignitate reliquis anteposuisse videtur. Concretum hunc esse dixit lucis sive ignis exhalatione, admistâ crassiore materie; quo effici lacteum illum colorem quem adspicimus [78]. Eâdem ignis exhalatione, vel potius ex ipso orbe lacteo, ut tradunt, excretos esse Solem et Lunam, illum puriore et

πυρώδης, quae lectio cum libris plane congruit. Exciderit autem κέντρου τάξιν ἔχειν, aut simile quid, quod in infimum hunc sive terrenum orbem conveniat. ἡ πυρώδης autem, quae medium inter terram et coelum occupat locum, mixtas coronas s. siderum orbes comprehendit, eaque, ut τῷ περιέχοντι sive οὐρανῷ subjecta, sic τῷ μεσαιτάτῳ sive τοῖς περιγείοις superposita est. Hoc modo omnia satis plana esse confido.

(77) Vid. Apulejus de Mundo, p. 58. ed. Elmenh.

(78) Stobaeus l. l. supra n. 66: τοῦ δὲ πυρὸς ἀναπνοὴν τὸν ἥλιον καὶ τὸν γαλαξίαν κύκλον. Alibi autem distinctius, p. 574: Παρμενίδης τὸ τοῦ πυκνοῦ καὶ τὸ ἀραιοῦ μίγμα γαλακτοειδὲς ἀποτελέσαι χρῶμα. (Cf. Plutarchus, Plac. phil. III, 1. Galen. c. XVII.) Cum quibus congruunt quae mox de sole et luna ex eodem afferam. Cf. Parmenides, vs. 140.

calidiore, hunc frigidiore et crassiore natura [79]; et lunam quidem aequalibus partibus e calido et frigido conflatam, quo faciem lunae effici; soli magnitudine aequalem ejusque luce collustratam [80]. Simili fortasse origine ac naturâ reliqua sidera exstitisse voluit; de quibus nihil memoratur, nisi globos igneos esse et terrena exhalatione ali [81]: hoc est, utrâque lucis et noctis

(79) Stobaeus, p. 532: *Παρμενίδης τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην ἐκ τοῦ γαλαξίου κύκλου ἀποκριθῆναι, τὸν μὲν ἀπὸ τοῦ ἀραιοτέρου μίγματος, ὃ δὴ θερμόν, τὸν δὲ ἀπὸ τοῦ πυκνοτέρου, ὅπερ ψυχρόν.* E quo simul patet, galaxiam utrique dignitate anteponendum esse. Idem p. 524, de sole: *Παρμενίδης καὶ Μητρόδωρος πύρινον ὑπάρχειν τὸν ἥλιον*, eodem sensu quo paullo ante (n. 78) *πυρὸς ἀναπνοὴν τὸν ἥλιον* dixerat; minus accurate.

(80) Stobaeus l. l. (supra n. 66.) *συμμιγῆ δ' ἐξ ἀμφοῖν εἶναι τὴν σελήνην, τοῦ τ' ἀέρος καὶ τοῦ πυρός.* Ibid. p. 564: *Παρμ. φησι διὰ τὸ παραμεμίχθαι τῷ περὶ αὐτὴν πυρώδει τὸ ζοφῶδες (εἶναι τὴν ἔμφασιν, lunae faciem), ὅθεν ψευδοφανῆ τὸν ἀστέρα καλεῖ.* Postrema haec verba mox tangemus, § 25, p. 255 sq.

De lunae magnitudine idem p. 550: *Παρμενίδης πυρίνην, ἴσην δὲ τῷ ἡλίῳ, καὶ γὰρ ἀπ' αὐτοῦ φωτίζεται*, melius *φωτίζεσθαι*, ut legitur in Plutarch. plac. II, 26, qui etiam omittit *γάρ*. Similiter Galenus XV, p. 38, et e Plutarcho Eusebius XV, 27. Qua ratione ex eo, quod luna solis luce illustretur, Parmenides collegerit eam soli aequalem esse, fateor cum Heereno me non assequi. Itaque cum Plutarcho istud *γὰρ* melius omittamus, ut censuit quoque Brandisius. Nisi fortasse, quod paene credo, Parmenides lunam soli *ἴσην* dixerit alio quodam sensu, velut, aequalem et oppositum soli tenere cursum.

(81) Stobaeus p. 510: *Παρμενίδης καὶ Ἡράκλειτος πιλήματα πυρὸς τὰ ἄστρα, τρέφεσθαι δὲ τοὺς ἀστέρας ἐκ τῆς γῆς ἀναθυμιάσεως.* — *ἄστρα* et *ἀστέρες* hic nullo discrimine posita sunt, ut saepius Similiter fere paullo ante de Anaximandro refert: *Ἀναξίμανδρος πιλήματα ἀέρος, τροχοειδῆ, πυρὸς ἔμπλεα.* Nescio an *πιλήμα* fortasse effectum sit e *στεφάνη*; certe *στεφάνη* proprie vocatur *εἶδος περικεφαλαίας*, et *πίλημα*, teste Hesychio, est *ζώνη, μίτρα.* — Sidera terrenis vaporibus ali, vetus est et pervagata opinio: vid. Xenophanis rell. p. 163.

sive terrae et ignis materie constare. Inter sidera autem praecipuum locum dedit Hespero, quem princeps, ut Phavorinus retulit, eundem vidit esse ac Luciferum; et huic astro candore insigni insignem assignavit sedem, supra solem in purissimo coelo collocans [82]. Lunam autem, quantum ex iis, quae de ejus natura dixit, colligi potest, terrae proximam et terrenae atque aetheriae plagae conterminam statuisse videtur.

Infimum denique locum obtinet terrena plaga, coelesti ex adverso opposita: quippe nocte sive densâ materie inferiora petente, in ima parte desedisse ipsam terram; hujus compressione excretos esse vapores terram circumdantes, aquam et aërem, rari et densi temperie conflatos [83]. Terram autem docuit

(82) Diogen. Laërt. Parm. IX, 23: *καὶ δοκεῖ πρῶτος πεφωρακέναι, τὸν αὐτὸν εἶναι Ἕσπερον καὶ Φώςφορον, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν πεμπτῷ τῶν ἀπομνημονευμάτων· οἱ δὲ Πυθαγόραν.* Eadem dicit Suidas v. *Ἕσπερος.* Eadem de aliis placitis est discrepantia. cf. paullo inferius § 25, n. 97. De hujus ceterorumque siderum ordine Stobaeus Ecll. Phys. I, 25. p. 516, 518: *Παρμενίδης πρῶτον μὲν τάττει τὸν Ἑῷον, τὸν αὐτὸν δὲ νομιζόμενον ὑπ' αὐτοῦ καὶ Ἕσπερον, ἐν τῷ αἰθέρι· μεθ' ὃν τὸν Ἥλιον, ὑφ' ᾧ τοὺς ἐν τῷ πυρώδει ἀστέρας, ὅπερ οὐρανὸν καλεῖ.* Etiam hic Stobaeus nomina *αἰθήρ* et *οὐρανός* usurpat magis suâ vel Peripateticorum ratione, quam Parmenidis; vid. supra n. 68. Tantum vero ex his apparet, Luciferum ordine Soli anteponi, sicut et aliis placuit. Cf. Ideler, über das Verhältniss des Copernicus z. Alterth. in Museo Antiq. II. p. 447; Ast, commentar. in Platon. Remp. p. 630. An eundem quoque Galaxiâ superiorem fecerit, non apparet, nec tamen probabile est.

(83) Plutarch. Stromat. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8. p. 23 D: *λέγει δὲ τὴν γῆν, τοῦ πυκνοῦ καταῤῥυέντος ἀέρος, γεγονέναι.* — *τοῦ πυκνοῦ ἀέρος,* i. e. *τῆς νυκτός.* Porro Stobaeus supra n. 66: *καὶ τῆς μὲν γῆς τὴν ἀπόκρισιν εἶναι τὸν ἀέρα, διὰ τὴν βιαιοτέραν αὐτῆς ἐξατμισθέντα πίλησιν.* Aristot. Gener. et Corrupt. II, 3: *οἱ δ' εὐθὺς δύο ποιοῦντες, ὥσπερ Παρμ. πῦρ καὶ γῆν, τὰ μεταξὺ μίγματα ποιοῦσι τούτων, οἷον ἀέρα καὶ ὕδωρ.*

rotundam esse, et aequalibus undique a mundi ora intervallis distantem, in centro consistere; eamque tremiscere quidem interdum, haud tamen moveri [84], sed circum hanc tanquam centrum coelestes orbes circumferri. Convenienter huic opinioni terram quoque primus, teste Posidonio, in quinque zonas distribuit; quarum mediam (torridam) nimis latam fecit, ita ut circulorum tropicorum intervallum excedat; ambas autem temperatas habitabiles dixit [85].

Ita autem mundo ordinato, quaeratur, quae sedes adsignanda sit Deae illi naturae moderatrici, quam in medio coelo habitare finxit Parmenides. Plerique ita intellexerunt, eam in medio sive centro universi collocatam esse. Sic Simplicius de Parmenide loquens dicit [86]: *καὶ ποιητικὸν αἴτιον ἐκεῖνος μὲν ἓν κοινόν, τὴν ἐν*

(84) Diogenes Laërt. IX, 21: *πρῶτος τὴν γῆν ἀπέφηνε σφαιροειδῆ καὶ ἐν μέσῳ κεῖσθαι.* quod placitum, et reliqua quae sequuntur, haud dubie e Theophrasto petitum est, quem paullo post auctorem nominat: *καθὰ μέμνηται καὶ Θεόφραστος ἐν τοῖς φυσικοῖς.* Cf. paullo inferius n. 95. Reliqua, fortasse ex eodem fonte ducta, referunt Plutarchus Plac. III, 16: *Παρμενίδης, Δημόκριτος, διὰ τὸ πανταχόθεν ἴσον ἀφεστῶσαν μένειν ἐπὶ τῆς ἰσοῤῥοπίας, οὐκ ἔχουσαν αἰτίαν, δι' ἣν δεῦρο μᾶλλον ἢ ἐκεῖσε ῥέψειεν ἄν· διὰ τοῦτο μόνον μὲν κραδαίνεσθαι, μὴ κινεῖσθαι δέ.* et Galenus, l. l. XXI. Terrae motus spectari, quisque intelligit.

(85) Posidonius ap. Strabon. II, p. 150 C: *φησὶ δὲ δὴ ὁ Ποσειδώνιος, τῆς εἰς πέντε ζωνὰς διαιρέσεως ἀρχηγὸν γενέσθαι Παρμενίδην· ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν σχεδόν τι διπλασίαν ἀποφαίνειν τὸ πλάτος τὴν διακεκαυμένην τῆς μεταξὺ τῶν τροπικῶν.* Cf. Posidon. rell. p 91 sq. ed. Bake. Cum eo concinit Achilles Tat. Isag. in Arati Phaenom. c. 31, p. 90. ed. Petav. *πρῶτος δὲ Παρμενίδης περὶ τῶν ζωνῶν ἐκίνησε λόγον.* Plutarchus autem, Plac. phil. III, 14, inventum illud Pythagorae tribuens, de Parmenide dicit: *Παρμ. πρῶτος ἀφώρισε τῆς γῆς τοὺς οἰκουμένους τόπους ὑπὸ ταῖς δυσὶ ζωναῖς ταῖς τροπικαῖς.* Cf. inferius n. 98.

(86) Simplic. Phys. I, f. 8 A.

μέσῳ πάντων ἱδρυμένην καὶ πάσης γενέσεως αἰτίαν δαίμονα τίθησιν. Qua in re quidam censent illum Pythagoreos secutum esse, qui in medio universi igneam naturam ponebant, vi suâ omnia animantem, circum quam et terra et sidera se moveant. Ita interpretatur scriptor Theologumenôn: (οἱ Πυθαγορεῖοι) φασί, περὶ τὸ μέσον τῶν τεσσάρων στοιχείων κεῖσθαί τινα ἐναδικὸν διάπυρον κύβον... ἐοίκασι δὲ κατά γε ταῦτα κατηκολουθηκέναι τοῖς Πυθαγορείοις οἵ τε περὶ Ἐμπεδοκλέα καὶ Παρμενίδην καὶ σχεδὸν οἱ πλεῖστοι τῶν πάλαι σόφων, φάμενοι τὴν μοναδικὴν φύσιν Ἑστίας τρόπον ἐν μέσῳ ἱδρύσθαι, καὶ διὰ τὸ ἰσόῤῥοπον φυλάσσειν τὴν αὐτὴν ἕδραν [87]. Hic summum numen in medio mundo collocatum aequilibrio constare dicit, prorsus ut de terra dixisse Parmenidem vidimus [88]. Ergo si haec ratio probetur, terra de sede sua detrudenda est, quo totus Parmenidis mundus corruat necesse est. Nisi putemus a scriptore illo ipsam intelligi Terram, tanquam divam genitricem, circum quam omnes coelestes globi volvantur; similiter fere ut Euripides, ab eodem citatus, de Tellure canit:

(87) Vid. Theologumena Arithm. p. 7 ed. Ast.

(88) Eundem fere in modum, Parmenidis mundum finxit Boeckhius Commentar. de Platon. Syst. coel. extr. » Pythagoreorum placita, inquit, » etiam Parmenides in ea parte carminis, ubi res, quae sensibus percipiuntur, haud ex scientia, sed ex opinionibus non tam suis quam aliorum » explicat, ita secutus est, ut Vestae loco in medio poneret Numen, » Δαίμονα ἣ πάντα κυβερνᾷ, quam κληδοῦχον, δίκην, ἀνάγκην appellat, » deinde terrena loca, tum coelum, et summum aethera sive ignem » omnia circumdantem et includentem, quem nomine Stephanes appellatum haud veritus est Deum nuncupare."

Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σόφοι
βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι [89].

At illa Daemon, quae diversa elementa, terram et ignem, miscuit et consociavit, ipsa profecto nec terra nec ignis haberi potest. Atque huic opinioni repugnat testimonium Stobaei, qui Parmenidis mundum describens docet, Numen illud ab eo fingi tanquam coronam, mediam inter mixtas collocatam; τῶν συμμιγῶν τὴν μεσαιτάτην [90]. Quae sedes optime sane convenit Daemoni illi, quae ut contraria elementa inter se conciliat, sic medium quoque inter ea locum obtinere debet. Praeterea hac in re Stobaei auctoritas reliquis anteponenda videtur. Stobaeus enim Parmenideam mundi descriptionem omnem ordine exponit; Simplicius rem non nisi strictim attingit; scriptori autem Theologumenôn, Pythagorico homini, ad Pythagoream disciplinam omnia accommodanti, in interpretando non multum fidei potest haberi. Teneamus ergo, habitare hanc Deam mediam inter globos coelestes, paribus intervallis a mundi centro et circuitu distantem, unde ipsa globus ceteros globos, quos item Deos finxisse videtur, suo numine conciliat et moderatur (*).

(89) Cf. Macrob. Saturn. I, 23.

(90) Vid. supra n. 66.

(*) Ex hoc vel simili veterum commento fluxit fortasse, ut multa alia, haec Platonicorum opinio, inde a Platone (Epinom. 9. p. 984.) repetita, quam Apulejus de Deo Socrat. II, p. 133 Oudend. his verbis memorat: » Sunt quaedam divinae mediae potestates (daemones), inter summum » aethera et infimas terras in isto intersitae aëris spatio, per quas » desideria nostra et merita ad Deos commeant." Cf. Ast. Animadv. p. 602.

§ 25.

Jam ex iis, quae hactenus de Parmenidis mundo disseruimus, apparet talem fere ab eo fingi coronarum sive coelestium globorum ordinem: extremam mundi oram ambit corona solido lucis ardore, arcens ceteras, **Olympus** sive **Uranus** appellatus; huic proximus est **Galaxias**, sive orbis lacteus; deinde sequitur **Eous** idemque **Hesperus**; tum **Solaris** circus; post hunc reliqui fortasse **planetae**; quos infra **Luna** terrenae regioni proxima; postremo **Terra** centrum obtinens et Olympo e contrario opposita; intermedia omnium **Dea naturae gubernatrix**. Quae mundi descriptio e veterum testimoniis ducta cum ipsius Parmenidis versibus videtur congruere [91].

Caeterum in his describendis Parmenides cum Ionicos philosophos auctores habuit, tum Pythagoreos, nisi potius hi illum; quod decernere non ausim: certe concinit maxime cum Pythagoreis, qui simili figura mundum descripserunt: quam descriptionem ab antiquioribus fortasse inchoatam [92] accuratius exposuit et literis consignavit Philolaus. Hic mundum similiter dividit in tres plagas, quarum supremam item Ὄλυμπον appellat, purissimo candore; subter hanc, eam in qua solis, lunae, et planetarum circuli

(91) Vid. Parmen. vss. 139 sqq.

(92) Sic Anaximandro placuit, τοὺς ἀστέρας (s. πλανήτας) ὑπὸ τῶν κύκλων καὶ τῶν σφαιρῶν, ἐφ' ὧν ἕκαστος βέβηκε, φέρεσθαι. Vid. Plutarch. plac. II, 16; Stobaeus Ecll. Phys. I, 25. p. 516.

feruntur, quem *κόσμον* vocat; infimam sublunarem regionem et terrenam, quam *οὐρανοῦ* nomine designat [93]. Haec, quamquam a Philolao accuratius descripta, formâ tamen cum Parmenideis congruunt. In eo autem Parmenides a plerisque Pythagoreis dissentit, quod hi coelestes globos ipsamque terram circum mundi centrum ferri dicebant, in quo statuebant globum igneum, Vestam et Deorum Matrem ab ipsis appellatam [94]; ille autem in medio terram collocat aequalibus ponderibus libratam, in hoc cum Ionicis consentiens.

Hac autem placitorum similitudine facile factum est, ut de nonnullis ambigatur, utrum Parmenidis propria, an cum aliis ei communia fuerint. Veluti terram esse globosam, alii Parmenidem primum docuisse tradunt, alii Pythagoram [95]. At Pythagorae multa sunt tributa, quae seriores demum Pythagorei docuerunt; et quum Parmenides a nonnullis Pythagoreus habitus sit, facile fieri potuit, ut hujus in-

(93) In his Stobaeum (Ecll. I, 23) sequor, etsi invitus. Mihi enim non dubium est, quin ex antiquorum mente vocabula *οὐρανὸς* et *κόσμος* transponenda sint, ut ille appelletur orbis sidereus, hic sublunaris. Stobaeus autem ipse sibi obloquitur, quum *οὐρανὸν* modo supremum coeli orbem, modo sublunarem regionem vocet. Cf. Boeckh. Philol. p. 94 sqq.

(94) Vid. Aristot. de Coelo, II, 13. p. 363. cf. Boeckh. de Platon. Syst. Coel. p. 14 sq.

(95) Diogenes Laërt. VIII, s. 48, de Pythagora loquens: *τοῦτον ὁ Φαβωρῖνός φησι . . . τὸν οὐρανὸν πρῶτον ὀνομάσαι κόσμον, καὶ τὴν γῆν στρογγύλην· ὡς δὲ Θεόφραστος, Παρμενίδην· ὡς δὲ Ζήνων, Ἡσίοδον.* Non ausim hoc Theophrasti testimonium etiam ad *κόσμον* referres (ut facit J. H. Voss. in dissert. de figura terrae, Krit. Blätter u. Geogr. Abhandl. p. 148), quamquam cum Parmenideâ mundi descriptione bene congruat. Cf. idem VIII, s. 26.

venta illius disciplinae parenti attributa sint. Idem vero jam suspicatum esse Anaximandrum, nonnulli putant; censuit certe terram in medio collocatam esse et aequilibrio contineri [96]; si autem aequilibrio contineatur, quomodo potest esse non globosa? Licet hoc Anaximander nondum intellexerit, tamen haud improbabile est, opinionem istam jam Parmenidis aetate exstitisse, ab illo autem planius explicitam et versibus memoriae proditam esse: ut non immerito ejus auctor possit haberi. Similiter ambigitur de placito isto, Hesperum eundem esse ac Luciferum: quod Phavorinus quidem Parmenidi, plures et graviores testes Pythagorae tribuunt auctori [97]; item uter eorum princeps terram zonis descripserit, quod doctiores Parmenidi asserunt [98]. Lunam, ut lumen a sole mutuantem, ψευδοφαῆ vocatam esse a Parmenide, legimus apud

(96) Aristoteles de Coelo, II, 13. p. 365 F: εἰσὶ δέ τινες οἳ διὰ τὴν ὁμοιότητά φασιν αὐτὴν (τὴν γῆν) μένειν, ὥσπερ τῶν ἀρχαίων Ἀναξίμανδρος· μᾶλλον γὰρ οὐθὲν ἄνω ἢ κάτω ἢ εἰς τὰ πλάγια φέρεσθαι προσήκει (f. προσήκειν) τὸ ἐπὶ τοῦ μέσου ἱδρυμένον καὶ ὁμοίως πρὸς τὰ ἔσχατα ἔχον· . . . ὥστε ἐξ ἀνάγκης μένειν. Anaximandrum tamen non globosam finxisse terram, docuit J. H. Voss. l. l. p. 135—141.

(97) Diogenes Laërt. Pythag. VIII, 14: Πρῶτόν τε (φασὶ Πυθαγόραν) Ἕσπερον καὶ Φώσφορον τὸν αὐτὸν εἰπεῖν, ὥς φησι Παρμενίδης. corrig. οἱ δέ φασι Παρμενίδην. nisi fortasse inserto auctoris nomine scribi oporteat: ὡς δέ φησι Φαβωρῖνος, Παρμενίδην. Cf. superius n. 82. Pythagorae etiam vindicat Plinius II, 8, qui ipsum hujus inventi annum notat: » Quam naturam ejus sideris Pythagoras Samius primus deprehendit, Olymp. circiter XLII, qui fuit urbis Romae Annus CXLII." Quod tempus Parmenidis aetatem antecedit.

(98) Vid. supra n. 85. A Pythagora coelum in quinque zonas divisum esse refert Stobaeus Ecll. I, 24. (p. 502); coelum pariter et terram, Plutarchus Plac. III, 14; Galenus autem c. XXI, Pythagoreos universe auctores nominat.

Stobaeum; Diogenes idem de Anaximandro refert [99]; plerique vero Anaxagorae, qui utroque posterior fuit, hoc decretum vindicant [100]. Probabile, antiquum illud fuisse et tam Italicae quam Ionicae disciplinae aemulis notum, sed ab Anaxagora demum, physicorum principe, ratione demonstratum ejusque auctoritate a plerisque receptum fuisse. Plura possent conferri, quae Parmenides cum Anaximandro aliisque communia habuisse traditur; sed ea levioris sunt momenti: tantum inde universe colligi potest, Parmenidis de rerum natura opiniones et placita tam cum Ionicorum veterum quam Pythagoreorum placitis cohaerere.

Ex haec quidem de mundi origine et natura. Praeterea Parmenidem in carmine egisse de coeli conversione, de siderum origine, motu, et vi in rerum naturam, de rebus in coelo apparentibus, testantur ipsius versus, in quibus istorum facit mentionem [101]; ceterum de his nihil relatum invenimus, praeterquam hoc unum, mundum aliquando interiturum, ut refert φιλοσοφουμένων scriptor : ὁ Παρμενίδης τὸν κόσμον ἔφη φθείρεσθαι, ᾧ δὲ τρόπῳ, οὐκ εἶπεν [102]. At licet non dixerit, quomodo id fiat, re ipsâ tamen intelligitur, mundum, disruptâ illâ temperie qua rerum natura contineatur, collapsurum aliquando et in eadem, e quibus compositus sit, initia reversurum. Hactenus de universi natura, pergamus ad reliqua.

(99) Diogenes L. II, s. 1; cf. superius n. 80.
(100) Vid. Plato Cratyl. p. 409 A. cf. Schaubach. Anaxagorae fr. p. 163.
(101) Vid vss. 132-142.
(102) Origenes Philos. Cap. XI. Cf. Parmen. vs. 157.

§ 26.

Explicata mundi origine et conditione, transiisse videtur Parmenides ad ea quae in terris gignuntur: quorum de reliquis quid senserit vel docuerit, non accepimus; tantum relata nobis sunt ea quae de humani generis natura cecinit, quod argumentum diligentius quam cetera tractasse videtur. Exposuit de hominum origine, incrementis, corporis animique natura et indole, eaque singula pro suae aetatis ingenio subtiliter exploravit. De quibus quae ad nostram memoriam pervenerunt, enarrabimus.

De hominum ortu Diogenes (Theophrasto, ut videtur, auctore) refert, Parmenidi placuisse, γένεσιν ἀνθρώπων ἐξ ἡλίου πρῶτον γενέσθαι, *naturae principio hominum genus sole natum esse* [103]. Mira profecto opinio; unde nonnullis in mentem venit, pro ἡλίου legendum esse ἰλύος: homines *e luto* factos [104]; quod vulgaribus fabulis proximum [105]. Si vero id, quod Diogenes strictim et obscure retulit, ad veterum mentem et sententiam interpretemur, opinio ejus sic explicanda videtur: solem, quum omnia, quae in terris generantur, vi et calore suo excitet et foveat,

(103) Diogenes Laërt. IX, 22; quae pleraque desumta a Theophrasto, ut jam superius monui, § 19, n. 3; § 24, n. 84.

(104) Quae est lectio edit. Basil. et Aldobrandini, probata etiam Menagio, Bruckero, al.

(105) Cf. Censorin. de Die nat. c. IV, et Lindebrog. h. l. n. 14, ed. Haverc.

tum praecipue hominem procreasse, natura coelestibus cognatum, ac fortasse eâdem, quâ solem, calidi ac frigidi temperie conflatum [106].

Haec opinio non multum discrepat a Pythagoreorum sententia, qui homines, ut Diis cognatos, maxime omnium animantium caloris participes esse ajebant [107]; neque ab Anaxagorae placito, qui et animalibus et plantis caloris semina a sole impertiri docebat, atque aliquando de plantarum natura interrogatus, respondit, earum matrem terram esse, solem vero patrem [108]. Sed simillimum est, quod in Platonis convivio Aristophanes, antiquiores forsitan imitatus, fingit, narrans, praeter mares et feminas quondam tertium quoque genus fuisse utriusque sexûs particeps, atque trium illorum generum hanc fuisse originem: *τὸ μὲν ἄῤῥεν ἦν τοῦ ἡλίου τὴν ἀρχὴν ἔκγονον, τὸ δὲ θῆλυ τῆς γῆς, τὸ δὲ ἀμφοτέρων μετέχον τῆς σελήνης*, marium genus e sole, feminarum tellure, ambigenum autem istud lunâ editum esse [109]. Plato rem suo ingenio ornavit et auxit. Ceterum opinio haec sic explicanda videtur, terram recentem excepta gremio vel retenta lucis coelestis semina

(106) Haec explicatio placet J. Kühnio ad Diogen. Laërt. l. l. post Menagii Observ. p. 538 sq. et Brandisio Comm. Eleat. p. 166 sq. Neque opus est, hoc sensu, ut soli adjungatur terra, sic ut intelligi vult Ritter. Hist. phil. Vol. I, p. 483, quoniam sol ipse utroque elemento mixtus est secundum Parmenidem.

(107) Vid. Diogen. Laërt. VIII, 27.

(108) Vid. Aristot. Plant. I, 2; Irenaeus adv. Haeres. II, 14. citati a Schaubach. Anaxagorae fragm. p. 182 et 184.

(109) Platon. Sympos p. 190 B.

vapore et compressu suo fovisse, ex iisque hominum quasi segetem procreasse. Inde, ut ait Virgilius [110],

Igneus est ollis vigor et coelestis origo.

Huic rationi consentanea sunt quae de humanae naturae primordiis commentus esse traditur. Qua de re Parmenidis eadem fere atque Empedoclis fuit opinio, qui, ut refert Censorinus, homines rerum principio ita exstitisse finxit [111]: »primo membra singula ex terra »quasi praegnante passim edita, deinde (dispersa illa »membra paullatim in unum) coïsse, et (tandem) »effecisse solidi hominis materiam, igni simul et »humore permistam." Ita Empedocles; atque »eadem »haec, inquit, opinio etiam in Parmenide Veliate »fuit, pauculis exceptis ab Empedocle dissensis." Paucula ista in eo posita videntur, quod Parmenides minus fabulose artificioseque humanitatis primordia enarraverit, quam fecit Empedocles, cujus commenta mirati sunt multi, pauci, excepto Epicuro, secuti. Ille universe tantum finxisse videtur, primos naturae humanae fetus rudes fuisse et informes, paullatim autem excultos tandem ad formae humanae perfectionem pervenisse. Putabant enim veteres, naturam, ut in plerisque rebus formandis a parvis progressa initiis paullatim ad majora et ampliora tendit, similiter in procreandis hominibus et animalibus primo specimina edidisse inchoata et imperfecta, quae paullatim ornata et aucta tandem ad perfectionem essent perducta.

(110) Virgil. Aen. VI, 730.

(111) Censorin. de Die nat. c. IV. Quae uncis inclusa sunt, explicandi gratia addidi.

Sic igitur homo ortus est, iisdem temperatus elementis, quibus totus mundus constat. In humana autem natura consideranda praecipue cernitur sexûs discrimen, cujus rei rationem et caussam hanc esse voluit. Marium et feminarum discrimen omne retulit ad diversam utriusque sexûs temperiem, qua tam animi quam corporis diversitatem effici voluit. Feminas quidem natura calidiores esse, mares contra frigidiores; hos crassiore, illas tenuiore temperie. Placitum hoc refert Aristoteles [112]; quamquam vix satis congruum videtur Parmenidis rationi: nam quum duo ista, calidum et frigidum, ita inter se differant, ut alterum sit efficacius, alterum magis iners, consentaneum esset, illud marium, hoc feminarum magis proprium haberi, sicut plerisque physicis placuit. Sed Parmenides ut feminas calidiores crederet, effecit ex sanguinis redundantia quae menstruis fit, quod caloris putabat indicium [113]; fortasse etiam e feminarum indole, quae natura sint leviores et mobiliores, ut contra duriores et graviores viri. Initium autem et caussam

(112) Aristoteles de Part. anim. II, 2. p. 746 D: *ἔνιοί φασιν εἶναι θερμότερα .... τὰ ἄναιμα τῶν ἐναίμων καὶ τὰ θήλεα τῶν ἀῤῥένων· οἷον Παρμενίδης τὰς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν θερμοτέρας εἶναί φησι, καὶ ἕτεροί τινες, ὡς διὰ τὴν θερμότητα καὶ πολυαιμίαν γινομένων τῶν γυναικείων.* — *τὰ γυναικεῖα* appellantur menstrua. Cum Parmenide concinit fere Hippo, censens: » ex seminibus tenuioribus feminas, e densioribus mares fieri." Censorin. c. VI.

(113) Aristoteles l.l. et de Gener. Anim. IV, 1. p. 849 B, ubi non nominato auctore, idem placitum tangit: *οἴονταί τινες τὸ θῆλυ θερμότερον εἶναι τοῦ ἄῤῥενος διὰ τὴν τῶν καταμηνίων πρόεσιν.... ὑπολαμβάνουσι δὲ τοῦτο γίνεσθαι τὸ πάθος δι' ὑπερβολὴν αἵματος καὶ θερμότητος.* Contrarium ipsi Aristoteli placet.

hujus diversitatis repetiit a mundi primordiis, fingens, utrumque sexum, ut temperie diversum, sic in diversis quondam orbis regionibus exstitisse: τὰ μὲν πρὸς ταῖς ἄρκτοις ἄῤῥενα βλαστῆσαι, τοῦ γὰρ πυκνοῦ μετέχειν πλείονος· τὰ δὲ πρὸς ταῖς μεσημβρίαις θήλεα, παρὰ τὴν ἀραιότητα·[114] mares, ut crassiores, in boreali terrae plaga; feminas, ut leviores, in australi regione natas esse. Similia his etiam Empedocles docuit, quamquam contrario modo utriusque sexûs temperiem et natalem sedem describens[115]. Commenta haec mirabilia, si eorum rationem quaeramus, partim quidem e philosophorum ingeniis nata sunt, partim vero ducta videntur e vulgi fabulis, quibus res parum diligenter observatae ac temere creditae pro veris certisque ferrentur. Ita Aristoteles narrat, veteres observasse, aquiloniis flatibus magis quam austrinis mares gigni; et a pastoribus credi, in pecoribus ad feminarum mariumve feturam non solum interesse, quibus flatibus fiat initus, sed etiam quam mundi partem pecudes spectent, borealem an austrinam[116]. Quae opinio nititur fortasse veteri illa superstitione, qua septentrionalis plaga felicior habebatur meridionali, ut notum est ex auguriis[117]. Ejusmodi fabulas, vulgo creditas, facile istis philosophorum commentis originem dedisse opinor.

Haec autem duo genera, marium et feminarum, quomodo, regionibus divisa, deinde congregata sint,

(114) Plutarch. plac. phil. V, 7; Galenus, XXXII.
(115) Vid. Aristot. de Part. anim. et Plutarch. plac. ll. ll.
(116) Vid. Aristot. de Gener. Anim. IV, 2. p. 850.
(117) Cf. mox not. 126.

etsi memoratum non legimus, facile tamen e Parmenidis ratione effici potest. Nam ut naturae elementa, similiter hominum genera, principio separata, mox Veneris impulsu conciliata inter se et Amoris vinculo consociata sunt. Ita jam in hominum societatem deducti, videamus, quomodo genus propagaverint.

§ 27.

Nulla est quaestio, ad naturam humanam pertinens, a veteribus physicis studiosius tractata et disceptata, quam haec de hominum generatione ac progenie; ad quod indagandum dubites utrum eos magis cognoscendi studium an rei obscuritas impulerit. Quaesiverunt de seminis origine, num ab utroque parentum an a patre solo oriretur; de liberorum sexu, qua caussa fiat ut feminae maresve gignantur; de eorum figura, cur modo patribus modo matribus similiores exsistant, aliaque plura. Parmenides pleraque haec ad mixturae varietatem seminisque temperiem retulit.

Partum concipi putavit ex utriusque, patris et matris, seminibus mixtis inter se et temperatis: quae eadem multorum physicorum fuit opinio [118]; semina

(118) Censorin. de Die nat. c. V: » Illud quoque ambiguam facit inter » auctores opinionem, utrumne ex patris tantummodo semine partus » nascatur, ut Diogenes,.... an etiam ex matris, quod Anaxagorae et » Alcmaeoni, nec non Parmenidi Empedoclique et Epicuro visum est." In Anaxagora falli videtur, qui teste Aristotele, Gener. Animal. IV, 1, p. 847 C, censuit, *γίνεσθαι ἐκ τοῦ ἄῤῥενος τὸ σπέρμα, τὸ δε θῆλυ παρέχειν τὸν τόπον.* Parmenidis placitum confirmant ipsius versus 150 sqq. in quibus seminis mixtionem memorat.

autem tum e dextris, tum e laevis partibus derivari [119], pariterque fetus in uteri tum dextra tum laeva parte exsistere; et dextris e partibus mares edi, laevis feminas [120]. Parmenidi commune fuit hoc placitum cum Anaxagora, cujus sententiam clarius refert Aristoteles: Ἀναξαγόρας καὶ ἔνιοι τῶν φυσιολόγων . . . εἶναι τὸ μὲν ἄῤῥεν ἐκ τῶν δεξιῶν, τὸ δὲ θῆλυ ἐκ τῶν ἀριστερῶν· καὶ τῆς ὑστέρας τὰ μὲν ἄῤῥενα ἐν τοῖς δεξιοῖς εἶναι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖς [121]. Etiam placitorum scriptor Plutarchus communem utriusque hac de re facit sententiam, sed eam perverse refert, dicens [122]: Ἀναξαγόρας, Παρμενίδης, τὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν καταβάλλεσθαι εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τῆς μήτρας, τὰ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ ἀριστερά· εἰ δ' ἐναλλαγῇ τὰ τῆς καταβολῆς, γίνεσθαι θήλεα. Horum prius, dextrum semen dextro utero, laevum laevo demitti, rectum est; quod autem sequitur, hoc modo mares nasci, contrario, si dextrum semen laevo utero, vel laevum dextro misceatur, feminas, falsum esse, allatis Aristotelis et Galeni testimoniis facile evincitur [123]. Hoc potius Parmenidem statuisse credo, si contrariae contrariis misceantur venae, effeminatos et molles homines generari; a qua opinione versus ejus a Coelio citati non multum distant [124].

Illud autem placitum, mares et feminas diversis

(119) Ut dicit Censorinus l. l.

(120) Galenus citatus supra sub vs. 149; cf. commentar. in h. vs.

(121) Aristot. de Gener. Anim. IV, 1. p. 847 C. Cf. Censorin. cit. n. 127.

(122) Plutarch. plac. phil. V, 7.

(123) Omitto Pseudo-Galenum qui hac in re cum Pseudo-Plutarcho consentit, Phil. hist. cap. XXXII.

(124) Vid. Parmen. vss. 150—155, et Commentar. p. 127.

corporis partibus nasci, Parmenideae rationi plane congruum est: ut enim naturae principio mares et feminas terrarum regionibus disclusit, sic eosdem in utero quoque locis separatos esse, consentaneum erat. Quod autem illis dextrae, his laevae tribuantur partes, istius placiti alii hanc rationem dedere, quod dextrum latus sinistro latere calidius esset, ut ipse medicorum parens Hippocrates judicat [125]; Parmenidi vero haec ratio parum convenire videtur, quippe qui feminas calidiores voluit esse quam viros. Sed congruit illa locorum divisio cum descriptione terrae regionum, in quibus quondam utriusque sexûs primordia exstitisse finxit. Nam borealis mundi plaga dextera, australis laeva dici haberique solebat a priscis, praesertim Pythagoreis [126]; eosdem igitur utrisque in corpore adsignavit locos, quos quondam in terris occupavissent.

Porro quaesivit etiam, qua caussa fiat, ut liberi modo patris modo matris imaginem referant. Ad hanc quaestionem pertinere videtur, quod ad sexûs diversitatem explicandam affert Censorinus, dicens [127]: »inter se »certare feminas et mares, et penes utrum victoria »sit, ejus habitum (sexum intelligit) referri, auctor est »Parmenides"; sicut contra, quae ille de formae similitudine dicit, ad sexum referenda sunt; ait enim:

(125) Vid. Menag. ad Diogen. Laërt. Obss. p. 75; cf. Aristoteles, l. l. p. 848 H.

(126) Vid. Aristot. de Coelo II, 2; Achilles Tat. Isagog. in Arat. c. 28. p. 88 Antv. Opinio haec jam Aegyptiis placuit, auctore Plutarcho, de Is. et Osir. p. 363. (Vol. VII, p. 435 Reisk.) Plura de hoc legantur apud Fabricium ad Chalcid. Tim. p. 312, et Sturz. Empedocl. p. 336.

(127) Censorin. C. VI.

» Parmenidis sententia est, cum dextrae partes semina » dederint, tum filios esse patri consimiles; cúm laeva, » tunc matri." Hac enim caussa sexûs diversitatem effici, modo vidimus. Censorinus quum utramque quaestionem eodem capite tractaret, facile potuit ista confundere. Caeterum illa quoque ratio Parmenidis placitis consentanea est. Nam quum ex utriusque seminis temperie nascatur proles, necesse est, quum semina varie temperata misceantur, exsistat inter ipsa quasi certamen quoddam, et utrius superior sit natura majorque vis, ejus figuram vultumque referri. Neque ab hac opinione multum discrepat illud quorumdam placitum, quod memoratur ab Aristotele [128]: *ἀφ' ὁποτέρου ἂν ἔλθῃ σπέρμα πλέον, τούτῳ γίγνεσθαι μᾶλλον ἐοικός.*

Haec sunt quae de humana progenie e Parmenidis sententia accepimus: omnia fere ab illo ad seminis materiem et mixturam referuntur. Praeterea autem vidit, ut justa efficiatur temperies, requiri etiam virtutem quandam in diversorum seminum consensione positam, qua illa apte coalescant. Ubi haec consensio adsit, bene condita corpora nasci; ubi desit et semina inter se pugnent, fetus procreari fractos et debiles et quasi diris vexatos. Sic a seminum inter se consensione vel repugnantia bonum malumve corporum habitum pendere [129].

(128) Aristot. de Gener. Anim. IV, 3. p. 852 F.

(129) Cf. commentar. p. 127, 128.

§ 28.

Ut corporis naturam elementorum temperie conflatam dixit, sic eorundem vi et vicissitudine omnem vitae actionem omnesque motus effici et temperari censuit. Praecipuae sunt partes calidi et frigidi, quorum alterum, ut mobile et vividum, ad agendum et movendum excitat; alterum, tardum et grave, ad silentium et quietem componit. Sic laboris et somni vicissitudo nihil aliud est quam calidi et frigidi permutatio: somnum refrigerationem esse dixit [130]. Similiter juventus et senectus eo praecipue differunt, quod altera calidior sit, altera frigidior: senectutem igitur effici dixit caloris remissione [131]; mortem denique nihil aliud esse nisi ignis et caloris exstinctionem [132]. Itaque calore maxime vitam agitari voluit, quod alii etiam, praesertim Pythagorei, docuere: ζῆν μὲν πάντα ὅσα μετέχει τοῦ θερμοῦ [133].

Haec ad naturalem hominum conditionem pertinent; ad eadem principia animi quoque vim, sensum et cogitationem refert. Animum naturâ cum corpore concretum esse voluit; mentem a sensu non distinxit. Eâdem enim elementorum concretione et temperie, qua corporis figuram et membra, etiam animi sensum et cogitationem (quae uno vocabulo νοῦν sive νόημα appellat) constare, et variatâ illorum mixturâ ac tem-

(130) Tertullianus de anima p. 295. Rigalt. cit. Br.
(131) Vid. Stobaeus Floril. Tit. 105, 29. Vol. III, p. 427. Gaisf.
(132) ἔκλειψιν τοῦ πυρός, dicit Theophrastus, cit. inferius not. 143.
(133) Diogen. Laërt. VIII, s. 27.

perie, ut corpora, sic animos quoque mutari [134]; in quibus plus calidi sit, eos esse acriores et celeriores, in quibus plus frigidi, hebetiores et tardiores; omnes tamen aliqua temperie indigere [135]. Porro elementorum fluxu et vicissitudine ut corporum sic animorum quoque affectiones et motus exsistere: frigore oblivionem pari, calore memoriam acui [136]. Sic animi natura cum corpore plane cohaeret, illiusque vis per omnia membra et artus diffusa est, praecipue tamen in pectore viget [137].

Placita haec congruunt cum plerorumque physicorum sententia, putantium, eandem esse hominum, tam corporum quam animorum, atque universi mundi vim et naturam [138]. Unde etiam rerum cognitionem et intellectum explicabant, statuentes, similia similibus cognosci; hoc est: eo, quod animus iisdem quibus universus mundus constet rerum initiis, effici

(134) Vid. vss. 145—148, citati a Theophrasto in physicorum fragm. s. de sensu, et commentar. h. l. p. 125 sq. Macrob. in Somn. Scip. I, 15: "Parmenides (animam dixit mixtam) ex terra et igne."

(135) Theophrastus l.l. *ἐὰν γὰρ ὑπεραίρῃ τὸ θερμὸν ἢ τὸ ψυχρὸν, ἄλλην γίνεσθαι τὴν διάνοιαν, βελτίω δὲ καὶ καθαρωτέραν τὴν διὰ τὸ θερμόν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταύτην δεῖσθαί τινος συμμετρίας.*

(136) Theophrastus l.l. *καὶ τὴν μνήμην καὶ τὴν λήθην ἀπὸ τούτων (τῶν στοιχείων.) γίνεσθαι διὰ τῆς κράσεως.*

(137) Plutarch. plac. phil. IV, 5, et Galenus Phil. hist. c. XXVIII: *Παρμενίδης (τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν) ἐν ὅλῳ τῷ θώρακι.* Brandis animadvertit, si Parmenides voce *θώραξ* usus sit, totum truncum intelligendum esse, antiqua significatione Mihi Plutarchus sua ratione loqui videtur; dicit *ἐν ὅλῳ θώρακι*, ut hujus sententiam distinguat ab iis, qui in parte *θώρακος*, ut in corde aliove, animam ponebant.

(138) Copiose hanc opinionem illustrat Themistius in Paraphrasi Aristotelis de Anima Lib. I, f. 66, 67, 72, passim.

ut percipere res et agnoscere possit; veluti oculos lucem percipere, quia ipsi sint lucis participes. Sensus autem, ut animi instrumenta, diversos diversis elementis accommodatos esse, eorumque perceptionem effici τῇ ἀποῤῥοίᾳ, id est, tenuissimis particulis de rebus effluentibus, quae ad sensus adlabantur et per horum quasi meatus (πόρους) in mentem influant cum eoque se communicent. Hanc cum aliorum tum imprimis Parmenidis sententiam fuisse, refert Stobaeus, hos auctores enumerans: Παρμενίδης, Ἐμπεδοκλῆς, Ἀναξαγόρας, Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, Ἡρακλείδης, παρὰ τὰς συμμετρίας τῶν πόρων τὰς κατὰ μέρος αἰσθήσεις γίνεσθαι, τοῦ οἰκείου τῶν αἰσθητῶν ἑκάστου ἑκάστῃ (αἰσθήσει) ἁρμόττοντος [139]. Etiam Theophrastus, locuples testis, adfirmat Parmenidi placuisse, sensum et intellectum fieri τῷ ὁμοίῳ; quam tamen rationem Empedoclem demum ad singulos sensus accommodasse dicit, Parmenidem universe tantum tetigisse [140].

Haec de sensu et intellectu. Quod ad cupiditatem attinet, auctore Stobaeo, Parmenides, similiter ut post eum Empedocles, censuit, cupiditatem nasci alimenti

(139) Vid. Stobaei appendix Flor. ed. Gaisf. p. 71. Plutarchus IV, 9 Empedoclem tantum et Heraclidem ejus placiti auctores nominat.

(140) Theophrastus, de sensu, princ. *Περὶ αἰσθήσεως αἱ μὲν πολλαὶ καὶ καθόλου δόξαι δύο εἰσίν · οἱ μὲν γὰρ τῷ ὁμοίῳ ποιοῦσιν, οἱ δὲ τῷ ἐναντίῳ. Παρμενίδης μὲν καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Πλάτων τῷ ὁμοίῳ*, quod quale sit, deinde explicat. Tum pergit: *καθόλου μὲν οὖν περὶ αἰσθήσεως αὗται παραδίδονται δόξαι. περὶ ἑκάστης δὲ τῶν κατὰ μέρος, οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἀπολείπουσιν, Ἐμπεδοκλῆς δὲ πειρᾶται καὶ ταύτας ἀνάγειν εἰς τὴν ὁμοιότητα Παρμενίδου · Παρμενίδης μὲν γὰρ ὅλως οὐδὲν ἀφώρισεν.*

desiderio seu penuria (ἐλλείψει τροφῆς τὴν ὄρεξιν) [141]. Quod si recte relatum sit, sic interpretandum: quando elementorum aliqua pars effluxerit, turbatâ temperie, exsistere desiderium istius jacturae reparandae; hinc cupiditates nasci. Ex his autem jam clarius cognoscere licet, et qualia rerum principia et qualem animum sibi informaverit Parmenides. Nam quum a naturae elementis omnia, etiam vitam, sensum mentemque repeteret, apparet eum elementa non considerasse tanquam pondus iners et materiam informem, sensûs expertem, sed vita animaque praeditam; animum autem, quem iisdem elementis conflatum diceret, non suâ propriâque naturâ contentum putasse, sed mundo rebusque corporeis cognatum et similem.

His placitis quae consentanea sint, facile est intellectu. Nam quum ipsis elementis vitam animamque indiderit, ex his autem omnia sint conflata, sequitur ut nihil sit in rerum natura prorsus inanimum, sed animata sint omnia. Quae opinio concinit cum multorum veterum, tam poëtarum quam doctorum, sententia, qui omnes res naturales, plantas, arbores, fluvios, saxa, quasi animatas esse [142], animamque per universum mundum patere putabant. Sic quoque Parmenides censuit, nihil prorsus esse inanimatum, sed quidquid sit in rerum natura, sensu valere; sensum autem hunc pro variâ materiae conditione varie esse temperatum varieque agentem. Quod

(141) Vid. Stobaei Appendix ed. Gaisf. p. 72.

(142) Notum est illud Thaletis, qui magnetem, quia ferrum ad se trahat, animatum dixit. Vid. Themistius, l.l. f. 67 A; aliique.

discrimen num per omnes naturarum gradus a summis ad ima descendens, persecutus sit, non apparet, neque tamen probabile est, siquidem ista omnia universe tantum tetigisse videtur. Hoc vero certum est, eum quaslibet res, non modo eas in quibus calor insit, sed etiam quae omni calore sint destitutae, vivere quodammodo et sapere putasse; ipsum cadaver percipere et sentire dixit, non lucem, non calorem, non sonitum, sed contraria his, caliginem, algorem, silentium [143]. Unde apparet, Parmenidem ea quae ad noctem referret, frigidum, obscurum, iners, non intellexisse potestatem quandam negativam, ut vulgo appellant, sive vacuum quiddam, sed vim luci et calori et actioni contrariam, contrariisque virtutibus et viribus insignem [144].

Porro quod ad animum attinet, quum elementorum temperie constet, necesse est ex ejus sententia mentem a sensu non distingui, sed sentire et cogitare idem esse, omniaque haec, vitam, sensum, animam, mentem, una natura contineri. Docent hoc ipsius versus, et doctissimorum interpretum testimonia confirmant [145]. Attamen, objiciat aliquis, ra-

(143) Theophrastus l.l. ὅτι δὲ καὶ τῷ ἐναντίῳ (i. e. τῷ ἑτέρῳ τοῖν δυοῖν στοιχείοιν) καθ' αὑτὸ ποιεῖ τὴν αἴσθησιν, φανερὸν, ἐν οἷς φησὶ τὸν νεκρὸν φωτὸς μὲν καὶ θερμοῦ καὶ φωνῆς οὐκ αἰσθάνεσθαι διὰ τὴν ἔκλειψιν τοῦ πυρός, ψυχροῦ δὲ καὶ σιωπῆς καὶ τῶν ἐναντίων αἰσθάνεσθαι, καὶ ὅλως δὲ πᾶν τὸ ὂν ἔχειν τινα γνῶσιν. Cf. Brandis Comment. p. 168.

(144) Antiqui de hoc dissenserunt; vid. Plutarch. de pr. frigido, Vol. IX, p. 727 sqq. Reisk.

(145) Vid. Parmen. vs. 146 sq. Aristoteles, Metaph. III, 5. p. 671 F, hos versus tangens, dicit plerosque veterum, in quibus etiam Parmenidem, credidisse, φρόνησιν μὲν τὴν αἴσθησιν, ταύτην δὲ εἶναι ἀλλοίωσιν. Theo-

tionem (*λόγον*) discernit a sensu, sensus hebetes et caecos vocat, rationem solam verum cernere dicit. Etiam hoc veteres agnoverunt [146]. Quomodo ergo ista sibi non repugnant? E Parmenidis mente res ita explicanda videtur. Ut ille, in naturae veritate indagandâ, verum statuit unum illud esse, naturae autem res putavit esse incertas et opinabiles; similiter animum, quem naturae congruum finxit, partim essentiae et veritatis compotem fecit, quatenus ens ipsum cernat [147], partim fluxae naturae et erroris participem, quatenus opinabilia cognoscat. Eam vero animi partem, in qua veritatis cognitio posita sit,

phrastus l.l. dicit: *τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι καὶ τὸ φρονεῖν ὡς ταὐτὸ λέγει.* Quem secutus Diogenes L. IX, 22, idem sic refert: (*Παρμενίδης φησὶ*) *τὴν ψύχην καὶ τὸν νοῦν ταὐτὸν εἶναι, καθὰ μέμνηται καὶ Θεόφραστος ἐν τοῖς φυσικοῖς.*

(146) Plutarch. Stromat. ap. Euseb. Praep. Eu. I, 8. p. 23 D: *τὰς αἰσθήσεις ἐκβάλλει τῆς ἀληθείας.* Sextus Empir. adv. Mathem. VII, s. 111: *Παρμενίδης τοῦ μὲν δοξαστοῦ λόγου κατέγνω, ... τὸν δ' ἐπιστημονικὸν* (*λόγον*), *τουτέστι, τὸν ἀδιάπτωτον, ὑπέθετο κριτήριον, ἀποστὰς καὶ τῆς τῶν αἰσθήσεων πίστεως.* ad quod probandum deinde (s. 114) affert versus 53–56. Aristocles apud Euseb. ibid. XIV, 17. p. 757 B: *ἄλλοι δ' . . . οἴονται δεῖν τὰς μὲν αἰσθήσεις καὶ φαντασίας καταβάλλειν, αὐτῷ δὲ μόνον τῷ λόγῳ πιστεύειν. τοιαῦτα γάρ τινα πρότερον μὲν Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ζήνων καὶ Μέλισσος ἔλεγον, ὕστερον δὲ οἱ περὶ Στίλπωνα καὶ τοὺς Μεγαρικούς.* contra quos deinceps sensuum fidem tuetur. Cf. Eusebius ipse eodem opere XIV. 2 et 16, p. 718 D, 756 A. Diogenes L. IX, 22: *κριτήριον δὲ τὸν λόγον εἶπε, τάς τε αἰσθήσεις μὴ ἀκριβεῖς ὑπάρχειν,* afferens versus modo citatos. Stobaeus quoque in Append. Florent. p. 71, inter hujus placiti auctores Parmenidem numerat. Animadvertendum autem, omnes illos interpretes Parmenidis sententiam strictius interpretatos esse quam ipse fecit, et plerosque suis eam vocabulis explicuisse. De Xenophane egimus in hujus carm. rell. p. 192.

(147) Cf. vss. 93–95, et commentar. h. l.

quem λόγον appellat, qualis sit, significavit quidem, non autem descripsit, sed omnem animi ejusque indolis partiumque descriptionem, similiter ut rerum naturae, ad δόξας sive opinabilia rejecit.

His consentaneum quoque est Parmenidis placitum, fallaces esse hominum de rerum natura opiniones [148]. Nam quum omnia elementorum temperie constent, haec autem in perpetua versentur vicissitudine, oportet tam animi opiniones quam rerum naturas mutari et variari [149]. Hinc ejus verecundia in affirmando, et vehementia in reprehendendo eos, qui, quum certo sciri de rerum natura (ens semper excipitur) nihil possit, audeant se scire dicere [150].

Quod autem ad animos attinet, quamquam eos in vita cum corporibus constrictos putavit, non tamen, exstinctis corporibus, animos quoque evanescere, aut per se manere non posse arbitratus est. Num de animorum lapsu in corpora aut discessu e corporibus in carmine egerit, ignoramus; hoc tamen didicimus, eum credidisse, animos etiam solutos corporibus vivere, variasque pati fatorum vicissitudines; ut e memora-

(148) Vid. Parmen. vss. 98 sq.

(149) Cf. Aristot. Metaph. III, 5.

(150) Cicero Acad. Qu. IV, 23: » Parmenides, Xenophanes, minus bo- » nis quamquam versibus, sed tamen illis versibus, increpant eorum arro- » gantiam, quasi irati, qui audeant se scire dicere." De Xenophane monui in hujus carmin. rell. p. 189. Ciceronem haec a Graeco aliquo auctore mutuatum credo, qui fortasse versus Parmenidis modo citatos spectaverit. Etiam Arcesilas, mediae Academiae princeps, placitum περὶ ἐποχῆς praeter alios ad Parmenidem retulerat, quamquam multis improbantibus. Vid. Plutarchus adv. Colot. p. 1121 (Vol. X, p. 612 R.) Cf. Brandis, Comment. p. 181 not. b).

bili Simplicii loco apparet, ubi hic refert, Parmenidem dixisse, Daemonem illam, quae universum mundum gubernat, eandem quoque *τὰς ψυχάς πέμπειν ποτὲ μὲν ἐκ τοῦ ἐμφανοῦς εἰς τὸ ἀειδές, ποτὲ δὲ ἀνάπαλιν*, *animas modo e luce in tenebras, modo rursus e tenebris in lucem mittere* [151]. Ergo eidem deae, quam totius naturae gubernatricem et deorum quasi parentem finxit, etiam animarum humanarum moderamen tribuit; quale munus ab aliis poëtis Proserpinae mandatum [152]. Qualem autem hanc animarum migrationem intellexerit, ex his non satis manifesto apparet; utrum eas e luce in tenebras demitti dixerit tum, quum, vitali luce exstincta, ad umbras abeant (ut vulgus credebat), an contra, quum de coelo delapsae in terrenam caliginem demittantur (ut sapientibus placuit); et vicissim in lucem emitti volueritne tum, quum primum vitae lucem adspiciant, an quum e terra quasi carcere ad supera evolent, haec non satis manifesta sunt. At si meminerimus, quae Parmenides in carminis prooemio fingit, duas esse vias, alteram lucis, alteram noctis, quarum illa veritatem, haec errorem, altera res aeternas et divinas, altera humanas et caducas significat [153]; et quae deinde his consentanea statuit naturae elementa, lucem et tenebras, quorum hoc terrena praecipue, illud aetheria complectitur; his igitur comparatis, non dubium vi-

(151) Simplic. Phys. f. 9 A. Cf. Ritter, Gesch. d. Phil. Vol. I, p. 486.

(152) Ut a Pindaro, in fragm. Threnorum ap. Platon. Menon. p. 81; in Boeckhii editione Pindari, fragm. 98.

(153) Vid. vs 11.

dentur, quin *in lucem emitti* adscensum in coelum, contra *in tenebras delabi* descensum et lapsum in terrena loca significet. Voluisse ergo videtur, animas celsiore origine ortas Daemonis illius ministerio modo per noctis portam de coelo in terram mitti, modo rursus a terra in coelum evehi. Habemus hîc vestigia nobilis illius placiti de παλιγγενεσίᾳ et fatali illa animarum sorte, qua per multa secula sursus deorsum jactatae in orbem commeare cogantur. Quod placitum ex Aegypto in Graeciam translatum, deinde tam a poëtis quam philosophis, Pythagoreis praesertim, celebratum est et latissime per omnem antiquitatem patet [154]. In his autem quae de animis praedicat, tenendum est, Parmenidem, sic ut in omnibus quae de rerum natura canit, non vera polliceri, sed probabilia tantum et communi sensui consentanea sequi, ut ipse profitetur extremis versibus dicens:

οὕτω τοι κατὰ δόξαν ἔφυ τάδε νῦν τε ἔασι
καὶ μετέπειτ' ἀπὸ τοῦδε τελευτήσουσι —

(154) Pythagoreorum hoc placitum copiose expositum est praesertim a Creuzero, Symbol. et Mythol. T. III, p. 424 sqq. ed. alter. et Praepar. ad Plotin. de Pulcro. E poëtis Pindarum nominasse sufficiat, de cujus sententia quaedam animadverti in Specim. Pindar. p. 105 sq.

Et sic quidem magni Parmenidis rationes opinionesque tam de rerum natura quam de veritate, quantum cum ex ipsius versibus tum e veterum philosophorum et interpretum testimoniis ac judiciis assequi mihi licuit, exposui. In quibus quamquam multa esse fateor obscurius et confusius ab antiquis prodita, plura fortasse etiam a me etsi invito praetermissa aut perperam explicita, confido tamen fore ut ex his jam plenior justiorque adumbrari possit Parmenideae doctrinae effigies, e qua et ipsius ingenium, ratio, sententia, et philosophiae ejus vis in sequentium philosophorum doctrinam et placita elucescat.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 7, not. 12. De Anaximandro acute Ritterus (Hist. Phil. T. I, p. 482) animadvertit, Theophrastum fortasse voluisse, Parmenidem in physicis quaedam Anaximandri placita aemulatum esse; hinc Diogenem effecisse, illum Anaximandri auditorem habitum esse. Hujusmodi *παρακούσματα* in Diogene aliisque ejusdem farrinae scriptoribus non insolita sunt, ut illud quod paullo post memoravi, p. 9, not. 15.

p. 21, not. 59. Locus e Diogene Laërtio citatus non legitur L. IX, s. 42, sed IX, 23. Verba ejus, perspicuitatis gratia, integra hic annotabo: *καὶ δοκεῖ (Παρμ.) πρῶτος πεφωρακέναι, τὸν αὐτὸν εἶναι Ἕσπερον καὶ Φωσφόρον, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν πέμπτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων· οἱ δὲ Πυθαγόραν· Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα.*

p. 48. Diogenes Laërtius, in vita Myson. I, 107, hoc Parmenidis testimonium affert: *ζητοῦσι τί ἐστιν ὁ Ἠτεῖος· Παρμενίδης μὲν οὖν δῆμον εἶναι Λακωνικῆς, ὅθεν εἶναι τὸν Μύσωνα.* Neminem fore credo qui hic Parmenidem Eleaten cogitet; potius grammaticum quendam intelligendum esse apparet. Atque is haud dubie est idem ille, cujus mentionem facit Diogenes in Parmenide IX, 23, dicens: *γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Παρμενίδης, ῥήτωρ τεχνογράφος.* Jam non dubito, quin elogium Suidae et Photii, v. *μακάρων νῆσοι κτλ.* citatum a me n. 4, de cujus auctore in commentario p. 132 dixi mihi non liquere, ad eundem hunc Parmenidem sit referendum. Par est certe utriusque loci argumentum, et optime congruit scriptori rhetorico vel grammatico, in obscurioribus antiquitatis locis interpretandis versato.

p. 57, ad vs. 8. Brunckii auctoritate credideram primam in *ἵημι* semper longam esse; vidi tamen eam interdum corripi, ut Il. XXII, 273; in Xenophan. fr. XXI vs. 7. p. 68, meae edit. Quocirca h. l. pro *χνοιῆς ἵει* praestat legi *χνοιῇσιν ἵει.*

p. 141, not. 7. Similem Alcmaeonis sententiam memorat Censorinus, de Die nat. c. V, extr. »Quae (scil. de humano partu) disserens, non »definite se scire Alcmaeon confessus est, ratus neminem posse »(add. verum?) perspicere."

p. 162, n. 52. Multi, seriores praesertim, quaestionem *ἓν ἢ πολλά* Par-

menidi attribuerunt, hujus argumentationem cum Zenonis ratiunculis confundentes, ut Georg. Pachymeres de insec. lineis, in Aristot. ed. Casaub. T. I, p. 930 A: *τοῦ Παρμενίδου λέγοντος, ἓν τὸ ὄν, καὶ τὸ παρὰ τὸ ὂν οὐδέν, ὡς μὴ ὄν, ἵνα μὴ πολλὰ λέγων εἰςάξῃ καὶ τὸ μὴ ὂν· πάντα γάρ (φησι) τὰ ὄντα, καθὸ ὄντα, ἕ ν ἐστί · π ο λ λ ὰ δ' ἂν εἶεν, εἰ καὶ τὸ ἕτερον τοῦ ὄντος καὶ παρὰ τὸ ὄν, τὸ μὴ ὂν δηλονότι, ἐστί · καὶ ἄλλως δέ, ἵνα μὴ καὶ τὸ κενὸν εἰςαχθῇ τὸ τὰ πολλὰ διορίζον, ᾧ δὴ καὶ ἐκτόπως προςώχθιζεν.* Sunt haec Parmenidis, non tamen omnia. Porphyrius citatus a Simplicio, Phys. I, f. 25 A, Parmenidis placitum sic explanat: *εἴτι παρὰ τὸ λευκόν ἐστι, ἐκεῖνο οὐ λευκόν ἐστι· εἴτι παρὰ τὸ ἀγαθόν ἐστι, ἐκεῖνο οὐκ ἀγαθόν ἐστι · καὶ εἴτι παρὰ τὸ ὄν ἐστι, ἐκεῖνο οὐκ ὄν ἐστιν · τὸ δὲ οὐκ ὂν οὐδέν : τὸ ὂν ἄρα μόνον ἐστίν· ἓν ἄρα τὸ ὄν. καὶ γὰρ εἰ μὴ ἕν ἐστι ἀλλὰ π λ ε ί ω τὰ ὄντα, ἤτοι τῷ εἶναι διοίσει ἀλλήλων ἢ τῷ μὴ εἶναι · ἀλλ' οὔτε τῷ εἶναι διαφέροι ἄν · κατὰ γὰρ αὐτὸ τὸ εἶναι ὅμοιά ἐστι, καὶ τὰ ὅμοια ᾗ ὅμοια ἀδιάφορα καὶ οὐχ ἕτερα τυγχάνει ὄντα · τὰ δὲ μὴ ἕτερα ἕν ἐστιν. — οὔτε τῷ μὴ εἶναι · τὰ γὰρ διαφέροντα πρότερον εἶναι δεῖ · τὰ δὲ μὴ ὄντα οὐδὲν διαφέρει ἀλλήλων. εἰ τοίνυν π λ ε ί ω (φησίν) ὑποτιθέμενα μήτε τῷ εἶναι μήτε τῷ μὴ εἶναι διαφέρειν οἷόν τε καὶ ἕτερα εἶναι ἀλλήλων, δῆλον ὡς ἓ ν π ά ν τ α ἔσται, καὶ τοῦτο ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον.* In his quae *τὰ πλείω* spectant, Porphyrius Zenonis rationes cum Parmenideis confudit. Idem quoque argumentationem *περὶ διχοτομίας* falso a Zenone ad Parmenidem transtulit, ut supra p. 16 vidimus. Apparet inde quam caute his testibus utendum sit, quod parum attendit Tennemann. Hist. Philos. I, p. 170, 172.

p. 168, not. 67. Add. Aristocles in Euseb. Praep. Ev. XIV, 17, p. 756: *Ξενοφάνης καὶ Παρμενίδης καὶ Ζήνων καὶ Μέλισσος,* item postea *οἱ περὶ Στίλπωνα καὶ τοὺς Μεγαρικούς, — ἠξίουν οὗτοί γε τὸ ὂν ἓν εἶναι καὶ τὸ μὴ ὂν ἕτερον εἶναι, μήτε γεννᾶσθαί τι μήτε φθείρεσθαι μήτε κινεῖσθαι τὸ παράπαν.* Idem alibi copiosius adversus istos a se dictum iri pollicetur, dicens: *τὸν μὲν οὖν πλείω πρὸς τούτους λόγον ἐσόμεθα φιλοσοφοῦντες· νυνὶ μέντοι κτλ.*

p. 192. Quae hic adversus Neo-Platonicos disserui, eadem valent in multos seriorum, qui ens Parmenidis finxerunt naturam animatam, mente vigentem, divinam: ut Tennemann. Hist. Phil. I, p. 175 sq.

et p. 180, Ritter. Hist. Phil. I, p. 471 sqq., Parmenideos illos versus (93—96) in similem fere sententiam interpretantes. Iidem versiculum quoque huncce (148): τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα, in eundem modum explicant, hoc sensu: *omnia mente impleta sunt; universum mens est.* Quae interpretatio quam parum congrua sit verborum totiusque sententiae nexui, attentius legenti, ut opinor, apparebit. Cf. Commentarius, p. 104 et 126.

p. 214. De quaestione illa, an ἄθεος habendus sit Parmenides, dissentientium scriptorum auctoritates affert Brucker. Hist. Crit. Phil. T. I, p. 1160 sqq. Ipse plurimum sequitur Moshemium, tametsi longius quam ille a Parmenidis mente recedens.

p. 255, not. 97. Ex hoc Pythagorae placito (vel, ut alii volunt, Parmenidis) Ideler in dissert. über das Verhältn. d. Kopernic. z. Alterth. p. 443, suspicatur, Pythagoram opinatum esse, Veneris stellam circum solis orbem ferri; quae vulgo Aegyptiorum ratio ab astronomis appellatur. At si Pythagoras id docuisset, sequentes physici hoc placitum non prorsus ignorarent. Serius demum, Alexandrina aetate, Graecis innotuisse videtur, ab his ad Romanos esse translatum.

p. 11. not. 23: Euseb. l. l. (not. 16),	corrigatur:	Euseb. l. l. (not. 17).
p. 16, l. 4: Parmeniid . . .	—	Parmenidi
p. 36, vs. 77: ὅμοιον	—	ὁμοῖον.
p. 43, in fine: vs. 130 (πρώτιστον κτλ.)	—	vs. 131 (πρώτιστον κτλ.)
p. 51, l. penult. methaphora .	—	metaphora.
p. 91, l. 28: hypercalecticum .	—	hypercatalecticum.
p. 100, l. 9: in dissert. § 21 .	—	in dissert. § 22.
p. 114, l. 13: νόον φρήν . . .	—	νόου φρήν.
p. 138, l. 10: faceta	—	facete.
p. 144, n. 13: Vid. inferius not. 15.	—	Vid. inferius not. 16.
p. 164, l. 18: duos . . . notiones	—	duas . . . notiones.
p. 176, not. 81: Ibid. 1.	—	Ibid. 2.
p. 178, l. 1: φυρᾶς	—	φορᾶς
p. 185, l. 1: Simplicium . . .	—	Parmenidem.
p. 194, l. 11: in naturae . . .	—	in natura.
p. 221, not. 3: n Arist.	—	in Arist.
p. 222, l. 2: μεγνύς	—	μιγνὺς.
p. 235, l. 8: Quo circa . . .	—	Quocirca.
p. 241, l. 12: suo cogitata . . .	—	sua cogitata.
p. 162, not. 52: Aristot. Elench. Soph.	—	add. I, 9. p. 234 B.

INDICES.

INDEX AUCTORUM

QUI DE PARMENIDE MEMORARUNT.

Achilles Tatius
Isagoge in Arat. c. 31, pag. 90 Petav. . . . . pag. 250.
Africanus
apud Syncellum Chronogr. Olymp. 88. . . . . . p. 9.
Alcidamas
apud Diog. Laërt. VIII, 55 sq. . . . . p. 13.
Alexander Aphrodisius
Metaph. intp. Sepulv. f. 7 a. . p. 10. 143. 221. 224.
f. 10 a. . . . . p. 187.
f. 10 ab. . . . . p. 125.
f. 48 a. . . . . p. 158.
Analyt. pr. intp. Felic. p. 204. . . . . p. 161.
ap. Simplic. Phys. f. 9 a. p. 144. 181. 190. 202. 222. 226.
f. 17. . . . . p. 25. 97. 181.
ap. Jo. Philop. de Gener. et interitu f. 64 a. . p. 224.
Ammonius Hermeae
de Interpret. Lit. a. f. 3. . . . . p. 158.
Lit. d. f. 7. . . p. 34 (ad vs. 60.) 89. 208.
Anonymus Scriptor
Vitae Pythag. ed. Kust s. 8. . . . . p. 9, 10.
Arcesilas
ap. Plutarch. adv. Colot. p. 1121. . . . . p. 272.
Aristocles
ap. Euseb Praep. Eu. XIV, 17. . . p. 158. 168. (Cf. Add.) 201. 271.

Aristoteles
Physic. I, 2. p. 253 sq. (Casaub.) . . . . p. 180. 196.
— p. 254 A. . . . . p. 159.
— p. 254 F. . . . . p. 158. 176.
— p. 254 G. . . . . p. 184. 189.
I, 3. p. 255 D. . . . . p. 176.
— p. 255 E. . . . . p. 23 sq.
— p. 255 F. . . . . p. 161.
— p. 255 H. . . . . p. 189.
I, 5. p. 257 G. . . . . p. 221.
I, 8. p. 261 . . . . p. 161. 169.
I, 9. p. 263 H. . . . . p. 169.
III, 6. p. 278 . . . p. 40 (ad vs. 103 sq.) p. 184.
VIII, 3. p. 321 H. . . . . p. 199.
de Coelo III, 1. p. 368 . . . . . . p. 143. 169. 197. 180.
de Gener. et Corrupt. I, 3. p. 389 A. . . . . . p. 147. 223.
I, 8. p. 395. . p. 145. 147. 178. 199.
II, 3. . . . . p. 249.
II, 9. p. 407 BC. . . . . p. 224.
de Part. Animal. II, 2. p. 746 D. . . . . p. 260.
de Gener. Animal. IV, 1. p. 847 C. . . . . p. 263.
— p. 849 B. . . . . p. 260.
Metaph. I, 3. p. 646 A. . . . . p. 197.
— p. 646 B. . . . . p. 224.
I, 4. p. 646 E. . . . p. 43 (ad vs. 130.) 231. 233.
I, 5. p. 648. . . p. 9 sq. 145. 158. 186. 196. 198. 221.
III, 4. p. 663 C. . . . . p. 158.
IV, 3. p. 667 D. . . . . p. 199.
— p. 667 E. . . . . p. 200.
IV, 5. p. 671 F. . . . . p. 270.
— p. 671 G. . . . . . p. 46 (ad vs. 145—148.)
XIII, 2. p. 761 B . . . . p. 48.
de X. Z. G. c. 2. p. 941 . . . p. 39 (ad vs. 102—104) p. 184.
c. 4. p. 943 sq. . p. 40 (ad vs. 102 sq.) 184. 209.

Athenaeus
Deipnos. IX, 15. p. 505 F. . . . . p. 4. 14.
Bessarion
adv. Cal. Plat. II, 11. f. 31 B. . . . p. 20. 37 (ad vs. 81 – 88.)
35 (ad vs. 58—69.)
— f. 32 A. . . p. 37 (ad vs. 81—88.)
p. 40 sqq. (ad vs. 109—118.)
Boëthius
Consol. phil. III. . . . . . p. 39 (ad vs. 102—104.) 209.
Callimachus
ap. Proclum in Parm. IV, p. 5. . . . . p. 10.
ap. Diog. Laërt. IX, 23. . . . . p. 21. (Cf. Addenda.)
Camotius (Joannes)
in Theophr. Metaph. f. 100. . . . . p. 11.
f. 44. . . . . p. 20.
Cebes
Tabul. princ. p. 11.
Censorinus
de die nat. c. IV. . . . . p. 259.
c. V. . . . . p. 262 sq.
c. VI. . . . . p. 264 sq.
Chalcidius
in Timaeum, p. 283. . . . . p. 169.
Cicero
Acad. Qu. IV, 23. . . . . p. 17. 24. 272.
IV, 37. . . . . p. 224 sq.
Nat. Deor. I, 11. . . . . p. 238 sq. 244.
de Rep. (Somn. Scip.) VI, 17. . . . . p. 245.
Clemens Alexandrinus
Admonit. Gentil. p. 43 c. . . . . p. 229.
Stromat. V, p. 552. . . p. 18. 38 (ad vs. 89-92.) 102.
— p. 576. . . . . p. 31 (ad vs. 29 sq.)
— p. 603. A. . . . . . p. 34 (ad vs. 58, 59.)
— p. 614. A. . . . . p. 44 (ad vs. 132—138.)
VI, p. 627. B. . . . . p. 32 (ad vs. 40.)

Coelius Aurelianus

de Morb. Chr. IV, 9. p. 645. . . p. 47 (ad vs. 150—155.) 127.

Colotes

apud Plutarch. adv. Colot. p. 1114. . . . . . p. 144. 202.

Democritus

ap. Diogen. Laërt. IX, 42. . . . . p. 22.

Diogenes Laërtius

Prooem. s. 16. . . . . p. 18.

Lib. II, s. 3. . . . . p. 8.

II, 106. . . . . p. 23.

III, 6. . . . . p. 23.

IV, 13. . . . . p. 23.

VIII, 14. . . . . p. 255.

— 48. . . . . p. 254.

— 55 sq. . . . . p. 13, 18. 19.

IX, 21. . . . . p. 3. 7. 10. 11. 221. 225. 250.

— 22. . . p. 16. 30. (ad vs. 28-30.) 33. (vs. 53-55.) 65. 66. 257. 271.

— 23. . . p. 4. 6. 7 sq. 11. 16. 21. (cf. Add.) 68. 249.

— 24. p. 13.

— 25. . . . . p. 3. 13. 14.

— 29. . . . . p. 6.

— 42. p. 22.

Epiphanius

adv. Haeres. III. Vol. I, p. 1087. . . . . p. 3. 188.

Eudemus

ap. Simplic. phys. f. 25 sq. . . . . p. 161. 163.

f. 31 A. . . . . p. 190.

Eudocia

Viol. p. 149. p. 17.

p. 361. p. 19.

Eusebius

Praep. Eu. I, 8. p. 23 c. . p. 10. 11. 34. (ad vs. 59.) 146.

— p. 23 D. . . . . . . p. 160. 249. 271.

Eusebius
Praep. Euseb. X, p. 504 d. . . . . p. 10.
XIII, p. 680 c. . . . . . . p. 34 (ad vs. 58 sq.)
XIV, 2. p. 718 d. . . . . p. 271.
— 3. p. 720 d. . . . . p. 3. 168.
XIV, 16. p. 756 a. . . . . p. 271.
— 17. p. 756 c. . . . . p. 158. 201.
— p. 757 b. . . . . p. 271.
— p. 758 a. . . . . p. 10.
XV, 27. . . . . p. 248.
XV, 38. . . . . p. 242.
Eusebius
Canon. Chron. Olymp. πϛ′ . . . . p. 9.
Galenus
in Hippocr. Epidem. VI, 48. . p. 46. (ad vs. 149.) 263.
(Pseudo-) de Phil. Hist. X. . . . . p. 168. 235.
XI. . . . . p. 242.
XV. . . . . p. 248.
XVII. . . . . p. 247.
XXI. . . . . p. 250.
XXVIII. . . . . p. 267.
XXXII. . . . . p. 261. 263.
Georgius Pachymerius
de Insecab. lineis. . . . . p. 277.
Hermias
Gentil. Irris. s. 3. p. 403. . . . . . . p. 168. 188. 201.
Hermias
in Platon. Phaedr. p. 125. . . . . p. 51.
Jamblichus
Vit. Pyth. s. 166. 267. . . . . p. 10.
de Myst. Aegypt. s. 1, c. 9. . . . . p. 208.
Macrobius
Saturn. I, 1. p. 5.
Somn. Scip. I, 2. . . . . p. 21.

Macrobius
Somn. Scip. I, 15. . . . . p. 267.
Martianus Capella
Nupt. I, IV. p. p. 95. . . . . p. 12.
Menander
de Encom. I, 5. p. 39. . . . . p. 21. 233. 238.
Origenes (Pseudo-)
Philos. XI. p. 890. . . . . . . p. 168. 178. 221 sq. 256.
Phavorinus
ap. Diog. Laërt. IX, 23. . . . . p. 16. 249. 255.
Philoponus (Joannes)
Phys. Lib. I. lit. A. p. 9. . . . p. 20. 147. 184. 187. 202. 221.
lit. B, p. 6. . . . . p. 147. 148.
— p. 7. 8. . . . . p. 25. 161.
— p. 9. . . . . p. 23. 34 (ad vs. 59, 60.)
p. 36 (ad vs. 80.) 173.
lit. C, p. 11 sq. . . . . . . p. 20. 223.
Lib. III. lit. M, p. 12. . . . . p. 109 sq.
de Gener. et interitu f. 13 a. . . . . p. 225.
f. 35 b. . . . . . . p. 179. 180.
f. 64 a. . . . . p. 224.
Photius
Lexic. V. Μακάρων νῆσος. . . . . p. 48.
Plato
Parm. princ. p. 18.
p. 127. . . . . p. 4. 12. 13.
p. 128. . . . . p. 18.
— a. p. 158.
— c. p. 22.
p. 132 b. . . . . p. 193.
p. 135 d. . . . . p. 142.
p. 136 . . . . p. 12.
Sophist. princ. . . . . p. 15.
p. 217 c. . . . . p. 5. 12. 15.

Plato
Sophist. p. 237. . p. 13. 18. 33 (ad vs. 52.) 48. 130. 160.
p. 238 c. . . . . p. 160.
p. 241. . . . . p. 14.
p. 242 d. . . . . p. 158.
p. 243 a. . . . . p. 195.
p. 244 e. . . . . . p. 39 (ad vs. 109—104.) 182.
p. 248 e. . . . . p. 193.
p. 258 sq. . . . . . . p. 33 (ad vs. 52.) 48. 161.
p. 259 d. . . . . p. 213. 219.
Theaetet. p. 152 d. . . . . p. 157. 178.
p. 157 ab. . . . . p. 157.
p. 180 de. . . . . p. 39 (ad vs. 97.) 99. 158. 178.
p. 181 a. . . . . p. 180.
p. 183 e. . . . . p. 5. 13.
Euthyd. p. 286 c. . . . . p. 163.
Sympos. p. 178 b. . . p. 43 (ad vs. 130.) 119 sq. 233. 238.
p. 195 c. . . . . p. 20 sq. 237.
Plotinus
Ennead. V, 1. 8. p. 489 sq. Ficin. . . . p. 32 (ad vs. 40.) 99. 181. 191. 205.
VI, 4. 4. p. 648 a. . . . . p. 36 (ad vs. 80.) 90.
Plutarchus
de aud. poët. p. 16. . . . . p. 17.
de audit. p. 44. . . . . p. 17.
Qu. Rom. p. 282. . . . . p. 45 (ad vs. 144.
de Pyth. orac. p. 402. . . . . p. 16.
Amator. p. 756 f. . . p. 20. 43 (ad vs. 130.) 120. 235.
de Fac. Lun. p. 929 a. . . . . p. 45 (ad vs. 144.)
de Anim. procr. e Tim. p. 1026 b. . . . . p. 237.
adv. Colot. p. 1114. . . p. 23. 30 sq. (ad vs. 29 sq.) 34 (ad vs. 59.) 99. 116. 121. 146. 202. 222.
p. 1116 a. . . . . p. 45 (ad vs. 143.)
p. 1121. . . . . p. 272.

Plutarchus
adv. Colot. p. 1126. . . . . p. 11.
Strom. ap. Euseb. Pr. Eu. I, 8. p. 23 c. . . . . p. 10. 11. 34. (ad vs. 59.) 146.
— p. 23 d. . p. 146. 160. 249.
de Plac. philos. I, 24. . . . . p. 168.
— 25. . . . . p. 235.
II, 7. . . . . p. 242.
— 26. . . . . p. 248.
III, 1. . . . . p. 247.
— 14. . . . . p. 250.
— 15. . . . . p. 250.
IV, 5. . . . . p. 267.
V, 7. . . . . p. 261. 263.

Porphyrius
Antr. Nymph. c. 22. . . p. 19. 24 sq. 29 (ad vs. 11.) 60.
ap. Simplic. Phys. f. 25. . . . . . . p. 25. (Cf. Addend.)
f. 30. . . . . p. 16.

Posidonius
ap. Strabon. II, p. 150 c. . . . . p. 250.

Proclus
Theol. Platon. I, p. 27. . . . . p. 14.
III, p. 7. p. 131 sq. . . . . p. 207.
— 20. p. 155. . . . . p. 39 (vs. 102—104.)
in Timaeum. II, p. 105. . . . . p. 31 (vs. 29 sq. 33—40.) 150.
p. 139. . . . . p. 87 sq.
p. 160. . . . . . p. 40 (ad vs. 102 sq.) 109.
in Cratyl. p. 36. p. 209.
in Parmenid. T. IV. p. 5. . . . . p. 10.
— p. 8. . . . . p. 14.
— p. 12. . . . . p. 15.
— p. 32. . . . . p. 37 (ad vs. 84.) 99.
— p. 34. . . . . p. 54.
— p. 39. . . . . p. 15.

Proclus
in Parmenid. T. IV. p. 62. . . . . . p. 17. 34 (ad vs. 60.) 36 (ad vs. 80.) 40 (ad vs. 103 sq.)
— p. 88. . . . . p. 14.
— p. 114. . . . . p. 205.
— p. 115. . . . . p. 204.
— p. 120. p. 32 (ad vs. 41 sq.) 33 (vs. 80.) 40 (ad vs. 103 sq.) 74. 87. 189. 207.
— p. 121 sq. . . . . p. 172. 204.
— p. 137. . . . . p. 14.
— p. 141. . . . . p. 147. 205.
T. V. p. 280. . . . . p. 77.
— p. 310 sq. . . . . p. 20.

Sextus Empiricus.
adv. Mathem. VII, 5. . . . . p. 15.
— 111. . p. 19. 28. (ad vs. 1—30.) p. 33. (ad vs. 52—57.) p. 65. 271.
— 112 sqq. . . . . p. 136 sq.
IX, 1, 6. . . . . p. 231.
— 9. . . . . p. 43. (ad vs. 130.)
X, 46. . . . . p. 180.

Simplicius
in Physic. f. 2 a.. . . . . p. 10.
f. 5 b. . . . . p. 146.
f. 6 b. . . . . p. 222.
f. 7 ab. p. 13. 20. 34. (ad vs. 58-60.) 37. (vs. 84-88.) 39 (vs. 97.) p. 40. (vs. 109-118.) 42 (vs. 126-130.) 48. 89. 99. 106. 112. 114. 131. 155. 184. 188. 189. 207. 222. 231.
f. 8 a. . . . . p. 240. 250.
f. 8 b. . . . . p. 206.
f. 9 a. . . . p. 25. 36 sq. (ad vs. 81—88.) 40

Simplicius
in Physic. ibid. . . . (ad vs. 109-120.) 42 (ad vs. 125-127.) 43 (ad vs. 130.) 144. 146. 181. 190. 222. 238. 273.
f. 12 A. . . . . p. 39 (ad vs. 102—104.)
f. 17 AB. . . p. 25. 33 (ad. vs. 50 sq. 52.) 34 (ad vs. 56-69.) 37 (ad vs. 81-83.) 81. 90. 92. 97. 147. 181.
f. 19 AB. . . p. 32 (ad vs. 43 sq.) 34 (ad vs. 59.) 36 (ad vs. 77.) 39 (ad vs. 93—97; 102-104.) 76. 104. 145. 173 sq. 176. 189. 191. 202. 206. 207.
f. 25 A. . . . . . p. 25. 31 (ad vs. 35-40.) 32 (ad vs. 43-51.) 158.
f. 25 sq. . . . . p. 161.
f. 26 A. . . . . p. 34 (ad vs. 59.)
f. 27 AB. . . . . p. 40 (ad vs. 102 sq.) 189.
f. 29. . . . . p. 48. 86. 190.
f. 30. . . . . p. 16.
f. 31 AB. p. 18. 25. 34 (ad vs. 56-111.) 39 (vs. 93sqq.) 48. 109. 190. 206. 240.
f. 32 A. . . . . p. 202.
f. 34 B. . . . . p. 35 (ad vs. 61-65.) 91. 92.
f. 38 sq. . . . . p. 41 (ad vs. 112-118.)
f. 39 A. . . . . . p. 42 (ad vs. 121-124.) 222.
f. 53 B. . . . . p. 48.
f. 116 sq. . . . . p. 184.
f. 152 B. . . . . p. 33 (ad vs. 52.)
de Anima, III, f. 72 B. . . . . p. 96 sq.
de Coelo III, f. 138 AB. p. 30 (ad vs. 28-32.) 34 (ad vs. 59.) p. 35 (ad vs. 61-65.) 36 (ad vs. 76.) 41 (ad vs. 109-111.) 44 (ad vs. 139-142.) 47 (ad vs. 156-158.) 65. 112. 147. 166. 197. 202.

Sotion

apud Diog. Laërt. IX, 21. . . . . p. 10.

Speusippus

apud Diog. Laërt. IX, 23. . . . . p. 11.

Stobaeus

Eclog. I, 3. p. 60. . . . . p. 209.
5. p. 158. . . . . 235.
10. p. 274. . . . . p. 43 (ad vs. 130.)
15. p. 352. . . . . p. 39 (ad vs. 102–104.)
21. p. 412, 416. . . . . p. 168.
23. p. 482 sq. . p. 117. 118. 121. 235. 241–252.
24. p. 500. . . . . p. 243.
25. p. 510. . . . . p. 248.
25. p. 516. 518. . . . . p. 249.
26. p. 524, 532. . . . . p. 248.
27. p. 550. . . . . ibidem.
p. 556 sq. . . . . p. 125.
p. 564. . . . . p. 248. 255 sq.
28. p. 574. . . . . p. 247.

Florileg. Tit. 105. 29 . . . . p. 266.

Append. Flor. p. 71. . . . . p. 268. 271.
p. 72. . . . . p. 269.

Strabo

II. p. 150 c. p. 250.

VI. princ. . . . . p. 3. 10. 11.

Suidas.

V. Ἕσπερος. . . . . p. 249.
Μακάρων νῆσοι. . . . . p. 48. 132.
Παρμενίδης. . . . . p. 3. 7. 10. 16. 17. 19.
Ὥς. . . . . p. 48. 131 sq.

Syncellus

Chronogr. p. 253 D. . . . . p. 8 sq.

Tertullianus

de Anim. p. 295. . . . . p. 266.

Themistius
Paraphr. Phys. . . . . p. 161. 184.
Theodoretus
Therapeut. I. . . . . p. 38 (ad vs. 89.) 69. 102.
— IV. . . . . p. 3. 34, (ad vs. 59.)
Theologumenôn scriptor.
p. 7. . . . . p 251.
Theophrastus
Phys. fragm. de sensu, princ. . . . p. 46 (ad vs. 145–148.) 126. 266–271.)
ap. Alexandr. Aphrod. Metaph. f. 7 A. . . . p. 10. 143. 201. 221. 225.
ap. Simplic. Phys. I, f. 7 A. . . . . p. 155.
— f. 25 A. . . . . p. 158.
ap. Diogen. Laërt. VIII, 48. . . . . p. 254.
— 55 sq. . . . . p. 13. 18 sq.
IX, 21. . . . . p. 7. 250.
— 22. . . . . p. 271.
Timo Phliasius.
ap. Diogen. Laërt. IX, 23. . . . . p. 11. 68.

INDEX II.

VOCABULORUM GRAECORUM.

ἀγής. . . . . p. 122.
ἀδαής. . vs. 3, 118. p. 55, 115 sq.
ἀδιαίρετος. . . . . p. 176.
ἀΐδηλος. . . . . . vs. 134. p. 122.
ἀϊδής. . . . . p. 55.
αἰθήρ. . . . . p. 243.
— κόσμος, οὐρανός, distincta. vs. 132—136. p. 121.
— οὐρανός, permutata. p. 243, not. 68.
αἶσα φλογός, similia. vs. 126. p. 118.
αἴσθησις et φρόνησις. . . p. 149, 270, not. 145.
ἀκίνητος. . . . . . vs. 81. p. 97.
ἄκριτος, *judicii expers*. . vs. 49. p. 79.
— *non purus*. . . vs. 125. p. 118.
ἀλήθεια, opp. δόξα. . vs. 29 sq. p. 66 sq.
ἀλώμενον φῶς, *luna*. . . vs. 143.
ἀμηχανίη. . . . . vs. 47. p. 78.
ἀμοιβαδόν. . . . . vs. 19.
ἀμοιβός (κληΐς). . vs. 14. p. 61.
ἀμφί et ἀμφίς permutata. vs. 110. p. 112.
ἀνάγκη. . vs. 85, 137. p. 235, 237.
ἀνόητος, ἀνώνυμος. . . . vs. 72.
— et ἀνόνητος confusa. ibid.
ἀνυστός et ἐφικτός. vs. 39. p. 73 sq.
ἄπειρος et ἀτελεύτητος differunt. p. 100 sq.
ἄπειρον opp. πεπερασμένον. p. 183 sq. 185—189.
ἄπιστος. . . . . . vs. 76. p. 95.
ἄπιστος, ἄπυστος, ἄπαυστος confusa. . . . . ibid.
ἀποτμήγειν. . . . vs. 90. p. 103.
ἀπὼν παρών. . . . vs. 89. p. 103.
ἀπτερέως. . . vs. 17. p. 61 sq.
ἀραιός, ἀραιός. vs. 116. p. 114 sq.
ἄρσεν — θῆλυ. . . . vs. 129 sq.
ἀρχός, ἀρχή. . vs. 128. p. 118.
ἄσκοπον ὄμμα. . . vs. 54 p. 83.
ἄσυλος. . . . . vs. 107. p. 111.
ἀτέλεστος. . . vs. 59. p. 88 sq.
ἀτραπός, κέλευθος, ὁδός, *de ratione et disputatione*. vs. 34, 36, 38. p. 70, 72.

ἀτρεκής et ἀτρεμής confusa. vs. 29. p. 67 sq.
ἀτρεμής, ἠρεμής. . : vs. 59. p. 88.
αὖον ἀΰτειν. . . . . p. 57.
ἄφαντος (νύξ) . . . . . vs. 123.
Ἀφροδίτη et Ἔρως. . . p. 233 sqq.

βαίνειν. βῆσαν act. . vs. 2. p. 53.
βαλανωτός (ὀχεύς). vs. 16. p. 61.

γάλα οὐράνιον. vs. 140. p. 124 sq.
γάρ et γ' ἄρα confusa . vs. 128.
γένεσις. . . . . p. 120.
γενέσθαι, *fuisse*, *mortuus esse*. vs. 75. p. 94. sq.
γνῶναι, opp. φράσαι. vs. 39 sq. p. 73.
γόμφοι. . . . . vs. 20.
γράμματα, λόγοι, ποιήματα, de singulari libro. p. 18.
Δαίμων, Θεά, anonyma. vs. 3, 22, 127. p. 54, 118.
δέμας. . . . . vs. 118.
δέξια – λαῖα s. ἀριστερά. . vs. 149. p. 264.
δεσμός, metaphor. . . vs. 81 p. 98.
δεσμοὶ πείρατος. Vid. πεῖρας. . . .
δημιουργός. . . . p. 225, n. 13.
διάκοσμος. . vs. 119. p. 115 sq.
διζῆν, δίζησις, de cognitione. vs. 34, 52, 61. p. 71.
δίκη. vs. 28. p. 64, 235, 236.
— et δίνη conf. p. 235, n. 45.
δίκρανος. . vs. 47. p. 78,156, n. 36.
δινωτοὶ κύκλοι. . . . . . . vs. 9.

δοκεῖν, opp. εἶναι. . . p. 66 sq.
δόξα, δόξαι. vs. 30, 156. p. 68.
— cf. ἀλήθεια.
δοξαστός, opp. νοητός p. 146, 150.
δώματα νυκτός. . . vs. 6. p. 56.

Γ et Τ confusa. . . vs. 33. p. 70.
ἔθος, λόγος opp. vs. 53. p. 83.
— et θεός confusa. . . vs. 53.
εἶδος. Vid. μορφή.
εἰδώς. εἰδότα φῶτα. . . . vs. 3.
εἱμαρμένη. . . . p. 237, n. 54.
εἶναι c. infinit. εἶσι νοῆσαι. vs. 34. p. 71.
εἶναι, ἔστι, de aeterno. vs. 60, 97. p. 99.
— ἐόν. vs. 43 et saepius. p. 77.
εἶναί τε καὶ οὐκί. vs. 99. p. 106 sq.
— ὂν et μὴ ὄν, *positivum* et *negativum*. p. 223 sq.
εἶναι opp. δοκεῖν. Vid. δοκεῖν.
ἐκτὸς ἀπό. . . . vs. 27. p. 64.
ἐλαύνεσθαι, ἰέναι, περᾶν, de disserendi ratione. vs. 32. p. 70.
ἕνεκα. τὸ οὕνεκεν sive οὗ ἕνεκα. p. 104 sq.
ἐπί. ἐφ' ἑαυτοῦ. p. 99. ὅσον ἐπί vs. 1. p. 52.
ἐπί et ἐπεί confusa. . vs. 101.
ἔργα ἡλίου, σελήνης. vs. 134. p. 122.
Ἔριδες, *Dirae*. . vs. 154. p. 128.
Ἔρως. . . . vs. 131. p. 119 sq. p. 231 sqq.
ἕτερον. Vid. ταὐτόν.

εὐαγής. . . vs. 133. p. 122 sq.
εὔκυκλος. . . vs. 102. cf. p. 67.
εὐπειθής (ἀλήθεια). vs. 22. p. 67.
εὐφεγγής. . . . . p. 67.
ἔφικτός. Vid. ἀνυστός.

ζόφος opp. φάος. . . . p. 131.

ἤ et καὶ confusa. . . . . p. 63.
ἦ γάρ, ἦ ῥα. vs. 20, 27, 108. p. 63.
'Ηλιάδες. . . . . . vs. 6. p. 56.
ἡλίου et ἰλύος confusa. p. 257.
ἤματος καὶ νυκτὸς κέλευθοι. vs. 11. p. 59.
ἤπιος. . . . . vs. 116.
ἠρεμής. Vid. ἀτρεμής.
ἦτορ ἀληθείης. . . vs. 29. p. 67.
ἠχήεις. ἠχήεσσα ἀκουή. vs. 54. p. 83.

θέμις. . . . . vs. 28. p. 64.
θυμὸς et μῦθος confusa. vs. 56. p. 85.
θώραξ. . . . . p. 267.

ἰέναι. Vid. ἐλαύνεσθαι.
ἰθὺς ἔχειν. . . . . vs. 21. p. 63.
ἱκάνειν. θυμὸς (μ') ἱκάνει. vs. 1. p. 52.
ἵπποι, ἅρμα. metaphor. vs. 1. p. 51.
ἰσοπαλής. . vs. 103. p. 109 sq.
ἴσος. . . . . vs. 108, 124.
ἴσος et ὁμοῖος. vs. 108. p. 111.
ἰσχύς πίστιος. . . . . . vs. 67.

κάλυπτρα. . . . . vs. 7. p. 57.
καταθέσθαι. . . vs. 112. p. 113.
κέλευθος. Vid. ἀτραπός.
κληῖδας ἔχειν, κληδοῦχος. vs. 14. p. 61.
κληδοῦχος et κληροῦχος confusa. p. 235 sq.
κοινός. τὸ κοινόν. p. 76. ξυνὸς αἰθήρ. vs. 140.
κόσμος, κατὰ κόσμον. vs 91. p. 104.
κόσμος ἐπέων. vs. 111.
— — cf. αἰθήρ, οὐρανός.
κρᾶσις μελέων. . . . . . vs. 145.
κρίνειν. . . . . vs. 55. p. 83 sq.
κρίσις. . . . . . . vs. 70. p. 93.
κροτάφων et κρατερῶν confusa. vs. 7. p. 56.
κύκλωψ (σελήνη). . . . vs. 135.
κωφὸς καὶ τυφλός. vs. 49. p. 79.

λάϊνος οὐδός. . . . vs. 12. p. 60.
λεύσσω et λεύσω. . . . . vs. 89.
λόγος, λογίζεσθαι, λογισμός. vs. 55. p. 83 sq.
λόγος et νοῦς. . . vs. 55. p. 84.
— opp. ἔθος. Vid. ἔθος.
— τὸ κατὰ λόγον opp. τὸ καθ' ὕλην. . . . . . p. 186.
λόγοι. Vid. γράμματα.

μακάρων νῆσοι, Thebis. . p. 132.
μᾶλλον, ἧσσον. vs. 107. p. 111.
μένειν, μόνιμος, de aeterno et immutabili. . vs. 84 sq. p. 99.

μένος ἄστρων. vs. 141. p. 125.
μηδέν (τό). . . . . vs. 65, 124.
μίσγειν. μίγεν (ἔμιγε) active. p. 119.
μοῖρα. . . . . . . vs. 26. p. 64.
μονογενής (μουνογ.) s. 59. p. 87 sq.
μόνος. . . . . p. 207.
μορφή, εἶδος, σχῆμα. vs. 112. p. 112 sq. 227 sq.
μοῦσα. . . . . p. 70 sq.
μοῦσαι et μοῦναι confusa. vs. 34.

νοεῖν, φάσθαι. vs. 39 sq. p. 73.
νοητός, φατός. . . . . . vs. 63.
— δοξαστός. Vid. δοξαστός.
νοῦς, νοεῖν, νόημα, νόησις. vs. 43, 146, 148.
νυκτιφαής. vs. 143. p. 125. p. 84, 149 sq.
νυκτός καὶ ἤματος κέλευθοι. vs. 11. p. 59.
ξυνός. Vid. κοινός.
ξυνεχής. Vid. συνεχής.

ὁ, ἡ, τό. τῇ—τῇ. vs. 78, 107. p. 96, 111.
— ὁ μὲν—ὁ δὲ, inversa significatione. vs 72 sq. p. 94. ἐν τῷδε, similia, vs. 70, 109, 157.
— τὰ ἐπὶ τοῖσι. vs. 122. αἱ ἐπὶ ταῖς. vs. 126.
ὁδός. Vid. ἀτραπός.
οἷος et οἶος confusa. vs. 97. p. 106.
ὅλος (οὖλος). vs. 59. p. 86 sq. 182.
ὁλομελής (οὐλομ.) . . . . p. 86.
ὄλυμπος. . . . vs. 140. p. 125.
ὁμοῖος. vs. 77. p. 95. Vid. ἴσος.
ὁμοῦ πᾶν. . . . . vs. 60. p. 90.
ὄν, μὴ ὄν. Vid. εἶναι.
οὐρανός s. ὄλυμπος. . . . p. 242.
— et κόσμος permutata. p. 254.
ὅτε c. optativo. . vs. 10. p. 58.

παιδικά, apud philosophos. p. 14.
παλίντροπος — τονος — βολος: vs. 51. p. 80 sq.
παναπειθής. . . . . vs. 38.
παρελαύνειν. μή τι σε παρελάσσῃ. vs. 120. p. 116.
πᾶς. πᾶσιν καὶ παντί. vs 148 p. 126.
— πάντῃ διὰ παντός. vs. 32. p. 70.
— πάντῃ πάντως. . . . vs. 91.
πατήρ, *magister*. . . . . p. 14.
πεδάω, πέδη, de necessitate. vs. 69, 96, 137. p. 93, 105.
πειθώ. . . . . . . vs. 36, p. 72.
πεῖρας. πεῖρας πύματον. vs. 101.
— πείρατος δεσμοί. vs. 85. p. 98.
— πείρατα δεσμῶν. vs. 81. p. 97 sq.
— πείρατα ἄστρων. vs. 138. p. 124.
πέμπειν, *incitare*. vs. 129. p. 119.
πεπερασμένον. p. 99. Vid. ἄπειρον.
περίφοιτος. . . . . vs. 135.
περόναι. . . . . vs. 20.
πίλημα. . . . . p. 248, n. 81.
πίστις. . . . . vs. 30. p. 68 sq.
πλαγκτός. . . . vs. 48. p. 79.

πλάζεσθαι. . . . vs. 47. p. 78.
πλέον. . . vs. 123. cf. addend.
— et πλεών. . vs. 79. p. 96.
πλήθω, πλήρης, c. dativo. p. 61.
πλῆνται, πλῆντο, duplici significatione. . . . vs. 12. p. 60.
ποιεῖν. ποίηντο. vs. 125. p. 117.
ποίημα, *commentum*. . . p. 22.
— ποιήματα. Vid. γράμματα.
πολύδηνις. . . } vs. 55. p. 84 sq.
— δηρις. . }
πολύπειρος, - ων. . . vs. 53. p. 82.
— πλαγκτος et - καμπτος confusa. . . vs. 145. p. 126.
— ποινος (Δίκη). vs. 14. p. 61.
— φραστος. . . vs. 4. p. 55.
πύλαι. . . vs. 11. p. 59 sq. 62.
Πύρης, Πύῤῥης. N. P. p. 3. n. 1.
πυρώδης (στεφάνη). . . . p. 246.

σήματα, *argumenta*. vs. 57. 114.
— *sidera*. vs. 133. p. 121 sq.
σκίδνασθαι — συνίστασθαι. vs. 91.
σπέρχειν et σπέρχεσθαι. . p. 58.
στερεός. . . . . p. 243, n. 69.
στεφάνη, - ος. p. 242, n. 67. p. 244.
στυγερός (τόκος). vs. 128. p. 119.
συνεχής. vs. 61, 80. p. 171, 176.
συνέχεσθαι. . . . . vs. 78.
συνήορος. . . . . . vs. 24. p. 63.
σύριγξ (ἄξονος). vs. 8, 19. p. 58.
σφαῖρα, σφαιροειδής, metaphor. vs. 102. p. 109, 190.
σφαῖρα, - ος. p. 243, n. 67.

σχῆμα. Vid. εἶδος.

ταὐτόν. ἐν ταὐτῷ μένειν. vs. 84.
— opp. ἕτερον. p. 115. 222, n. 4.
τε num vocabulo anteponatur? p. 100.
— post ὅς, ὅσος. . . . . p. 52.
τῆλε et τῇδε confusa. vs. 83. p. 98.
τρέφω. τραφείς. . . . . vs. 157.
τρόπος et τόπος confusa. p. 107.
τυφλὸς καὶ κωφός. Vid. κωφός.

ὑπέρθυρον, et - ριον. vs. 12. p. 60.

φαντασίαι. . . . . p. 68.
φατίζω. πεφατισμένον. vs. 94, p. 105.
φλογὸς πῦρ. . . vs. 115. p. 114.
φύσις. περὶ φυσέως. . . . p. 19.
— αἰθερία. . . . . vs. 132.
— μελέων. . vs. 147. p. 126.

χάσμ' ἀχανές. . . . . . vs. 18.
χείρ. χεῖρα χειρὶ ἑλεῖν. vs. 22. p. 63.
— χερσὶν ὠσάσθαι. vs. 7. p. 56 sq.
χνοιά et χνόα, similia. . p. 58.
χρέος. . . . . . . vs 64, p. 91.
χρεών. vs. 28, 104. p. 66, 105.

ψευδοφαής (σελήνη). p. 248, n. 80.
ψυχικόν, sive ψυχικὴ οὐσία. p. 240.

ὡς. θαυμασίως ὡς. . p. 131. sq.

INDEX III.

RATIONIS GRAMMATICAE.

Anacoluthia. vs. 72, 73. p. 94.
Dativus loco Genitivi post πλήθω, πλήρης. . . . . p. 61.
Hiatus vs. 38: παναπευθέα ἔμμεν. vs. 87: τὸ ἐόν. alibi. cf. p. 72.
Hypallage verbi Passivi pro Medio. . . . . p. 62.
Ionica dialectus Parmenidi vindicata vel reddita. vs. 24: συνήορος. vs. 39 et saepius: ἐόν. vs. 48: φορεῦνται. vs. 66: οὐκί. vs. 80: ξυνεχής. vs. 84: τωὐτόν, ἑωυτό. vs. 88: κε. vs. 102: σφαίρης. p. 242, n. 67: στεφάνη.
Nominativus absolutus. . . . . p. 119.
Optativus post ὅτε. . . . . vs. 10. p. 58.
Pleonasmus. vs. 32: πάντα διὰ παντός. vs. 91: πάντῃ πάντως. vs. 148: πᾶσιν καὶ παντί. cf. p. 126. vs. 7: ὠσάμεναι χερσί cf. p. 57. vs. 115: φλογὸς πῦρ, similia. cf. p. 114.
Synizesis. vs. 88: ἐπιδευές. cf. p. 101. vs. 97: παντὶ ὄνομα. cf. p. 106. vs. 106, 116: ἐόν, κενεόν. cf. p. 111.
Versus dactylicus hypercatalecticus . . . . vs. 65, p. 91 sq.